ANTHONII CHAMPNAEI ANGLI, SACRAE FACVLTATIS Parisiensis Doctoris Sorbonici,

De Vocatione Ministrorum Tractatus.

Quo vniuersos cuiusuis prætensæ reformationis Ministros omni penitùs legitima vocatione destitui contra Plessæum & Fieldeum.

Quo etiam præsentes Angliæ Superintendentes, qui sedes Episcopales inuaserunt, non esse veros Episcopos, contra Masonum & Goduuinum clarè ostenditur.

Vnde tandem apud Reformistas nullam esse Ecclesiam, nullam fidem, nullum denique salutis medium manifestè deducitur.

Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant; non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Hier. 23. 21.

Quomodo verò prædicabunt nisi mittantur? *Rom.* 10.

LVTETIÆ PARISIORVM,
EX OFFICINA NIVELLIANA.
Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY via Iacobæa, sub Ciconiis.

M. DCXVIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI ac Domino D. HENRICO DE GONDY, Pariſienſi Epiſcopo, & Regis Chriſtianiſſimi Conſiliario.

PRODIIT *ante annos paucos (Reuerendiſſime Præſul) liber à quodam Franciſco Maſono, Anglo, idiomate Anglicano conſcriptus, in quo dialogum inſtituit inter Orthodoxum, cui ſcilicet Proteſtantis; & Philodoxum, cui partes Catholi in ſuâ ſcenâ agendas deſignauit. Inſcribitur in fronte*, De Con-

ſecratione Epiſcoporum Eccleſiæ Anglicanæ, de eorum ſucceſſione, iuriſdictione, aliiſque ad vocationem ſuam ſpectantibus, quæ à calumniis Romaniſtarum vindicantur, adeóque nihil contra ſacras Scripturas, Concilia, Patres, approbatáque primitiuæ Eccleſiæ exempla continere, oſtenduntur. *Iſte Dialogiſta licet ſatis audax, non tamen auſus eſt promittere ſe horum Epiſcoporum conſecrationes quas ſtrenuè cupit defendere, ex ſcripturis ſacris vel ſanctis Patribus probaturum; (hoc enim ſibi impoßibile fore non ignorauit) ſed cautè admodum & timidè affirmat, ſe illas ab aduerſariorum calumniis vindicaturum. Opus quidem non magni laboris (licet cauſa ſit perditißima) quandoquidem et*

actorem & defensorem seipsum constituerit, ea tantùm argumenta sibi obiiciendo, quæ quoquo modo se posse eludere existimauit. Cæterũ vtrùm calumniæ ab aduersariis fuerint illis impositæ, an fœdæ potius sint maculæ turpißimâ peruicaciâ ab ipsißmet cõtractæ, et nunquam nisi resipiscant, eluendæ; ad minus æquos rei æstimatores prouocans, (vt Epistola sequens monstrat) anno præterito libro Anglicè cõscripto, cũ Masono cominus egi; & (ni fallor) vi manifestæ veritatis eũ conuici. Ex eo tempore egerũt mecum nonnulli, quorũ votis satisfacere honestũ et iustum putaui, vt latinitate librum illum donarem: quod eò libentiùs feci, vt viri docti & prudentes in partibus ab

Anglia remotis vbicunque degentes, quibus titulis quóue iure Anglicani Episcopi de Ministerio Ecclesiastico sibi applaudãt, & quantum inter illos & alios prætensos Reformatores non in doctrina tãtùm, sed etiam in vocationis suæ ratione intersit; iudicare poßint. Vt autem hoc opusculum à me denuò recognitum, & latinum iam redditum, sub alicuius honoratissimi Patroni *auspicijs in lucem eminentiorem (nam antea intra nostræ insulæ fines cõpingebatur) fælicius confidentiúsque prodire poßit, Reuerendißimæ Dominationis tuæ patrocinium ei adquirere desideraui. Et etiãsi ea sit familiæ tuæ nobilitas et splendor, ea tua in rebus maximis agendis pruden-*

tia & solertia, ea erga Deum & Ecclesiam suam pietas & zelus, ea in dignitate curaque pastorali vigilantia & grauitas, cum incredibili benignitate & humanitate coniuncta, ea denique virtutum omnium, quæ honorem Episcopalem comitari debent, cumulata perfectio, vt & summis principibus percharus, & inferioris ordinis hominibus suspiciendus iure merito efficiaris; adeo vt mirum non sit, quod animus cuiusuis feritatis solum expers, in tuum honorem & obseruantiam pronus atque propensus ex se feratur: alia nihilominus sunt, quæ hanc obsequij erga te mei testificationem, etsi non altiori, at arctiori tamen iure à me exigere videbãtur. Primùm

enim, & instituti & laboris nostri (mei dico & sociorum meorum.) quem in veritate orthodoxa propugnanda, & hæretica prauitate profliganda pro viribus impendimus, rationem tibi, uti Pastori ac Episcopo nostro reddere, et nobis honorificum & tibi non ingratum fore iudicauimus, idque maximè, quia reliqui Ecclesiæ Gallicanæ Præsules (quibus propter multiplicem, qua eis obstricti tenemur beneficentiam, libenter obtemperare & volumus & debemus) hoc ipsum nobis iniunxerũt. Deinde singularis tua erga nos beneuolentia, quam in nobis consilio auxilióque adiuuandis & fouendis experti sumus, aliquod gratitudinis tributum à nobis re-

pendi iure postulabat. Denique cum de consecratione & vocatione Episcoporum ista nostra lucubratio tractet, veróſque pastores à lupis & latronibus discernere doceat, sub cuius potius patrocinio in publicum prodire deberet, quàm illius, quem Spiritus sanctus posuit Episcopum, & in Ecclesia sua vt truculentam rapacissimorum luporum rabiem ab ea arceat, custodem rectorémque constituit? Accipe igitur (Antistes Reuerendissime) consueta tua benignitate munusculum istud quale quale sit, de eorum manibus, qui vt multis nominibus tibi sunt deuincti, ita continuis suis laboribus & studiis de te, cæteríſque Ecclesiæ Præsulibus melius indies mereri, quàm maxi-

mè cupiunt. Ex eo quidem illud ſaltem intelligere poteris, ordinem Epiſcopalem in Eccleſia Catholica traditum & acceptum, in tanto pretio & honore etiam apud ipſos veritatis hoſtes haberi, vt eius infulis ſeſe ornare cupientes, illius ſucceßionem vſque ad ipſos deueniſſe, magnoperè quidem (vt ex tota noſtra cum Maſono concertatione videbitur) falsò tamen glorientur. Vnde & ſimile teſtimonium veritati perhibere conuincuntur, quod ipſum olim mendaciorum patrem & architectum enunciaſſe conſtat. Sicut enim ille, Luc. 4. 41. *Chriſtum verum Dei filium profiteri cogebatur: ita & iſti, Catholicos Epiſcopos veros Eccleſiæ Paſtores, velint, nolint agnoſcere*

compelluntur. Deus Opt. Max. te Præsul optime, & Ecclesiæ suæ, & nobis quàm diutissimè incolumem custodiat. E Collegio Attrebatensi Nonis Martij 1618.

REVERENDISSIMÆ Dominationis tuæ obseruantissimus.

ANT. CHAMPNÆVS.

D. GEORGIO
ABBOTO, DICTO CANTVARIENSI Archiepiſcopo, Antho. Champnæus.

CVm *Magiſter Franciſcus Maſonus*, te authore & ſuaſore, librum quo conſecrationes Epiſcoporum in Eccleſiâ Anglicanâ tueri & propugnare profitetur, compoſuiſſet: illum tuo nomini debitum, vtpotè eiuſdem deordinationis principi, inſcripſit. Quod opus videtur tibi fuiſſe pergratum, quaſi id omne, quod facturum in ſe recepit, ſatis clarè præ-

ſtiterit. Nam (ſicut audiui) Preſby-
teros aliquos Catholicos, (quales
nonnulli in carceribus religionis
Catholicæ causâ, iniuſtiſſimè apud
vos detinentur) ad te, aſſidentibus
etiam alijs tui ordinis hominibus,
aduocaſti; quò ea Acta publica, quæ
ad aſtruendam vocationem veſtram
à *Maſono* citantur, ſe vidiſſe teſta-
rentur. Ratus (vti videtur) nihil am-
plius ad rei euidentiam deeſſe, quàm
vt talia extare acta crederetur.
Quod quidem factum, primam mi-
hi de libro illo refellendo cogitandi
occaſionem præbuit. Cùm enim
animaduerterem, & te, & aſſiſten-
tes tuos tractatum illum pro firmiſ-
ſimo veſtræ vocationis propugna-
culo habere, operæprecium exiſti-
maui, & tibi, & illis manifeſtum
reddere, quantum ab eo ſcopo liber
deficiat.

Tibi idcirco tractatũ hunc meum destino, vt iudicium inde facias, vtrum *Masonus* in Apologetico suo Dialogo id reuerâ perfecerit, quod in libri sui fronte tam confidenter pronunciat, se nimirum ostendisse *consecrationem Episcoporum in Ecclesia Anglicanâ, nihil Scripturis, Concilijs, Patribus, aut receptis primitiuæ Ecclesiæ exemplis habere contrarium.* Miraberis forsan quod te controuersiæ huius arbitrum constituerim, cum me non fugiat, quantum tuâ intersit pro illo sententiam contra me ferre: sed veritatem adeo manifestam à mea parte stare existimo, vt iudicium tuum, quantumuis pro ratione loci quem occupas minus æquum, subire non reformidem.

Si librum de eâdem ferè materiâ non multis abhinc annis elaboratum, authoritate tuâ non suppres-

ſiſſes, manuſcriptum exemplar in-
tercipiendo, (quod etiam adhuc
apud te detines, conſcius vt par eſt
credere, illud nulla miniſtrorum
veſtrorum reſponſione poſſe eludi)
labori, quem in iſto elucubrando
impendi, pepercissem, vtpote huic
inſtituto minimè iam neceſſario:
ſed cùm non ſis contentus vocatio-
nis veſtræ (quæ reuera nulla eſt) de-
tectioni ſolerter obſtitiſſe; verùm
etiam alios qui in veritatis præiu-
dicium ſcriptis ſuis eam ſtabilire
conentur tua adhortatione excitas,
non eſt quod conqueraris, ſi ex im-
portuna & improba hac tua indu-
ſtria, occaſio arripiatur illud omni-
bus manifeſtandi, quod tu maximè
occultum eſſe cupis.

Quod ſi te non Epiſcopum, ſed
merum denominationis illius vſur-
patorem hîc demonſtratum perſpi-

ciaſ, vellem quidem (tametſi id ſperare nequeam) vt vel titulum illum inanem deponeres, vel per veram ordinationem te illius capacem redderes. Sin id nequaquam hîc præſtitum arbitreris, expectabo, vt vel Maſonum tuum, vel quemuis aliũ ſubſtituas, qui argumentis, (quibus id ſatis clarè oſtenſum exiſtimo) ſolidis reſponſionibus ſatisfaciat. Si verò id non feceris, te tuóſque culpæ illius, cuius hîc arguimini reatum agnoſcere, hoc eſt, ordinationem veſtram nullam eſſe fateri ex ſilentio interpretabor: & conſequenter, Eccleſiam vobis nullam eſſe, fidem nullam, nullum breuiter ſalutis medium. Hæc enim omnia, quæ ſunt tanti ponderis, ex defectu vocationis & ordinationis legitimæ euidenter conſequuntur. Quapropter tantam animi propen-

ſionem

ſionem tantúmque ſtudium erga Catholicam veritatem (ſine qua faciem Ieſu Chriſti cũ gaudio nunquam viſurus es) quantam hactenus ab ea auerſionem oſtenderis, tibi ex intimo cordis affectu exoptans illius, *qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, te miſericordiæ atque gratiæ commendo,

EÒ VSQVE TIBI SERVVS & amicus quo tu Deo & Eccleſiæ ſuæ,

ANTH. CHAMPNÆVS,

In Eccleſia non eſt, neque Epiſcopus computari poteſt, qui Euangelica & Apoſtolica traditione contempta, nemini ſuccedens, à ſeipſo ortus eſt: habere namque aut tenere Eccleſiam nullo modo poteſt qui ordinatus in Eccleſia non eſt. Cyprianus Epiſt. 76. ad Magnum.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

LECTOR *beneuole, cùm in Epistola ad Pseudo-Archiepiscopum Cantuariensem, quam libro Anglicano præposui, & quam hic etiam transcripsi, ineundi cum Masono certaminis rationem & occasionem satis exposuerim, duo tantummodo tibi intimanda hîc occurrunt; vnum, cur Masonus materiam hanc de consecratione & successione Episcoporum Angliæ tractare aggressus sit. Alterum, cur ego disputationem de vocatione Ministrorum prætensæ reformationis in vniuersum instituerim; præsertim, cùm Masonum solum, qui Anglicanum tantum Ministe-*

rium propugnare prætendit, debellare proposuerim. Horum primũ ipsius Masoni verbis hic tibi exponã; sic verò ipse de incœpto suo scribit: Ordinationes nostras maledici Papistæ ac si nullæ essent calumniantur, suísque inde persuadent, Ministros nostros merè laicos esse; vnde vlterius inferunt, nullam apud nos veram esse Ecclesiam, & consequenter neque vllam salutis spem vel possibilitatẽ. Quæ adeò cõfidenter asserunt, vt quidam eorum profiteri non vereantur, se religionem nostram amplexuros, si vocatio nostra probabilis reddatur. Cuius rei consideratio controuersiam hanc diligẽtiùs inspiciendi mihi prima fuit occasio. Nam post salutis propriæ certitudinem (*ita loquitur iste*) vocationis meæ ad Ministerium indubitatam sciẽtiam mihi acquirendi summo flagraui deside-

In Epist. dedicatoria.

rio. Dum verò iſta attentiùs ponderaui, præcipuas eorum (Catholicorum) obiectiones, meras eſſe calumnias ex authenticis actorum publicorum monumentis facilè refutandas comperi. Hinc ſummopere optare cæpi, vt ad Dei gloriam & Eccleſiæ ædificationem in iſtis nebulis diſpellendis, & veritate illuſtranda eruditus quiſpiam inſudaret, opus meo quidē iudicio ſummi momenti. &c. *Et poſt nōnullas rationes, quibus operis iſtius dignitatem & vtilitatem perſuadet, tandem in hæc verba concludit.* Iſta me optare fecerunt, vt magnus aliquis in noſtro Iſraële magiſter, eximiam hanc prouinciam, quæ (diuina prouidentia ita diſponente) in meam cecidit ſortem, in ſe ſuſciperet. *Hactenus ipſe. Quæ ijs, qui librum ipſum Anglicano idiomate ſcriptum legere nequeunt, &*

uanti momenti apud aduersarios quæ-
tio de Ministrorum vocatione æstima-
ur, & quantum in hac sua lucubratio-
ne se prestitisse Minister iste existimat,
ibundè declarant. Quantum autem re-
psa præstiterit, ex insequentis opusculi
lectione; tibi (prudens Lector) iudican-
dum relinquo.

Ad secundum verò (de quo prefandum
dixi) quòd attinet, scias velim, quòd
etiamsi Masonum nostrum, noui scili-
cet Ministerij Anglicani gloriosum pu-
gilem præcipue, hoc opere debellare me-
cum statuerim; contra omnes tamen præ-
tensæ reformationis Ministros de eo-
rum vocationis validitate similiter mi-
hi decertandum, propter naturalem re-
rum connexionem necessarium iudica-
ui. Cum enim animaduerterem, vni-
uersam turpissimarum hæreseon conge-
riem, quæ infælici hoc sæculo Christia-
num orbem infestant, nullo alio argu-

mento vel faciliùs, vel efficaciùs contundi & confutari posse, quàm demonstrando earum auctores & assertores, non veros Ecclesiæ Pastores & Doctores, sed lupos ac latrones esse; quippe cùm absque legitima vocatione ex seipsis currant, & munia pastoralia propria auctoritate à nemine vocati vsurpent. Et cum ex insolenti Masoni nostri pro Protestantibus Angliæ Episcopis Apologia, contra illorum consecrationem seu potius execrationem disputationem instituere essem prouocatus: videbam parum efficax fore argumentum ad reliquas sectas confutandas, si illud tantùm vocationis genus, Anglorum scilicet Ministrorum, refutassem. Tantum enim abest vt illud commune sit, cum cæteris pretensæ reformationis congregationibus, vt neque omnibus Anglis, reformationem præ se ferentibus, arridet. Puritani enim, Brovvnistæ, Fami-

iani, Anabaptistæ, atque aliæ subinde pullulantes sectæ ritum vsitatum in noua Ecclesia Anglicana consecrandi Episcopos & pastores, tanquam superstitiosum & Papisticum detestantur atque despuunt. Quapropter vt argumentum hoc contra vniuersas Reformistarum sectas directè procederet, eas omnes veris ac legitimis pastoribus similiter esse destitutas, necesse erat ostendere: proindéque disputationem, quæ vniuersas simul inuolueret, instituere.

Quantum verò ad cunctos radicitùs euellendos errores huius quæstionis de Ministrorum vocatione discussio valeat; ex ipsorum aduersariorum cõfessione constat. Fatentur enim, atque id quidem necessario, quod vbi nulli sint legitimi pastores, nulla etiam ibi sit vera Ecclesia, & consequenter nullam ibi esse veram fidem, nullam denique æternæ salutis spem vel possibilitatem.

In hac itaque generali disputatione talem obseruauimus methodum, vt quęstiones magis vniuersales minus vniuersalibus præponantur; adeò vt primò ea vocationis genera, quæ omnibus quibuscunque sectis cõmunia esse possunt, examinentur: In posterioribus verò quæstionibus, scilicet à cap. 9. consecrationes Episcoporum Protestantiũ in Anglia tractentur atque discutiantur. Verumtamen quia primum meum institutum fuit istorum ordinationes refellere, tùm quia nostræ genti (cui præcipuè labores mei qualescúnque fuerint peculiari iure debentur) propriæ sunt, tùm quia illis refutatis, cæterarum omnium sectarum vocationes eadem opera maxima ex parte refutatæ censeri possint, cum maiorem legitimæ vocationis speciem, quàm quæcunquealia Nouatorum secta, præ se ferant: multò fusius contra illos solos, quàm contra reliquos omnes mihi

disputandum fuit. Fruere itaque libenter (Lector) opera mea, si ad veritatem contra errones hodiernos propugnandam tibi in aliquo vsui esse possit; & vale.

INDEX CAPITVM.

APPROBATIO DOCTORVM.

NOs subsignati in sacra Facultate Parisiensi Theologiæ Doctores Sorbonici testamur, perlegisse nos librum cui titulus est, *De vocatione Ministrorum, Tractatus quo vniuersos cuiusuis prætēsæ reformationis Ministros, omni penitus legitima vocatione destitutos contra Plessæum & Fieldeum, &c. à M. Antonio Champnæo Anglo eiusdem Facultatis Doctore Sorbonico compositum*, in quo nihil offendimus quod repugnet doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ & Romanæ bonisue moribus: sed multa quibus omnium horum temporum sectariorum Ministri sacrilegæ in Sacramentis administrãdis & Euangelico prædicando vsurpationis solidè & clarè conuincuntur. Datum Lutetiæ Parisiorum. 3. Octob. 1617.

GVLIELMVS BISCHOPVS.

IACOBVS MESSIER.

Summa Priuilegij.

LVDOVICI XIII. Galliarum & Nauarræ Regis Christianissimi authoritate concessum est SEBASTIANO CRAMOISY Bibliopolæ Parisiensi Iurato, typis mandare & venalem habere librum qui inscribitur, *Antonij Champnæi Angli Doctoris Sorbonici De vocatione Ministrorum Tractatus, &c.* aliisque cuiuscumque conditionis interdictum est intra sexennium, vt patet in diplomate Regio. Dato Parisiis die 21. Nouembris 1617.

SVBSIGNATO,

RENOVARD.

DE VOCATIONE MINISTRORVM.

CAPVT PRIMVM.

ur tot homines circa fidem errare, & multò plures veræ fidei inuestigationem adeò difficilem experiri, quotidie inueniantur.

DEPLORANDA sanè est lachrimis salsissimis humanæ naturæ ex diuini præcepti præuaricatione contracta miseria. In nulla re tamen gis est miseranda, quàm quòd in re ad æternam suam salutem spectanis adeò sit affecta, vt non tam inha-

bilis & tarda, quàm insensibilis penè in eis percipiendis reddi videatur. Nam si minimam illius diligentiæ & solicitudinis partem, in iis curandis collocarent homines, quam in rebus temporalibus promouendis adhibere solent, (cum reuera deberent longè maiorem) neque tam facilè, neque tam turpiter in iis falli & hallucinari possent, sicut eos hallucinatos quotidiana experientia docet. Deus enim Opt. Max. pro infinita sua bonitate parique potentia & sapientia, viam ad æternam fœlicitatem eò certiorem & cognitu faciliorem hominibus præparauit, quò error vel deceptio in ea grauiora damna secum afferre cognoscitur. Ac proinde semitam ad vitam æternam ducentem adeò planam, directámque nobis monstrare promisit, *vt stulti non errent per eam*, qualem pro bonis temporalibus acquirendis nusquam est pollicitus.

Esa. 35. 8.

Vnde igitur accidit (dicet quis) quòd tot homines à vera Orthodoxáque fide, *sine qua*, (teste Apostolo) *impossibile est placere Deo*, deuiare quotidie cernantur, longéque plures de difficultate, quam in recta fide inuestiganda inueniunt,

Heb. 11. 6.

grauiter conquerantur? Neque id quidem (vti videtur) absque causa: quippe cùm tot inter se ex diametro pugnantes doctrinæ de rebus necessariò credendis quotidie proponãtur, quarum vnaquæque tanquam sola vera, atque adeo ad vitam sempiternam adipiscendam vnicè necessaria constantissimè ab his vel illis astruitur.

Huic quæstioni facillimè satisfit; neque etiam malo, de quo tantoperè homines conqueruntur, difficilè est efficax remedium inuenire. Respondetur enim præcipuam, immo forte vnicam rationem, cur tot in omni ætate à recta fide deflexerint, multóque plures nõnullam difficultatem in ea inuestiganda experti fuerint, eam esse quòd prius, *quid*, quàm, *à quo credere debeant*, quærere solent: hoc est, prius fidem ipsam quàm Doctores ac præceptores fidei cognoscere & inuenire student.

Vnde tot errores circa fidem.

Hoc fortasse vel omnino improbabile, vel saltem valde dubium primo aspectu videri poterit. Quia parum vel nihil omnino interesse videtur, à quo quis veritatem fidei addiscit, dummodo eam verè addiscat: quemadmodum

parum refert, cuius auxilio vel consilio ægrotus sanitatem suam recuperet, modo reuera sanetur, aut à quo is, qui *Hierosolymam* (exempli gratia) tendit, de itinere suo instruatur, modo viam rectam inueniat. His tamen non obstantibus, illud quod diximus verissimum est, vti ex obuiis hisce ipsis exemplis cuiuis clarissimè constabit.

Nam si ægrotus aliquis, vel peregrinus quorum alter de itinere fœliciter conficiendo, alter de valetudine recuperanda sollicitè cogitãs, & seipsum instruere nescius aliquẽ de expedita certáque ratione illud quod desideratur, acquirẽdi anxius consuleret, qui tamen non minus quam ipse, qui eum consulit, earum rerum ignarus esset, nonne certissimo erroris & deceptionis periculose se exponeret? Et si fortasse ab aliis consilium caperet eorúmque ductum sequeretur; de quorum tamen peritia; vt eum rectè instruant, non magis esset securus, quam fuerat de priori, magis quidem perplexus dubiúsque in sua deliberatione hoc pacto fieret, dum ille vnum, hic verò planè contrarium (vt euenire solet) præciperet, prohiberet-

ue: attamen ſanum certúmque aliquod
conſilium, ſeu modum inueniēdi quod
quærit, nunquam reperire poterit. Cer-
te hoc adeò clarum, adeóque perſpi-
cuum eſt, vt nemo illud negare queat.
Qui enim aliquid ab eo quærit qui il-
lud penitus ignorat, nunquid non fru-
ſtra omnino laborat? Ita planè ſe res ha-
bet. Manifeſtum itaque eſt iſtum, ſi vel
quod quærit, inuenire, vel quò tendit,
ſecurus tandem peruenire cupiat, debe-
re ante omnia inueſtigare peritum ali-
quem, & fidelem præceptorem vel du-
cem, qui ei in ſua deliberatione recte
conſulere, certámque viam inueniendi
quod quærit, expedite monſtrare pote-
ſt; Huiuſmodi enim inuento Doctore
vel duce, totam ſuam ſolicitudinem in
eo ſequendo, monitáque eius diligen-
ter obſeruando ſecurè collocare poteſt.
Id hoc multo facilius apparebit ſi ſup-
ponamus, quod ei, qui de aliqua re de-
liberat, iſta duo clarè innoteſcant. Pri-
mum, quod publica authoritate conſti-
tuantur homines qui eum in omnibus
dubijs & difficultatibus ſibi occurren-
tibus, adeo perfectè docere, rectéque
conſulere norint, vt ſi eorum præcepta

obſeruet & ſequatur, à deſiderato ſuo fine deuiare nequeat. Secundum, quod etiam ſi hoc verum ſit, alij tamen ſint, qui ſub ſpecioſo, ſed falſo prætextu maioris tam peritiæ, quam fidelitatis, in illo erudiendo vel conſulendo, quam quæ in miniſtris per publicam authoritatem conſtitutis reperitur, non modò vltroneè, ſed etiam importunè ſe illi offerēt, immo ingerent, atque obtrudent tanquam ſolos peritos, atque fideles duces, & doctores, quorum tamen monita ſi ſequatur, in certam perniciem ruere neceſſe erit. Dico, ſi iſta duo vti clara, perſpectáque deliberanti ſupponantur, nemini dubium eſſe poteſt, quin ipſe (ſi quod quærit reipſa, & abſque errore inuenire cupiat) illos, qui publica authoritate, vt alios in rebus dubiis & difficilioribus doceant, conſtituuntur, ante omnia quærere debeat. Quos cùm inuenerit, quid faciendum ſibi, quidue fugiendum ſit, vt optatum finem attingat, ab eis cum omni ſecuritate addiſcere, vniuerſas vero aliorum ſuggeſtiones in contrarium, quantumuis plauſibiles, confidenter reiicere atque reſpuere debet.

In rebus dubijs veri duces primùm inquirendi.

Ita planè se res habet cum omnibus Christianis, in summo illo sempiternæ fœlicitatis quærendę, & acquirendę negotio. Nemo enim est Christianorum, qui absque propria culpa ista duo ignorat. Primum, quod Deus Opt. Max. Pastores & Doctores, qui omnes homines de vera fide, ad vitam sempiternam sibi comparandam necessaria, instruant atque erudiant, in Ecclesia sua cum plena potestate constituerit, quorum præceptis ac documentis quicunque obedierit, à recto salutis tramite deflectere nequit. Secundum, quod alij sint homines, qui nullã prorsus docendi authoritatem habentes, sub falso atque fucato prætextu synceriori in rebus diuinis cognitionis, maiorísq; fidelitatis in eis tractandis, quã quæ in ordinariis ministris, & Ecclesiæ Dei pastoribus reperitur, sanctissimũ illud munus, *docẽdi alios in fide*, temerario ausu sibi vsurpant, atq; arripiũt, cum tamẽ reuera prauorum atque peruersorum dogmatũ disseminatores sint, & peregrinarum doctrinarum magistri, qui vniuersos sibi obtemperantes, in errores mortiferos ad ruinã sempiternam ducentes, infallibiliter inducant. Qui

diuinis eloquiis fidem adhibendam credunt, & confitentur, nihil his duobus clarius esse, certò sciunt. Deus enim pro summa, qua pollet, sapientia præuidens, neutrum horum absque perditione animarum, quas maxime saluas esse cupit, ignorari posse (qui enim primum ignorat, nescit vbi, vel à quibus fidem quærere oportet: qui vero secundum intelligere nequit cuius doctrinam tanquam falsam, & pernitiosam fugere debet) in sacris libris vtrumque adeo clarè expresséque testatū esse voluit, vt nemo, qui diuinis scripturis credendum esse putat, de vtriusuis veritate vllo modo dubitare possit.

Pastores constituti. Math. 28. 19.

Primum enim horum in expresso illo *Christi* Domini mandato manifestè continetur. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Fily, & Spiritus Sancti, docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Hic enim constituuntur à *Christo,* Pastores & Doctores qui omnes omnino homines vniuersa, quæ ad vitam sempiternam acquirendam necessaria sunt (inter quæ fides recta primum

habet locum) docendi habent potestatem, quæ non per paucos aliquot annos, vel aliqua etiam sæcula duratura est, sed quæ vsque *ad consummationem sæculorum*, non longa quidem temporum intercapedine facta, sed continuo & sine interruptione *omnibus diebus* permanebit. Et ne fortè timerent homines, quod pastores isti, & Doctores possent in errorem eos inducere, nimirum aliquid præter, vel contra præceptoris sui doctrinam, & veritatē docendo, ideo & fideliter promisit (vt iam vidimus) se semper cum illis affore, quo perpetuā suam assistentiam & gubernationē, ne in populo suo docendo errarent, magnificè insinuauit. Et alio in loco de illis, & ad illos dicit, *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.* Quo docemur, nos omni cum securitate & fiducia posse, immo & debere pastores nostros sequi, præceptísque eorum auscultare. Hanc eandem veritatem expresse tradit Apostolus his verbis. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec oc-*

Luc. 10. 16.

Ad eph. 4. 11. 12. 13.

curramus omnes in vnitatẽ fidei, & agnitionis filij Dei. His clarissimè testatur Apostolus, pastores doctorésq; qui vniuersos plane homines in iis omnibus, quæ ad sanctitatem consummatam necessario requiruntur, instruendi potestatem habent, vsque ad finem mundi permansuram, à supremo pastore esse institutos. Horum vero munus ac officium in sequentibus verbis declarat Apostolus, esse certissimam veritatem homines docere, dicens: *vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris.* Atque hæc clarissima Spiritus Sancti testimonia, ad primã hanc veritatem, quam in sacris scripturis expresse contineri diximus, confirmandam, conuincendámque abundè sufficiunt.

Magistri mẽdaces prædicti.

Math. 7. 15.

Math. 24. 5.

Alterum vero caput testimonijs non minus firmis ac efficacibus ostenditur, & primo quidem ex clarissima illa *Christi* Domini præmonitione, qua contra huiusmodi pestes nos præmunit, dicens. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Et iterum. *Videte ne quis*

vos seducat, multi enim venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus. Et *S. Paulus* simili modo nos præmonet, dicẽs. *Ego scio quod intrabũt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt adducant discipulos post se.* Immo toties ac tã clare in sacris libris de huiusmodi malis bestijs præmonemur, vt mirum omnino sit, quod aliquis inueniatur, qui sacram scripturam nihil præter veritatem ipsam in se continere fatetur, per eos decipi, & à recta fide in errores mortiferos abduci possit. Sed vera huius tam nociuæ & voluntariæ cœcitatis ratio est, quod homines (vti superius diximus) non multum de vita futura solliciti tametsi æternæ beatitudini præparata, prius fidem ipsam, temerario studio addiscere volentes, quam veros ac legitimos fidei doctores inuenerint, eos ad fidem addiscendam coaceruare sibi solent magistros (vt loquitur Apostolus) quos *Christus* non misit, neque Spiritus sanctus posuit ecclesiæ suæ rectores: Sed qui nõ missi, currunt, & non vocati, ex se veniunt; non quidem vt oues *Christi* per veram doctrinam pascant, (aliter non

Act. 20 29.30.

2. Tim. 4. 3.

venirent, nisi ab ipso mitterentur) sed vt eas per errores suos mactent & perdant, ac proindè non pastores, sed fures sunt atque latrones, vt veritas ipsa non semel eos indigitat: cum tamen antequam credant, eos fidei magistros sibi ascifcere oporteret, quos à *Christo*, vt eos in fide doceant, legitima authoritate constitutos cognorint. Quandoquidem enim *Christus* adeo apertè testetur, se eos ad vitam sempiternam nobis comparandã duces præparasse, quos dum sequimur & audimus, ipsummet nos sequi & audire dicat; & præterea à quibusuis alijs præceptoribus, tanquam à latronibus, & lupis truculentissimis nobis diligenter cauendum, toties nos moneat; quis nisi stupidus, & insensatus dubitare poterit eum, qui in fide errare non vult, illos prius quærere debere, quos *Christus* duces ac doctores fidei constituit, quam quid per fidem credere debeat, vllo modo intelligere queat? Ab huiusmodi enim præceptoribus repertis (quos inuenire non est difficile, vt ex infra dicendis patebit) quid sit credendũ, adeo securè quis quærere & informari possit, vt quicquid in contrarium ab alijs sug-

Ioã. 10.

Prius cui, quã quid credamus inquirẽdum.

gestum fuerit, tanquam falsum atque peruersum peremptoriè reijcere debeat.

Quod tametsi per se satis clarum; tamen quia pro certo fundamento eorum quæ dicenda sunt, hîc à nobis ponitur, non erit superuacaneum illud vlterius adhuc cõfirmare. Audiamus itaque Apostolum, qui ita ratiocinatur. *Quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit: quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? quomodo autem credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? quomodo autem prædicabunt, nisi mittantur?* Nonne enim hinc manifestum est, nos prius cui credendum sit, quam quid credẽdum sit, cognoscere debere? Nam cum (vt Apostolus clarè docet) & ex se est manifestum, non possimus credere nisi audiamus, neque audire possimus à quibuscumque, sed ab ijs tãtum, qui ad prædicandum mittuntur, necesse omnino erit, vt priusquam aliquem articulum fidei, rectè credere vaeamus, eos, qui potestatem nos docendi habent, vt pote ad hoc à Deo missos, ognoscamus; Ab ijs enim, & non ab lijs, neque aliunde, quid credendum

Rom. 10. 13. 14.

erit, tutè edocebimur.

Et non ſolum ſcriptura ſacra, ſed ipſamet etiam natura quæ primò faciliora, poſtea vero magis ardua nos docere ſolet, iſtum fidei addiſcendæ ordinem ac methodum apertiſſimè præſcribit. Nam ex notis minuſue obſcuris, ad ea, quæ magis obſcura & abſtruſa ſunt edocenda, naturam (atque adeo ipſum naturæ authorem) procedere, notiſſimum eſt. Ita Philoſophi antiqui, per cognitionem creaturarum, tanquam per certum gradum, ad veri Dei cognitionem olim peruenerunt, vt teſtatur Apoſtolus ad *Romanos* ita ſcribens. *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtauit: inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* Reſque hæc adeo clara eſt, vt ſtultum omnino eſſet in illius probatione diutius immorari. Cum itaque longe facilius ſit eos inuenire & cognoſcere, quos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos & Paſtores Eccleſiam ſuam regere, populumque ſuum in vera fide erudire ac docere, quam ſit ipſam fidem inueſtigare (quemadmodum

Rom. 1. 19.

longe facilius eſt, in omni Repub. veros legitimoſque iudices, alioſque magiſtratus ciuiles inuenire, quam veram iuſtitiæ ſententiam, in difficilioribus iuris quæſtionibus expiſcari) quiſquis hanc expreſſam Dei inſtitutioñe, in ſacris literis apertiſſimè teſtatam, & ipſius etiam naturæ ordinem, perpetua experientia comprobatum inuertere, immo ſubuertere non reformidat, in grauiſſimo fidei exquirendæ negotio, eum ordinem neceſſario obſeruare debet, vt prius eos, qui fidei doctores & magiſtri à Deo cōſtituuntur, quàm fidem ipſam inueſtigare laboret. Et iſtud ipſum multo clarius conſtat in ijs caſibus, quibus cognitio vnius dependet à cognitione alterius tanquam à ſua cauſa, vt in noſtra quæſtione plane accidit: verbi gratia, ſi quis ſcire cuperet, vtrum fœdus contractum inter duos principes, mediantibus eorum procuratoribus validum firmumque ſit, nonne prius quærere debet, vtrum oratores vel procuratores, quibus mediantibus pactum fuit, ſufficientem habuerint poteſtatem ad id contrahendum, quam valorem ipſius fœderis contracti intelligere poſſit. Neque hoc

ob aliam rationem, nisi quia cognitio istius adeo necessariò dependet ex cognitione alterius, vt absque prioris cognitione, posterius nulla ratione certò cognosci possit. Nam ex defectu potestatis contrahendi in procuratoribus, fœdus contractum fit irritum, vt omnes norunt, etiamsi omnes aliæ conditiones ad valorem contractus requisitæ concurrerent. Simili ergo modo, cum ex sacra scriptura apertissimè constet, prædicationem, (sine qua nemo credere potest) adeo ab institutione & missione prædicatorum pendere, vt munus illud nemo exercere possit, nisi ad id præstandum mittatur, quis negare potest cognitionem veræ fidei ita dependere à cognitione legitimi prædicatoris, vt illa præcedere, ista verò subsequi necessariò debeat?

Quod adhuc magis declaratur hac manifesta ratione. Fides est certa rerum diuinarum & supernaturalium cognitio, neque ingenij acumine, neque studij labore acquisita (longe enim vires vtriusque excedit) sed diuina tantummodo reuelatione, mediante externa prædicatione, vt testatur Apostolus, dicens.

Fides

Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei: (loquimur enim de fide continuanda & propaganda, & non de prima eius origine & fonte) ac proindè ij tantum quos Deus docuit & misit, vel immediate per semetipsum (vt accidit in primis fidei, & religionis fundatoribus, *Moysi*, scilicet in veteri, & Apostolis in noua lege) vel mediantibus alijs in fide iam instructis, & eruditis (vt euenit in omnibus ijs, qui vel à *Moyse*, & eius successoribus in Ecclesia *Iudaeorum*, vel ab Apostolis, & illorũ successoribus vsque in hodiernũ diem in Ecclesia Christiana crediderunt) vt alios ea doceant quæ ipse credenda reuelauit, idonei sunt fidei Magistri & Doctores. Illi itaque qui absque authentica missionis suæ testificatione, se in hoc prædicandi verbi diuini munus, sub quocunque prætextu intrudunt, tanquam lupi rapaces repellendi sunt. Quomodo enim ipse diuina mysteria, & abscondita cælestium arcanorum sacramenta alijs reserare poterit, quem Deus (cui soli, & quibus ipse ea reuelauit, cognita sunt) neque docuit, neque vt alios ea doceret, misit? Quod *S. Paulus* euidenter concludere voluit, cum dixit:

10. Rom. 17.

Ro. 10. *quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Et antiquissimus *Tertullianus* idem demonstrat hac euidenti ratione. *Si Dominus Iesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quam quos Christus instituit, quia nec alius patrem nouit nisi filius, & cui filius reuelauit: nec alijs videtur reuelâsse filius, quam Apostolis quos misit ad prædicandum, vtique quod illis reuelauit.* Idem etiam clarè indicat S. Cyprianus his verbis: *Neque enim aliundè hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur.*

De præscript. cap. 21.

Cypr. Epist. 55.

Dicet fortasse quispiam, cum sacras scripturas, quæ omnem Dei voluntatem, & secreta eius cõsilia nobis manifestant, in manibus nostris habeamus, quid opus est alijs doctoribus & præceptoribus, qui in fide nos instruant erudiantque? Nonne poterit vnusquisque saltem si mediocri doctrina præditus fuerit, per verbum Dei scriptum, absque alio magistro, seipsum in fide instruere? Huic interrogationi occurrimus, dicendo, tantum abesse, quod ista ratio pastores non esse necessarios ostendat, vt eorum necessitatem, non obstante quod sacras scripturas habeamus, apertissimè

Occurritur obiectioni.

probet. Nam aduersus eos, qui præfatam obiectionem formant, ita argumentari licebit. Vel necessitatē pastorum in scripturis sacris inuenitis, vel non. Si inueniatis, illam credere debetis, si scripturis sacris credatis. Si verò non inueniatis, multò magis vobis necessarij sunt pastores, & doctores, qui doctrinam contentam in scripturis vos doceant: quandoquidem per vos ipsos non videtis ea, quæ adeò expressè in eis continentur. Inter illa enim, quæ clarè in scripturis exprimuntur, non vltimum locum obtinet institutio pastorum, qui non vno aliquo loco, vel tempore, sed semper & vbique Ecclesiam Dei recturi sunt; vt tam ex ijs, quæ superiùs adduximus, quam ex istis quæ hîc subnectimus, clarissimis testimonijs euidenter apparebit. *Attendite vobis & vniuersa gregi* (dicit *S. Paulus*) *in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Et *Esaias* in persona Domini protestatur, dicens. *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes; tota die ac nocte, in perpetuum non tacebunt.* Et Apostolus iterum. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant, qua-*

Act. 20. 28.

Esaiæ. 62. 6.

Hebr. 13.

si rationem pro animabus vestris reddituri, cum pluribus alijs, quæ non est necesse, in tam clara, & à nemine (quod sciam) hactenus dubitata quæstione hîc exponere.

Ex ijs, quæ hactenus dicta sunt, duo necessariò colliguntur: vnum, quod pastores in materia doctrinæ ad fidem pertinentis, à subditis seu ouibus suis doceri vel argui non possunt. Manifestè enim naturæ, & conditioni pastorum, seu doctorum repugnat, & aduersatur, ab ijs duci & doceri, quorum ipsi duces, & doctores constituuntur, & quos docere ipsi tenentur. Sed si forte ipsi errauerint (vt eorum singuli errare possint) ab alijs pastoribus, & non à suis ouibus corrigi, & doceri debent (loquimur enim de correctione magistrali seu auctoritatiua, & non de fraterna, quam subditi erga superiores suos aliquandò exercere possunt (quia vt dicit Dominus: *Non est discipulus super magistrum suum.*

Pastores à populo non docentur.

Math. 10. 24.

Et si importunus aliquis quærat, quid faciendum sit in casu, quo omnes Pastores in errorem laberentur? Respondetur idem tunc faciendum quod ipsi dicerent debere fieri in casu, quo omnes

Obiectioni occurritur.

abſolutè, tam Paſtores, quàm oues errare contingeret, hoc eſt, expectandum eſſe nouum Euangelium, nouum *Chriſtum*, nouumque legiſlatorem. Quandoquidē enim *Chriſtus* in Euangelio, quod modò habemus, paſtoribus, quos ipſe miſit in mundum, adeſſe omnibus diebus vſque ad cōſummationē ſæculi expreſsè, fidelitérque promiſerit; ſi ipſi deficerēt, deficeret quoq; ipſe in ſua promiſſione, & conſequenter expectandus eſſet nouus *Chriſtus*, qui in promiſſis ſuis fidelis, & verax eſſet. Et quia intolerabilis eſſet blaſphemia dicere, expectandum eſſe nouum *Chriſtum*, vel nouum Euangelium, ideo infidelitas eſt apertiſſima exiſtimare, quod omnes ſimul Eccleſiæ Paſtores in errorem aliquando lapſuri ſint. Deinde ſi ponamus caſum illum, quo omnes Epiſcopi, & Paſtores à recta fide deficerent, poſſibilem eſſe, non obſtante quod ſcriptura ſacra contrarium adeo expreſse promittere videatur: Stultiſſimum plane eſſet, immo extremæ dementiæ, abſque omni diuinæ reuelationis authoritate, eundem vniuerſalēlapſum in populo Chriſtiano impoſſibilem eſſe exiſtimare. Si vero & illum

Math. 28.

quoque caſum poſſibilem, immo & aliquando futurum dixerimus, vnde obſecro Eccleſiæ Dei (quam columnam &firmamentum veritatis indigitat Apoſtolus, & contra quam inferorum portas nũquam præualituras promiſit *Chriſtus*, reparatio expectanda foret? Inueniturne in toto ſacro volumine minimum huiuſce reparationis, poſt tantam fidei Chriſtianæ cladem & ruinam, veſtigium? Nequaquam certè. Nonne igitur pluſquam inſanire exiſtimandi ſunt, qui omnes Paſtores, *quos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos Eccleſiam ſuam regere*, à fide aliquando lapſuros (non obſtante quod *Chriſtus* promiſit ſe ſemper illis adfuturum (iiſque omnibus in errorem lapſis, fidem orthodoxam vel conſeruandam iri in populo, vel reparandam per populum, vel alio denique modo repullulaturam, abſque minimo diuinæ reuelationis lumine docerent, crederéntque? Certe ſi ad ſuauiſſimam diuinæ prouidentiæ diſpoſitionem, & in promiſſis ſuis ſeruandis fidelitatem ſpectet, Eccleſiam ſuam à lapſu vniuerſali, perpetuóque errore præſeruare, nullus communi ſenſu prædítus, diuiníſque ſcri-

1. Timo. 3. 15.

Math. 16. 18.

pturis credens negare poterit,hoc debere fieri per ſpiritum veritatis Paſtoribus & Epiſcopis aſſiſtentem, potius quam cum populo illis ſubdito cooperantem; præſertim cum ille prouidentiæ modus, paſsim in ſcriptura ſacra exprimatur, iſte verò nuſquam in ea inueniatur. Iam vero quod ad Dei prouidentiam fidelitatémque pertineat Eccleſiam ſuam à perpetuo errore (perpetuo dico errore) liberare, qui plurimum illius authoritati detrahunt, negare non audent. Tametſi enim hæretica peruerſitate inſanientes doceant, Eccleſiam totam errare poſſe, & de facto errâſſe: tamen quod in errore perpetuo manſura ſit, (niſi ſeipſos etiam, qui eam reformâſſe gloriantur, erroris condemnare velint) affirmare non audebunt.

Efficax diſcurſus aduerſus eos qui fingunt Eccleſiã erraſſe.

Poſito vero quod certum ſit (etiam iuxta doctrinam iſtorum) Deum nunquam permiſſurum Eccleſiam ſuam in perpetuo errore iacere, multò certiùs eſſe debet, quod non permittet eam in errorem omninò labi. Iſtud enim ſcripturæ ſacræ expreſſè teſtantur, illud vero nullibi in eis exprimitur. Quod enim Deus Eccleſiam vniuerſalem in

errorem collapſam, ad fidei integritatem reducere promiſerit, nuſquam in ſacris Biblijs legitur: promiſiſſe vero eam ab errore conſeruare inde patet, quod pollicitus ſit paſtoribus eius adeſſe *omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi;* quod etiam promiſerit, *portas inferorum nunquam contra eam præualituras*: quod columnam & firmamentum veritatis eam vocet, & alia huiuſmodi multa. Ex quibus omnibus apperte tandem concluditur, Deum Eccleſiam ſuam ab omni errore medijs paſtoribus præſeruaturum: ac proinde eos omnes ſimul in errorem nunquam caſuros, ſed ſemper aliquos in fide integros, qui fratres ſuos in veritate confirmare, & ab errore conuertere queant, perſeueraturos: atque adeo paſtores à populo ſuo docendos eſſe nunquam contingere poſſe.

Math. 28. 20.

Math. 16. 18.

Alterum ex dictis corollarium eſt, quod quotieſcunque nouus aliquis prædicator vel Euangeliſta in lucem prodeat, qui dogmata, quæ communi atque receptæ Eccleſiæ doctrinæ aduerſari videntur, diſſeminat, prius de legitima eius ad prædicandi munus vocatione, quam de qualitate doctrinæ illius in-

Examinatio vocationis præcedit doctrinæ examinationem.

quiri, & cognoſci debeat. Et hoc non tantum, quia legitima vocatio notior eſt omnibus, quam veritas doctrinæ (vt iam ſupra diximus, & inferius latiùs dicemus) ac proinde iuxta ordinem naturæ, (quæ à notioribus ad minus nota ſemper progreditur) illius cognitio iſtius cognitionem neceſſario præcedere debet: ſed etiam, quia à canonica vocatione, ſeu miſſione legitima, qua prædicandi poteſtas hominibus confertur, prædicatio ipſa adeo neceſſariò dependet, vt hæc abſque illa nullo modo validè exerceri poſſit, teſte Apoſtolo dicente, *quomodo prædicabunt niſi mittantur*? Et ratio iſtius tum ex ipſo Apoſtolo, tum ex *Tertulliano*, & euidenti diſcurſu naturali ſatis clarè ſuperiùs deducta eſt. Quicunque igitur abſque legitima vocatione in prædicandi diuini verbi munus ſeſe ingerit, etiamſi doctrinam ſanam vbique proferat, non tamen vt legitimus paſtor, qui intrat per oſtium in ouile ouiũ recipiendus eſt, & audiendus: ſed vt fur & latro, qui aſcendit aliundè, vt oues *Chriſti* perdat & mactet, fugiendus & deteſtandus. Neque ius aliquod, aut poteſtatem docendi fidem tanquam paſtor

Pa. 17. 18.

Ioa. 10. 1. 2.

habebit iſte, ſed à paſtoribus approbatis, tanquam ouis dicere, & audire debet, tametſi fortaſſis ſeipſum ſatis idoneum, vt alios doceat, exiſtimet. *Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt* (inquit Apoſtolus,) *ſed quem Deus commendat.*

2. Cor. 10. 17.

Neque hoc quidẽ peculiare eſt paſtoribus Eccleſiæ, ſed commune omnibus plane magiſtratibus, etiam humanis & politicis. Notiſſimum enim eſt, quod ille qui officium aliquod, munuſue politicum & ciuile exercet, non in proprio, ſed in alterius nomine (vt Paſtores omnes in nomine *Chriſti* ſuo munere funguntur) debet literas patentes, quibus poteſtas talis fungendi muneris ei confertur, priuſquam munus illud validè exercere poſſit, in medium proferre. Et qui aliter faceret, magiſtratúmque aliquẽ abſque poteſtate legitimè ſibi conceſſa exerceret, perduellionis reus haberetur, quia nimirũ abſque domini ſui conſenſu, & conceſſione magiſtratum ſibi vſurpat: Et non tantum ipſe perduellionis reus eſſet, ſed etiam illi omnes, qui imperio eius vſurpato obedirent, eique in tali vſurpatione adhære-

rent, vel quoquò modo fauerent.

Ex quibus omnibus manifestum relinquitur eum, qui in fide timet errare vel decipi, Pastores à Deo constitutos, vt alios in via salutis instruant, prius inuestigare debere, quam quid credēdum fuerit, scire poterit. Qui enim vel actu aliquid credit, vel quid credendum sit quærit, antequam eos, qui diuina institutione magistri fidei constituuntur, rectè nouerit, non tam errandi periculo sese exponit, quam errorem ipsum sciēs ac volens amplectitur.

Recapitulatio. dictorū.

Fundamento hoc satis firmiter stabilito, vtpote & ex sacris scripturis, ac ratione naturali euidenter confirmato, solum iam restat, ea media eásque rationes exquirere quibus illi, quos Deus populi sui in recta fide duces ac Doctores instituit, facilè inueniri, atque à falsis Doctoribus rectè dignosci possint. Si verò ea nobis suppetat ratio, legitimos Ecclesiæ Pastores inueniendi, atque à falsis Doctoribus discernendi, quæ non minus facilis, minusue in se sit certa, quam quæ veros & authenticos in ciuili Republica magistratus ostendit, & ab vsurpatoribus discernit (quod ex infra di-

cendis verum esse constabit) via ad æternam beatámque vitam adeo directa apparebit, vt stulti (nisi scienter & voluntariè excutientes) per eam errare non possint. Adeóque quod initio huius capitis diximus, verissimum esse ostenditur, nimirum, si homines vel minimam illius diligentiæ partem in iis perficiendis, quæ ad vitam ęternam acquirendam spectant, adhibere vellent, quam in procurandis rebus temporalibus exercere solēt, tam turpiter in eis decipi (vt quotidiana experientia eos deceptos probat) nullo modo possent.

Eò igitur tota sequēs disputatio tendit, vt illos, qui veritatem fidei nobis tradendi à Deo potestatem acceperunt, & quibus propterea docentibus securè credere, cæterorum omnium reiectis suggestionibus, & possumus, & debemus, quasi digito demonstratos ostendat.

CAPVT SECVNDVM.

Principia quædam ad controuersiam de vocatione Ministrorum Ecclesiasticorum spectantia, tam à Protestantibus quàm Catholicis concessa.

VT quæstiones superuacaneas, minusue necessarias euitemus, & conuenientiori methodo in nostra disputatione procedamus, operæpretium duximus, antequam vlterius progrediamur, fundamenta quædam, siue principia hîc ponere, ad præsentem controuersiam rectè determinandam conducentia, & ab vtraque litigantium parte concessa.

Primò tamen obseruãdum occurrit, quęstionem tantummodo futuram esse, de Protestantium Ministrorum vocatione (impræsentiarũ enim omnes falso dictos Reformistas, Protestantes appello) num scilicet legitima sit, necnè. Nam Ecclesiæ Catholicæ Pastores, legitima, vel saltem sufficienti ad magistratum

Ecclesiasticum gerendum vocatione gaudere ab eorum aduersarijs non negatum videtur. Res quidem obseruatione dignissima, vt pote quæ præfatæ Ecclesiæ ministros, legitimos omninò pastores esse, clarè demonstrat. Aliter enim acerrimos, & plusquam caninos tot virulentorum aduersariorum, qui à multis sæculis propter diuersas occasiones, Ecclesiam illam hostiliter impugnârunt, totisque viribus euertere conati sunt, dentes, nunquam sine dubio euitâsset: præsertim cum ad illius euersionem, (quam auidissimè semper ipsi sitiuerunt) nullum validius telum, nullum efficacius medium vspiam inueniri vel excogitarì possit, quam legitimis pastoribus eam esse destitutam ostendere. Argumentum igitur euidens est, illius hostes nec leuem quidem alicuius vitij vel defectus suspicionem ex hac parte illi affingere potuisse, cum ex alijs infinitis penè capitibus eam continuò impugnantes, istud semper intactum reliquerint; cum tamen minimus huius perfectionis seu integritatis defectus, & euidentior omnibus apparuisset, & vehementiùs ab aduersarijs damnatus fuisset. Scio equi-

Vocatio pastorũ Catholicorum nunquã in dubium vocata.

dem aliquos huius temporis ſectarios fuiſſe, qui cœco quodam furore perciti, contra ſacros Eccleſiæ Catholicæ ordines, & conſecrationum ritus (vt poſtea patebit opprobriorum, maledictorumque virus, non rarò eructârunt: attamen argumentorum robore, & rationum momentis, eos tanquam ſpurios, falſóue confictos refutare, nullum eorum quod ſciam vnquam aggreſſus eſt. Quãuis autem directam eorum refutationem (ipſius veritatis euidentia conuicti) nunquam ſunt auſi attentare, eos tamen maledicta quadam rabie inſectantes, maculis iniectis nonnihil fœdare contenderunt. In quo non diſſimiles mihi videntur impuriſſimis ganeonibus, qui impietatis & nequitiæ conuicti, eos virulento ore proſcindere, & criminationibus impudenter reſpergere ſolent, qui ſe ob turpitudinem ſuam & ſpurcitiem piè iuſtéque redarguunt. Sed iſta obiter adnotâſſe ſufficiat, inſtitutum noſtrum iam proſequamur.

Proteſtantes communiter cum Catholicis docent primò, quod munus prædicandi, & ſacramenta in Eccleſia adminiſtrandi, vt rectè validéque

exerceatur, potestatem specialem requirat. Ita *Caluinistæ Galli* in confessione fidei suæ profitentur. *Quantum ad veram Ecclesiam spectat, credimus illam debere iuxta politiam à Christo Domino stabilitã gubernari: hoc est, habere pastores, superintendentes, & Diaconos vt puritas doctrinæ in ea conseruetur, vt vitia corrigãtur, &c.* Et iterum. *Credimus neminem debere sua propria authoritate in Ecclesiæ regimen se ingerere. Quod omnes pastores, superintendentes, & Diaconi, de sua ad ista munera vocatione testimonium habeant.*

Art. 29.

Art. 31.

Protestantes etiam *Angli* idem profitentur his verbis. *Nemini licet publicæ prædicationis, vel sacramentorum administrationis munus sibi assumere, antequam ad illud exercendum legitimè vocetur & mittatur.*

Art. 23.

Secundò cum Catholicis docent, quod istud prædicandi, & sacramenta administrandi munus adeo ex *Christi* institutione necessarium sit, (vt stante ordinaria Dei prouidentia) Ecclesia sine illo conseruari non possit, ac proinde necesse esse, vt pastores, qui illud munus legitimè exercere valeant, in ea continuò ordinentur. Ita expresse profitentur *Caluinistæ Galli* his verbis. *Credimus ordinem Ecclesiæ per Christum institutum sacrosanctum*

Art. 25.

ſanctum ac inuiolabilem eſſe debere, ac proinde Eccleſiam abſque paſtoribus, qui docendi munus habeant, non poſſe conſiſtere; vnde fanaticos illos homines, qui miniſterium prædicationis verbi Dei, & ſacramentorum (quantum in illis eſt) tollere conantur, deteſtamur. Idem etiam docent in Catechiſmo ſuo iiſdem penè verbis.

Dominica 45.

Tertiò denique communiter cum Catholicis docent, quod poteſtatem ad legitimum officij paſtoralis vſum, & exercitium neceſſariò requiſitam nemo habere poſſit, niſi illam à Deo accipiat per *Ieſum Chriſtum, cui data eſt omnis poteſtas in cælo & in terra. Et qui alios ad prædicandum Dei Euangelium mittit, ſicut & ipſe à patre miſſus fuit.* Hoc adeo ex ſe clarum eſt, & adeo directè ex poſitis principijs conſequitur, vt à nullo negari poſſit. Et præterea tam *Caluiniſtæ Galli*, quàm *Proteſtantes Angli* in articulis fidei ſuæ iam allatis, ſatis expreſsè id profitentur, credentes neminem poſſe, vel debere propria ſua authoritate munus prædicandi, & ſacramenta adminiſtrandi ſibi aſſumere, antequam ad id legitimè vocetur.

Matth. 28. 18. Io. 20. 21.

His poſitis principijs, vtpote tam à Proteſtantibus quam à Catholicis con-

cessis & pro ipsa veritate agnitis, restat iam examinare, vtrum eorum ministri (quocunque nomine vocentur) legitimam hanc prædicandi, & administrandi sacramenta potestatem à *Christo* Domino aliquandò receperint. Nam si illam reuera nunquam receperint, tantum aberit vt sint veri pastores, qui per ostium, quod est *Christus*, in ouile ouium intrauerunt, vt fures ac latrones, qui aliundè ascenderunt necessariò habendi sint.

*Ioan.*10. 1. 2.

Vbi aduertendum est, ista duo, nimirum, habere legitimam vocationem, & habere sufficientem legitimæ vocationis testificationem seu probationem, non subtiliter hîc abuinicem separari, vel distingui, sed potius pro eodem sumi. Quia quantum ad præsentis quæstionis declarationem spectat, idem omninò erit legitimam vocationem non habere, ac illam sufficienti testificatione probare non posse: idque rationabiliter quidem, cum nemo talem potestatem recipere possit, nisi per ea media, quæ & efficaciter illam conferunt, & euidenter etiam collatam demonstrant. Quod etiam *Caluinistæ Galli* profitentur dicentes. *Credimus nos semper hanc regulam sequi debere, quod*

*Art.*31.

omnes Pastores, superintendentes, & Diaconi vocationis ad munera sua testimonium habeant. In sequentibus igitur probationes omnes, quibus vocationes suas ad ministerium Ecclesiasticum quocunque modo astruere solent *Protestantes*, examinabimus.

CAPVT TERTIVM.

Vtrum qui vel per seipsum, vel etiam per alios iudicatur idoneus, vt munere pastorali in Ecclesia fungatur, eo ipsò legitimam ad illud exercendum vocationem, seu potestatem habeat.

TAm in hoc, quàm in sequentibus capitibus, fit tantum mentio de prædicatione verbi, & sacramentorum administratione, non quod ista duo tantum ad munus pastorale in Ecclesia Dei pertineant, sed quia à *Protestantibus* tanquã ad illud munus spectantia conceduntur. & præterea ad præsentis controuersiæ decisionem abundè sufficiunt, absque eo

quod quæstiones de potestate sacrificiũ offerendi, & Constitutiones seu Canones constituendi, (de quibus nonnulla est controuersia) hîc inuoluamus. Hoc prænotato pro resolutione quæstionis propositæ, atque etiam sequentium, sciendum est, necessariò supponendam esse certam aliquam rationem, qua veri pastores legitimam suam missionẽ adeo euidenter probent, vt ij, ad quos mittuntur, de eorum canonica legatione rationabiliter dubitare nequeant, sed adeo de ea securi reddantur, vt nullam timendi occasionem habeant, ne lupum, vel latronem loco legitimi pastoris recipiant. Nam si nulla esset certa ratio veros legitimosque pastores à falsis prophetis dignoscendi, satis incongruê (si non omninò irrationabiliter) *Christus* Dominus nos à falsis Prophetis, lupis, ac latronibus cauere toties, atque tam grauiter admoneret. Quomodo enim ab eo cauere potest quis, quem ab ijs, quos sub interminatione recipere iubetur, internoscere nescit? Siquidem *Christus* de ciuitate illa, quæ Apostolos suos (id est pastores & prædicatores ab eo missos) non recipit, seueram hanc pronuntiat sententiã,

Legitima vocatio cõstare debet.

Amen dico vobis tolerabilius erit terræ Sodo-rorum, & Gomorrhæorum in die iudicij, quam illi ciuitati. Et alio in loco dicit. *Qui vos spernit, me spernit.* Cum itaque ex vna parte seriò admoneat cauendum nobis esse à falsis prophetis, (quos nimirum ipse non misit,) tanquam à lupis rapacibus: & ex alia parte seueram nobis pœnam comminentur, nisi eos, quos ipse misit, recipiamus: clarissimum est, eum certam aliquam rationem vtrosque cognoscendi, atque etiam ab inuicem dignoscendi, nobis præparâsse, alias enim impossibile nobis esset vtrumque hunc scopulum euitare.

Math. 10. 15.

Luc. 10. 16.

His præsuppositis quæstio præsens facilem habet resolutionem. Clarum enim est neminem pastorale munus exercendi potestatem habere, ex eo solo, quòd illi muneri maximè aptus, & idoneus iudicetur. Sacra namque scriptura expressè docet *nullum prædicare posse nisi mittatur, neque quenquam sumere sibi (sacerdotij) honorem, nisi qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Quod adeo verum est, vt etiam locum habeat in ipso *Christo*, qui vt idem testatur Apostolus, *non seipsum clarificauit vt Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum, fi-*

Rom. 10. 15.

Hebr. 5. 4.

Ibidem.

Munus pastorale sibi assumens rebellis est Christo.

lius meus es tu, ego hodie genui te. Qui itaque istud sacerdotij, & pastoralis muneris officium propria sua authoritate sibi assumit, tametsi illi aptissimus iudicetur, sacrilegij & rebellionis contra Deum & Ecclesiam suam, manifestè erit reus; & non ipse solus, sed etiam omnes illi qui in sua vsurpatione ei adhærent, vel quoquo modo fauent. Et ratio est clara: Qui enim quodcunque munus non proprio, sed alieno nomine exercens, illo fungitur absque eius consensu & concessione, sub cuius nomine illud exercet, manifestum ei irrogat iniuriam, authoritatem & potestatem eius (quod est ius quoddam nullo pretio comparandum) palam sibi vsurpando. Et si res sit maioris momenti, & præterea persona, cuius authoritas vsurpatur, supremus vsurpantis sit Dominus, (vt clarè accidit in casu administrationis sacramentorum, & verbi diuini prædicationis) tam vsurpator ipse, quam omnes eius fautores perduellionis rei iure habebuntur. Dixi, *qui non proprio, sed alieno nomine munus exercet*: quia, qui proprio suo nomine aliquo fungeretur officio, non habet necesse vt aliquis alius ei consentiat, vel potestatem ad illud

exercendum ei conferat; vt per ſe eſt manifeſtum. Pro ampliori declaratione huius rei (tametſi ex ſe claræ, neque ab aliquo quod ſciam in controuerſiam vocatæ) quia maximi ponderis eſt, pro earum, quæ ſequuntur, quæſtionum elucidatione & deciſione. Sciendum eſt, hoc inter validam alicuius officij ſiue politici, ſiue Eccleſiaſtici executionem, & cuiuſcunque artis, ſiue liberalis, ſiue mechanicæ operationem, & exercitium intereſſe: Quòd illa præter peritiam, & perfectam ſcientiam, requirat neceſſariò poteſtatem, authoritatem, & ius in eo, qui illam exercet, vt valida ſit eius actio: hæc verò præter peritiam ipſius artis nihil aliud requirit, vt illud, quod fit, validè fiat. Hinc eſt quod domus exempli gratia, vel gladius à quocunque architecto vel fabro factus, verè ſit domus, & gladius, cum tamen ſententia lata à non iudice; vel fœdus contractum à non legato, vel procuratore, vel ſacramentum confectum vel collatum à non ſacerdote, (excepto baptiſmate, quod propter abſolutam eius neceſſitatem ab omnibus validè confertur) neque ſit valida ſententia, neque fœdus firmum, neque

Diſcrimen notandum inter officiũ & artem quãcunque.

verum ſacramentum: licet nullus eſſet vel peritiæ, vel iudicij, & experientiæ in proferente, vel conferente defectus. Neque hoc aliundè venit, quàm ex defectu iuris, vel poteſtatis in ijs, qui præfata munera exercent, vel exercere, prætendunt.

Ratio diſcriminis prædicti.

Neque hoc mirum cuiquam videri debet, quandoquidem aptitudo, vel peritia, officium aliquod ſiue ciuile, ſiue Eccleſiaſticum exercendi; diuerſa res ſit, à poteſtate, vel authoritate illud exercendi. Illa enim præſupponitur, iſta verò ſuperadditur. Rex enim vel imperator, dum magiſtratus creat, non facit, ſed ſupponit eos talibus muneribus idoneos, & poteſtatem eis confert illa legitimè, ac validè exercendi. Homines enim à gratia, natura, arte, ſtudio, vel induſtria magiſtratibus fungendis apti fiunt, creantur tamen magiſtratus à Rege, Imperatore, vel alio, qui tali eminet poteſtate, vt magiſtratus creare poſſit. Vnde fit vt omnes, qui magiſtratibus gerendis apti inueniuntur, non ſtatim magiſtratus ſint. Cum itaque poteſtas verbum Dei prædicandi, & ſacramenta eius adminiſtrandi non tantum munus ſit

& officium, ſed munus maximum & præſtantiſſimum, quod hominibus aliquando conceſſum fuit, authoritatem quandam ſeu poteſtatem, vt validè exerceatur, neceſſariò requirit; ſine qua, nulla aptitudo, ſiue à natura, ſiue ab arte, vel etiam ex gratia, illius executionem licitam, aut validam efficere poteſt. Hocq; adeo manifeſtum eſt, tam ex ſcriptura ſacra, quam ex ratione naturali, & humana experientia, vt *Maſonus* noſter non vereatur dicere, *quod etiam ſi quis ſapientior eſſet Salomone, vel Daniele, expectare debet donec à Domino mittatur: qui enim abſque vocatione docet, quomodo ſperare poterit Chriſtum illi adfuturum eſſe?* Et *Beza* ab eodem relatus. *Iſte eſt ordo à filio Dei in Eccleſia ſtabilitus, & ab omnibus veris prophetis & Apoſtolis inuiolabiliter obſeruatus, quod nemo niſi vocatus in Eccleſia docere poſſit.*

Maſon. l. 9.

Beza epiſt. 5.

Et licet quamplurima ſacræ ſcripturæ clariſſima teſtimonia in huius veritatis confirmationem hîc afferre nõ eſſet operoſum, tamen quia res eſt ex ſe clara, & ab ipſis aduerſarijs conceſſa, vnico tantum teſtimonio contenti erimus. Illud vero tale eſt, vt omnem ſacrilegam vſurpationem illicitam ac abominabilem

esse non solum docere, sed etiam vniuersos homines, qui vel minima salutis suæ cura tanguntur, vt illam perfectè detestentur, iure merito mouere possit. Historia hæc in libro *Numerorum* legitur: *Coré* cum esset tantum *Leuita*, ac proindè sacrificium offerre non posset (hoc enim spectabat ad solos sacerdotes) murmurans tamen contra summum sacerdotem *Aaronem*, eum & *Moysem*, quasi vendicato sibi sacerdotio, reliquoque populo ab eo excluso, tyrannidem exercerent accusabat, dicens. *Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus: Cur eleuamini super populum Domini?* Voluit enim sacerdotium commune esse omni populo. Huic consenserunt *Dathan, Abiron*, & *Hor*, qui multos etiam ex populo in eandem seditionem secum traxerunt. Sed Deus sacrilegam eorum rebellionem cito vindicauit: *Coré* enim cum ducentis & quinquaginta complicibus suis, (qui vt ius suum in munere sacerdotali probarent, incensum simul cum *Aarone* offerre præsumpserāt) igne de cœlo consumpti sunt: Thuribula verò, quibus thurificare tentauerant, producta in laminas, iubente Deo, altari

Num. c. 16.

[illegible] dum Dei iudiciū contra sacrilegos sacerdotij vsurpatores.

affigebantur, *vt haberent poſteà filij Iſraël, quibus commonerentur, ne quis accedat alienigena, & qui non eſt de ſemine Aaron, ad offerendum incenſum Domino, ne patiatur ſicut paſſus eſt Coré, & omnis congregatio eius.* Et ſic perierunt primarij delinquentes. Eorum vero fautores & adhærentes, *Dathan* ſcilicet & *Abyron* cũ vxoribus, liberis, & tota eorum ſubſtãtia, terra os ſuũ ſub pedibus eorum aperiente) abſorpti ſunt, & viui deſcenderunt in infernum, tota multitudine filiorum *Iſrael* aſpiciente, & ne eâdem ruinâ inuoluerentur, ab eis fugiente: atque ita dignam coniurationis ſuæ mercedem iſti acceperunt. Neque ſic tamen ceſſauit Dei vindicta. Poſtera enim die, multitudine adhuc ſeditionem contra *Moyſen* & *Aaron* commouente, quaſi ſcilicet ipſi populum innocentem interemiſſent, abſumpſit Deus igne de cœlo quatuordecim millia, & ſeptingẽta capita, totamq; multitudinem deleuiſſet, niſi *Aaronis*, ſummi ſcilicet ſacerdotis precibus & oblatione citiùs placatus fuiſſet.

Sacra hæc Hiſtoria tam exactè & ſolicitè à Spiritu ſancto ad noſtram doctrinam (vt Apoſtolus dicit de cæteris omnibus ſcripturis) litteris commendata, ſa-

Rom. 15. 4.

tis superque testatur, quam horrendum atque enorme delictum sit sacra sacerdotij munia vsurpare, vel ea temerè vsurpantibus quoquo modo fauere & cõsentire. Vtrum verò horũ temporũ sectarij, qui reformationis nomen & honorem falsò sibi vendicent, & eorum sectatores horrendi huius criminis non sint rei, ex infra dicendis clariùs apparebit.

Obstruitur aduersarijs effugiũ. Illud verò interim obseruari debet, quod etiamsi *Coré*, & eius complices in eo singulariter peccarint, quod incensum offerre præsumpserint, cũ sacerdotes non essent, nec potestatem sacrificandi haberent, in genere tamen deliquerunt per sacri muneris vsurpationẽ, illius nimirum officij functionem propria authoritate sibi assumendo, ad quã exercendam nullam potestatem à Deo acceperant. Ac proindè ij omnes, qui propria sua authoritate in sacram aliquã functionem sese ingerunt, etiamsi incẽsum vel aliud sacrificium offerre non intendunt, sacrilegam *Coré* vsurpationem, vel (vt loquitur *S. Iudas*) *contradictionem* manifestè incurrunt. Quemadmodum subditus ille, qui ciuitatis cuiuscunque Domini sui principatum, sibi propria

Iudæ epist. Canon.

poteſtate arrogat, eiuſdem generis crimen, rebellionem nempe incurrit, quod ipſe committit, qui ciuitatis regiæ dominium ſibi vſurpat. Hoc aduertere volui contra ineptam, ac ridiculam planè cuiuſdam *Caluiniſtæ Angli* tergiuerſationem, qui vt ab obiecta illis ſacrilega *Coré* contradictione, ſe ſuoſque ſocios liberaret, reſpondit *Papiſtas* (ſic enim Catholicos indigitat (illius potius criminis reos eſſe, quia nimirum ſacerdotium *Melchiſedech* ſoli *Chriſto* proprium ſibi vendicāt; iſta nempe cauillatione inſinuans, quod quia illi nullum credunt verū noui teſtamenti ſacerdotium vel ſacrificiū, præter illud Crucis, ſacrilegæ *Coré* vſurpationis ſe reos eſſe non poſſe. Quaſi vero, etiāſi hæretici non eſſent, negando verum ac proprium noui teſtamenti perpetuum, ac iuge ſacerdotium ac ſacrificium, non poſſent eſſe, imo de facto non eſſent damnatæ contradictionis *Coré* rei, propter ſacratum diuini verbi, ac ſacramentorum manifeſtè vſurpatum miniſteriū. Equidem ſi legitimam illius miniſterij fungendi poteſtatem non habere conuincantur, illud (væ) quod contra pereuntes in cōtradictione *Coré* pronunciat

Fulk. in annotat. in epiſt. Iudæ.

Apostolus *Iudas*; supra illos, etiamsi sacrificium offerendi potestatem Ecclesiæ *Christi* hæretica peruersitate occæcati obstinatè negent, indubitanter cadet.

CAPVT QVARTVM.

Vtrum is, qui vel à seipso, vel etiam ab alijs diuini verbi, sacramentorumque administrationi idoneus iudicatur, supposito quod alij qui locum pastorum occupant, in muneribus suis obeundis, notabilis negligentiæ crimine constringantur, possit absque alia vocatione ministerium illud sibi assumere, tanquam legitimè ad illud missus vel vocatus.

PRopter doctrinam quandam quorundam Nouatorum, qui omnes homines sufficientem prædicandi verbi diuini, tempore necessitatis, scilicet, quando pastores vel illud præstare negligunt, vel veritatem prædicationis peruertunt, potestatem habere

palam docent, hæc quæstio proponitur.

Lutherus enim infœlicissimæ prolis, non minus infœlix pater, illud expresse docet his verbis. *Pastorum defectu quisque debet seipsum intrudere; tanquam necessitate charitatis fraternæ coactus*. Huc etiam spectat quod alibi docet, nimirum *sacerdotes in nouo testamento non fieri, sed nasci, non ordinari, sed creari, nasci autem in baptismo, esseque omnes prorsus sacerdotes*. Ita ipse ad Senatum *Pragensem*. Et in libro *de captiuitate Babylonica* cap. *de ordine*, docet omnes baptizatos æqualiter esse sacerdotes; vnde aperte sequitur omnes posse munere fungi sacerdotali. Et *Mornæus* non solum id nude docet, sed & fuse probare contendit. Cuius tota de hac re doctrina vt meliore ordine à nobis refutetur, quam ab ipso tradatur, primo assertionem eius exponemus, & refutabimus, deinde argumentis, quibus illam stabilire laborat, satisfaciemus, cum ipse inuerso ordine progreditur, potiorem enim probationum partem conclusioni suæ præmittit, maiori quidem dolo ac fraude, quam arte in eo vtens, nimirum vt animum minus cauti lectoris, ad doctrinam suam in se non solum falsam, sed etiam absur-

Luther. in c. 9. Matth.

Mornæus de Ecclesia ca. 11. pa. 484. edit. Latinæ per le Preux.

dam recipiendam, fucatis quibusdam ratiunculis faciliùs disponeret atque inclinaret. Sic itaque ipse scribit.

Non vt ordo inuertatur; scimus enim dictum fuisse, quomodo prædicabunt nisi mittantur? *Sed quia in generali confusione, formalitates ordinis non semper curāt homines: atque etiam quia admonere vel Ecclesiam necessariæ reformationis, vel priuatam personam salutis suæ, quilibet Christianus sufficientem habet vocationem ex zelo erga Dei gloriam, & charitate erga proximum, relinquendo tamen Ecclesiæ examinandum per scripturas, vtrum admonitio sua benè fuerit fundata, necne.* Hæc ipse.

Ro. 10.

Mens Mornæi obseruāda.

Cuius mentem vt rectè capere possit lector, aduertere oportet eum non loqui de quacunque admonitione Ecclesiæ faciēda, per modū suggestionis, inquisitionis vel delationis, sic enim irreprehēsibilis esset eius doctrina, sed de admonitione facta per viam iudicij absoluti, sententiæ decisiuæ, & definitionis potestatiuæ & pastoralis, vt ex toto eius discursu manifestè statim apparebit. In quo sensu non solum reprehensibilis vti falsa, sed abominabilis vti pernitiosa ab omnibus est censenda.

Per

Per iſtam enim doctrinam omnes omnino homines, non ſolum viri, ſed etiam fœminæ (loquitur enim abſque reſtrictione de omnibus *Chriſtianis*, & ſi eius exempla quicquam valeant, iſtud idem probant) vt Eccleſiam de neceſſaria reformatione admoneant, ſufficientem poteſtatē habere aſſeruntur. Quod adeo illimitatum fundamentum ideo ab eo poſitum eſſe ſuſpicor, vt cum nullam aliam vocationem miniſtelli noui, qui Eccleſiam reformare prætendunt, habere conuincantur, hanc ſaltem, quæ omnibus hominibus, etiam fœminis conuenire dicitur, ſibi iure vendicare queant: Aliàs enim nullus, ſenſu communi præditus, talem doctrinam vnquam protuliſſet.

Quæ imprimis expreſſæ Apoſtoli doctrinæ ex diametro aduerſatur, dicit enim ipſe: *Quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Quam Apoſtoli doctrinam ſe nôſſe fatetur *Mornæus*, ac proinde longè maioris iudicij reus eſt, qui tam directè ei contradicere non timet. Attamen effugere ſe poſſe putat, dicendo, hoc *non inuertere ordinem, ſed ſolum in generali ordinis confuſione formalitates eius non obſeruare:*

Sacrilega Pleſſæi temeritas confutatur.

Quasi vero Apostolus doceret missionẽ prædicatorum, formalitatem, vel circunstantiam aliquam muneri pastorali adiectitiam esse tantummodo, & non omnino necessariò requisitam conditionem. Certè eodem modo dicit missionem prædicatorũ necessariã esse ad legitimã prædicationem, quomodo vel fides ipsa ad Deum rite inuocandum, vel auditum ad fidem habendam, vel denique prædicationem ipsam ad auditum in nobis efficiendum necessariam esse docet: ista enim omnia in eadem serie, textuque sermonis, non minus diuinè & sapienter, quàm eleganter inseruit. Sed fides omninò necessaria est, vt quis Deum verum inuocare possit, vt per se patet: idem etiam constat de auditu ad fidem acquirendam; *fides enim ex auditu est*, vt docet idem Apostolus: atque etiam prædicatio ad auditum non minus est necessaria, quia auditus est per verbum Dei, vt Apostolus tandem concludit. Ergo impius est *Mornæus*, dum contra expressam Apostoli doctrinam dicere audet, missionem prædicatorum esse formalitatẽ quandam ordinis, non necessariò vbique obseruandã.

Secundò, ista *Mornæi* doctrina viam,

ad pacem Ecclesiæ funditùs euertendã; apertissimam sternit, dum nimirum vnicuique eam reformandi plenam facit potestatem: quæ vera est ratio, cur tot sint inter sectarios noui reformatores, quot sunt diuersæ nouæ reformationis sectæ. Quot vero istæ fuerint, licet non facile sit cognoscere, ex multitudine tamen librorum, quos ipsi Nouatores contra se inuicem ediderint, prudens lector innumeras penè esse facilè coniectare potest: vt vero illi, qui in huiusmodi lacunis vertendis non adeo sunt versati, aliquam huius rei coniecturam facere queant, intelligant velim vnum tantummodo authorem *Protestantem* plusquam ducentorum librorum intra septemdecim annorum spatium, à nouis reformatoribus de sola circa Eucharistiam controuersia; in quibus se mutuo vulneribus confodiunt mentionem facere. Neque huius infœlicitatis euitandæ, vlla est possibilis ratio, hac *Mornei* admissa semel doctrina. Si enim *Lutherus* per hanc generalem vocationem, sufficientem reformandæ Ecclesię Romanæ habuerit potestatem, vt docet *Mornæus*, cur similem potestatem non haberet *Zuinglius* reformandi Ecclesiam

Vnde tot inter sectarios noui reformatores.

Hospinianus Hist. sacramēt. parte 2.

Lutheri? Atque etiã Caluinus illã *Zuinglij*; *Seruetus* similiter illam *Caluini*, & ita deinceps, donec turpissimas *Suuenkfeildianorum*, *Libertinorum*, *Anabaptistarum*, aliarumque Christiani orbis pestium penê innumeras sectas, tandem pepererint? Mille & quadringenti anni sunt, quo perspicacissimus *Tertullianus*, istum reformationis pruritum hæreticos titillâsse, & inquietâsse sagaciter obseruauit, sic scribens: *Mentior si non etiam à regulis suis variant inter se, dum vnusquisque proinde suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit. Agnoscit naturam suam, & originis suæ morem, profectus rei. Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni, idem (etiam diceret) Lutheranis quod Luthero de arbitrio suo fidem innouare.* Et propter hanc rationem raro inter hæreticos schisma esse dicit, quia nimirum, vnusquisque suam sectam distinctam à cæteris procreare contendit.

Tertull. de præscript. c. 42.

Verißimum Tert. dictum.

Huic argumento tacite occurrere, & incomparabili malo, quod ex hac sua doctrina necessariò sequitur, opportunum remedium adhibere volens *Morneus*, subiungit, *huiusmodi reformatores Ecclesiæ per scripturas examinandum relinquere de-*

re, vtrum firmum solidumque suæ reformationis fundamentum habuerint, necne. Sed ista præcautio, vel potius cauillatio vana est, atque ei non dissimilis, qua quis ingentem rapacissimorum luporum multitudinem in gregem ouium immittens, moneret, ne vllam earum lacerârent, morderentve, nisi potestate ad id à pastore prius obtenta & concessa. Iudicet enim Christianus orbis, (qui à multis iam annis innumeris fere diuersarum hæresum sectis, se mutuo implacabili odio insectantibus, atque tanquam pessimos hæreticos ad orcũ diris amandãtibus, vexatus fuit) vtrum ista *Mornæi* præcautio satis firma validaque sit ab obsistendum, retardandumue rapidissimum furiosorum hominum impetum, potestatem ex præfata illius doctrina sibi vendicantium, quicquid in aliorum fide displicet, eodem iure quo *Lutherus* fidem *Romanam* reprehendere ac reformare ausus est, reprehendendi & reformandi. Ab isto enim nouo doctore scire vellem, vtrum ij, qui ex fundamento hîc ab eo posito, Ecclesiam necessariæ reformationis admonerent, ita se iudicio eiusdẽ Ecclesiæ submittere debeant, vt ea iudicante ad-

Futilissima Mornæi euasio.

monitionem illam inquieti ac turbulenti spiritus motionem esse, eis à patre mendacij, seditionis, schismatis, & erroris inditam ac inspiratam, ab incepta sua reformatione sub pœna rebellionis contra Ecclesiam incurrendi, cessare tenerentur? Si respondeat affirmatiuè, seipsum condemnat & omnes fratres suos Reformistas, qui sententiæ Ecclesiæ, eorum doctrinam hæreseos condemnāti, eadem planè authoritate, ac solemni ritu, generali scilicet synodo legitimè congregata, qua *Arium*, *Sabellium*, *Macedonium*, *Nestorium*, *Eutichetem*, cęterosque omnes, quos ipsimet legitimè condemnatos fatentur, non acquiescunt neque obediunt.

Si vero dicat sententiam contra eos latam non fuisse legitimam, neque canonicam, quia nimirum non à competenti iudice, sed à parte tantum aduersa, Romana scilicet Ecclesia, quam ipsi reformare student, contra scripturas sacras est pronunciata: Respondetur primò præfatos omnes hęreticos, licet omninò Canonicè condemnatos, hoc idem eadem veritatis, vel probabilitatis specie, respondere potuisse, ac proindè hoc effu-

gium friuolum esse ac inane. Secundò, quando *Lutherus* prætensam suam reformationem ordiri nitebatur, nullus erat in toto orbe (vt ipsemet gloriosè de se iactitat) qui integram eius doctrinam amplectebatur, immo neque ipsemet initio suæ Apostasiæ, omnes hæreses, quas posteà effutijt euomuitque docebat: multo vero minus Ecclesia, quam pro iudice competenti suæ doctrinæ ipse admitteret, existere tunc potuit. Ac proindè vel Ecclesiæ Romanæ iudicium de sua reformatione acceptare debebat, vel omnino nullum expectandum illi erat, & tunc ista *Mornæi* præcautio vel restrictio prorsus est inepta; vt per se constat.

Solus primus eram: solus tum volue-bam hoc saxum. tom. 1. Vvittē-berg. in præfat. & t. 2. fol. 63. Eiusque discipuli idem docent.

Si respondeat huiusmodi reformatores non teneri iudicium Ecclesiæ admittere, illiué acquiescere, nisi quatenus sit conforme verbo Dei: quæram ab illo, quisnam iudicabit, vtrum Ecclesiæ iudicium sit conforme verbo Dei, necné? Si dicat ad Ecclesiam hoc iudicium spectare, tam ipse, quam sui omnes manent condemnati: Si verò dicat ipsum reformatorem hoc determinare posse ac debere, intolerabiliter ineptus erit. Isto

Omnis elabendi via Mornæo præcluditur.

enim posito, restrictio eius vel præcautio similis erit tenuissimæ aranearum telæ, quæ minimo vniuscuiusque reformationem falsissimè prætendentis flatu, facillimè dissipatur, & ad nihilum redigitur. Poterit enim fanaticus quisque Ecclesiam *Geneuensem* reformationis necessariæ eodem iure admonere (vt olim *Seruetus*) non obstante illius Ecclesiæ iudicio in contrarium, quo *Caluinus* Ecclesiam *Augustanam*, & *Lutherus Romanam* reformare prætenderunt. Adeò vt à nouis reformationibus nunquam libera futura sit Ecclesia *Christiana*, quandiù vel supersit malus dæmon, qui inquietos spiritus agitare, & in factiones, schismata, & seditiones propellere non desistet, vel vafri, vanique homines inueniantur in mundo, qui illius impulsum sequi semper erunt parati. Et si fortasse ex his laqueis *Morneus* se extricare posse existimet, dicendo neque ad Ecclesiam, neque ad ipsum reformatorem pertinere hanc quæstionem, nimirum vtrum iudicium Ecclesiæ sit verbo Dei conforme, decidere ac definire, sed tantummodo ad ipsum Dei verbum, plusquam impertinens erit. Primo enim, si hoc ita sit, cur

(dicit ipſe) hoc ad Eccleſiæ iudicium deferri deberet? Secundò, cum in iſto caſu tota controuerſia in eo poſita ſit, vt ſciatur quid verbum Dei doceat ac teſtetur; idem planè erit affirmare hanc controuerſiam debere iudicare hanc controuerſiam, hoc eſt ſeipſam (quo nihil vel ſtultius, vel abſurdius excogitari poſſit) ac dicere, verbum Dei hanc controuerſiam definire debere: cùm tota controuerſia & diſputatio in eo ſita ſupponitur, quid verbum Dei de iſta quæſtione ſentiat, iudicetque.

Tertiò ab iſto nouæ reformationis Rabino ſcire vellem, quid de Anabaptiſtis, Libertinis, Arianis, vel *Seruetianis* ſentiendum ſit, qui omnes corruptionem & hæreſim Eccleſiæ *Geneuenſi* acerrimè obijciunt, eamque proindè reformationis admonent, innixi generali illi vocationi, zelo ſcilicet erga Dei honorem, & charitate erga proximi ſalutem fundatæ; quam ipſe approbat & propugnat. Si reſpondeat Eccleſiam *Geneuenſem* eorum admonitionem ab inquietudine ac ſeditione profectam reijcere, & eorum reformationem tanquam hæreticam reſpuere, ab hac ſententia tanquam à

non iudice, sed à parte tantum aduersa prolata statim prouocabunt. Et si ad verbũ Dei scriptum recurrere, eosque illius testimonio erroris cõuincere putet: cõfestim verbum Dei à partibus suis totaliter stare, atque doctrinæ suæ omninò fauere eousque contestabuntur, vt ista antiquissimi *Tertulliani* dicta verissima esse tandem fateri cogetur. *Deinde quoniam nihil proficiat congressio scripturarum, nisi planè vt aut stomachi quis ineat euersionem, aut cerebri.* Cuius rei hanc reddit rationem. *Ista heresis non recipit quasdam scripturas: & si quas recipit, adiectionibus & detrectationibus ad dispositionem instituti sui interuertit: & si recipit integras: & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones commentata conuertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus. Variæ præsumptiones necessariò nolunt agnoscere ea, per quæ reuincuntur: his nituntur quæ ex falso composuerunt, & quæ de ambiguitate cœperunt. Quid promouebis exercitatissime scripturarum, cum si quid defenderis, negetur ex diuerso, si quid negaueris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in con-*

Tertull. de præscript. c. 17. 18. 19.

tentione: nihil consequêris nisi bilem de blasphematione. Ille verò, si quis est, cuius causa in congressum descendis scripturarum, vt eum dubitantem confirmes, ad veritatem an magis ad hæreses deuerget? Hoc ipso motus, quod te videat nihil promouisse æquo gradu negandi & defendendi, diuersa parte statutum: certè de pari altercatione incertior discedet, nesciens quam hæresim iudicet. Hæc vtique & ipsi habent in nos retorquere. Necesse est enim & illos dicere à nobis potius adulteria scripturarum, & expositionum mendacia inferri, qui proindè sibi defendant veritatem. Ergo non ad scripturas prouocandum est: nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum certa. Hactenus *Tertullianus*, cuius iudicio si credere velit *Mornæus*, decisionem controuersiarum per solam scripturarum authoritatem, neque facilem, neque efficacem esse fateatur necesse est.

Sed quicquid de illius authoritate censebit, aut eorum reformationem, quos tanquam perditissimos hæreticos execratur, *Arianos* scilicet, *Anabaptistas*, & *Libertinos*, pro legitima ac

necessaria admittere debet, aut doctrinam hîc à se traditam, qua turbulentis eorum conatibus apertè patrocinari conuincitur, impiam perniciosamque esse tandem agnoscere compellitur, vtpote vnicuique sub falso & fucato necessariæ reformationis prætextu, turbandi Ecclesiæ pacem, vnitatemque eius dissoluendi, pro suo libito potestatem facientem. Quæ quidem reformandi libertas, vel potius rerum omnium ordinem inuertendi libido, in statu ciuili & politico semel admissa, vel introducta, breuî omnia ita turbaret, susque deque verteret, vt pristinæ pacis, & tranquillitatis vnquam recuperandæ spes nulla remaneret. Si enim cuiuis ambitioso, turbulento, & factioso, contra stabilitam regiminis formam, quicquid sibi libitum esset, sub falso necessariæ reformationis fuco, suggerere, & suggestionibus eius à supremo Senatus Concilio, vti seditiosis, ac communi bono & paci perniciosis, reiectis, condemnatisque ab eorum iudicio, tanquam à parte aduersa lato, ad legem ipsam, non alio modo, quã quo ille eam intelligit, explicandam pro-

Falsus reformationis prætextus tam Ecclesiæ, quam reipub. perniciosus.

uocare liceret, qualis, obſecro, eſſet illius Reipublicæ ſtatus? Miſerrimus certè, ac cõtinuis perturbationibus & immutationibus (quo nihil Reipub. periculoſius eſſe poteſt) neceſſariò obnoxius. Iſtud verò incõmodũ in ſpirituali Eccleſiæ ſtatu, eo grauius, eoq; deplorabilius, adeoque deteſtabilius, quam in ciuilis reipũblicæ regimine exiſtit, quo incomparabiliter maius damnum patitur, qui regni cœleſtis hæreditatem amittit, quam qui temporalis hæreditatis, licet ampliſſimæ, iacturam facit. Et nihilominus homines (tanta eſt humani generis cœca peruerſitas) præ iſto, malum illud nihil facere ſolent. Sed ne videamur arguti tantum in alienæ doctrinæ refutatione, ponamus Catholicam concluſionem, eamque diuinis teſtimonijs contra omnes Nouatores confirmemus.

Catholica concluſio.

Dicendum itaque firmiterque credendum eſt, ſufficientem ad verbi diuini, ſacramentorumque miniſterium vocationem non eſſe, quod quis vel à ſeipſo, vel etiam ab alijs, illi muneri iudicetur idoneus, etiamſi qui locum paſtorum occupant, neglecti officij, iure, vel iniuria accuſati vel ſuſpecti fuerint: immo

qui ob prædictas rationes (non obstante quacunque confusione, quam ipse siue verè, siue falsò in Ecclesiam iam irrepsisse existimaret) illũ sibi assumeret honorem, contra *Christum* & Ecclesiam suam sacrilegus & rebellis esset.

Hæc propositio adeo certa, ac manifesta est ijs omnibus qui sacris scripturis credendum esse sentiunt, vt superfluum planè esset, in illius probatione tempus insumere, nisi horum temporum Nouatores, omni legitima vocatione destituti, vt sacrilegam intrusionem suam quoquo modo excusare, vel leui saltem fuco obtegere possint, contrariam doctrinam astruere non erubescerent, non minus in doctrina sua grauiter impudentes, quàm in sacro munere vsurpando impiè sacrilegi. Præter ea, quæ ex *Mornæo* hanc impietatem expresse docente paulò superiùs retulimus, hæc in eandem sententiam addit. *Quod si qui etiam in perdito, qualem vidimus, Ecclesiæ statu, non expectata eorum aut vocatione, aut approbatione, qui sub pastorum larua gregem Domini miseris modis opprimebant, quidam primum absque hac formali vocatione, verbum Dei annunciarunt: Deinde ab Ecclesiis, quibus mini-*

Mornæus impiam hanc doctrinam tuetur. Pa. 495. edit. Latina.

ſteriũ ſuum conſecrabant, vocati fuerunt, nihilò magis id mirum videri debet, quam ſi populus in Republica libera, nihil moratus tyrannorum cõſenſum & ſuffragia, bonos & prudentes crearent ex legibus magiſtratus. Hæc ipſe in defenſionem Miniſtrorum ſuorum, quorum aliqui, ipſo confitente cucurrerunt abſque eo, quod à quoquam mittebantur: & non vocati ex ſemetipſis venerunt: Euidentiſſimum falſorum Prophetarum, luporum, ac latronum ſignum, ſi ſcriptura vera ſit. Sed cum veritates adeo euidentes probare oporteat, probemus propoſitionem noſtram.

Probatur conclusionis prior pars.

Primò S. *Paulus* teſtatur expreſsè, quod *nemo ſumit ſibi honorem* (ſacerdotij ſcilicet) *niſi qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Et vltra addit. *Sic & Christus non ſeipſum clarificauit vt Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Et *Chriſtus* ipſe non ſemel teſtatur, *quod ex ſeipſo non venerit, ſed quod miſſus fuerit ab eo, qui verus eſt. Quod ex ſeipſo facit nihil, ſed ſicut docuit eum Pater. Et ſicut mandatum dedit ei, ſic facit.*

Hebr. 5. 4.
Pſa. 2. 7.
Pſal. 109. 4.
Io. 7. 28.
8. 42.
Io. 8. 28.
Io. 14. 31.

Io. 14. 10. Io. 8. 28. *Quod verba quæ loquitur, ex seipso non loquitur: & sicut docuit eum Pater, sic loquitur:* Et innumera alia huiusmodi. Iam si ipsemet Dei filius non venerit prædicare nisi missus, neque docuerit nisi quæ didicit, neque operatus sit, nisi quod mandatum ei fuit, (hocque in tempore quo summè necessaria erat reformatio) quis obsecro erit ille (nisi *Antichristi* Spiritu manifestè inflatus) qui aliquid horum neque missus, neque iussus facere audebit, tametsi summam Ecclesię turbationem, ordinis confusionem, reformationis necessitatem prætendat?

Secūdò vt omittamus hîc irrefragabile illud Apostoli testimonium paulò superiùs allatum, quo dicit. *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Alio loco idem Apostolus ordinem à *Christo* Domino in Ecclesia sua stabilitum declarans dicit. *Nūquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores?* manifestè demōstrans neminem talibus gaudere honoribus, nisi qui à Deo eis donatur; hoc enim verbis immediatè præcedentibus docuerat, dicens: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores.* Cum tamen

Ro. 10.

1. Cor. 12. 28.

Mornæus

Mornæus & *Lutherus* etiam, vti ſupra vidimus, magis liberales in donis, quam Deus ipſe, volunt omnes *Chriſtianos* doctores eſſe, vt Eccleſiam de neceſſaria reformatione admoneant, idque non tantum per modum inquiſitionis, narrationis, aut ſuggeſtionis, ſed per abſolutum iudicium, & ſententiam definitiuam. Iſti ſunt magni illi doctores ac magiſtri, qui nihil præter purum Dei verbum ſpirare videntur, quod tamen diabolus ipſe vix tanta impudentia deprauare auderet, quanta iſti illud deprauare conuincuntur.

Tertiò *Chriſtus* ipſe facilem nobis regulam veros paſtores à falſis diſcernendi proponit, dicens. *Amen dico vobis, qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliundè, ille fur eſt & latro. Sed qui intrat per oſtium, ille eſt paſtor ouium.* Quis vero aliundè quam per oſtium (qui eſt *Chriſtus* & ordinatio ab ipſo inſtituta) manifeſtius aſcendit, quam noui noſtri Miniſtelli, qui ad prædicandum, & ſacramenta adminiſtranda à nemine miſſi, ex ſeipſis veniunt? Neque pellis illa ouina, vanus ſcilicet reformandi Eccleſiam prætextus, ad lupina ſua pectora tegen-

Io. 10. 1. 2.

da, illis sufficere potest, quandoquidem tot olim nefandissimos hæreticos, sub eodem specioso reformationis prætextu, iam venisse in mundum, apud omnes etiam ipsos aduersarios, in confesso sit.

Quarto in confirmationem clarissimæ illius veritatis, facile esset testimonia apertissima ipsorũ sectariorum adducere, sed hoc paulò inferiùs faciemus, vbi etiã rationẽ, cur tã apertè sibimet in hac quęstione cõtradicere cogãtur, proferemus.

Pars secunda probatur.

Secunda pars propositæ cõclusionis (nimirum quod qui prædictis rationibus nixus, seipsum in munus sacerdotale, seu sacra administrandi ingerit, atque etiam quod omnes ei consentientes, sacrilegij & rebellionis contra *Christum*, & Ecclesiam suam rei sint nõ obstãte quacunque prætensa necessitate, ex perturbato ordine, aut disciplina corrupta.) Probatur ex nonnullis seuerissimæ diuinæ vindictæ exemplis contra eos ostensis, qui temerario ausu in sacras functiones non vocati, se intrudere præsumpserunt. Quæ si noui nostri Doctores adeo peruigiles, ac sinceri sacræ scripturæ scrutatores essent, vti ab alijs videri cupiunt, facerent, ne sacrum ministerium absque

debita vocatione tam temerè ſibi vendicarent.

Vnicum illud *Coré*, & ſociorum eius ſupra à nobis relatum, cum terribili illo (væ) à S. Apoſtolo *Iuda* cõtra eos omnes fulminato, qui cõtradictionis *Coré* participes ſunt (participant vero omnes, qui ſacra munia abſque vocatione vſurpant) etiamſi nullum aliud in ſacris litteris hac de re extaret teſtimonium, hanc veritatem abunde probat & conuincit. Sed & alia eiuſdem generis hîc addam.

Supra cap. 3. Epiſt. ſua canonica.

Primò *Saul* reiectus eſt à Domino per *Samuelem* Prophetam, ne regnaret ſupra *Iſrael*: quia nimirum ſacrificium offerre præſumpſit, idque niſi ſemel tantum, & neceſſitate ſe ad id, vt exiſtimabat, compellente. In quo caſu *Mornæus* abſque dubio illius factum comprobâſſet, dicendo *formalitates ordinis in tali neceſſitate non eſſe attendendas*.

1. Reg. 13. 13. 14.

Secundò *Ozam* ſubitanea morte percuſſit Deus, eo quod arcam Domini quã calcitrantibus bobus, declinatã, & caſui proximã videbat, manu ſua tenere ac ſuſtinere temerè auſus ſit. Diſpensâſſet cũ ipſo ſine dubio *Mornæus*, quandoquidẽ in

1. Reg. 6. 7.

ſtatu Eccleſię adeo corrupto, qualem nos vidimus homines abſq; formali vocatione etiam prædicare licitè poſſe non dubitat.

2. Paral. 26. 18. 19.

Tertiò, Rex *Ozias*, quia incenſum offerre voluit, & admonitus ab *Azaria* ſummo ſacerdote, vt à tanto ſacrilegio deſiſteret, non deſtitit, lepra percuſſus, leproſus vſque ad diem obitus ſui permanſit. Verum quidem eſt, nullam hîc apparere neceſſitatem, quæ ad hoc faciendum Regem impelleret, qua *Morneus* ſacrilegos ſuos prodromos excuſare ſolet. Attamen perindè hoc eſt. Nam *Azarias* hanc rationem, cur à tali actu deſiſtere debebat, non affert, ſed dicit ei. *Non eſt tui officij Ozia, vt adoleas incenſum Domino, ſed ſacerdotum, hoc eſt filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad huiuſmodi miniſterium.*

Notetur hæc verba.

Quartò denique hanc veritatem manifeſtè confirmat indignatio Domini cõtra ſacerdotes *Ieroboam*, per os viri Dei venientis de *Iuda*, his verbis fulminata. *Altare, Altare, hæc dicit Dominus, ecce filius naſcetur Domui Dauid Ioſias nomine, & immolabit ſuper te ſacerdotes excelſorum, qui nunc in te thura ſuccẽdunt.* Certè ſacerdotes

3. Reg. 13. 1. 2. 3.

isti, quos Dominus per seruum suum exterminare minatur, nonnullam cum Nouatorum ministellis similitudinem habere noscuntur, tum quoad modum, quo ordinantur, vel potius deordinãtur: sicut enim illi, desumpti ex infima plebe, non ex tribu sacerdotali, à Rege impio, absque omni exemplo in antiquitate, vel sacræ scripturæ authoritate facti sunt sacerdotes sine consecratione sacerdotali per filios *Aaron*, sic & isti ordinationem suam, vel deputationem habent à populo vel magistratu, absque omni exemplo antiquitatis, vel sacræ scripturæ testimonio, sine vlla vera consecratione sacerdotali: tum quoad finem ordinationis: sicut enim illi instituti fuerunt humana tantum authoritate, vt distraherent populum à vero & antiquo Dei cultu, eumque à vera Ecclesia separarent, nouo cultu inuento, nouaque congregatione stabilita: ita & isti humana inuentione ordinantur, vt populum Dei ab Orthodoxa fide, antiqua Religione, & vnitate veræ Ecclesiæ seducant, & separent noua doctrina introducta, nouaque congregatione sub titulo Ecclesię incepta ac malè colligata. Quę-

Ministri reformationis, sacerdotibus Ieroboam persimiles.

V. 27.

admodum ergo illi propter multiplicem suam impietatem, execrabiles coram Deo, per sacra testimonia probantur, ita & istos Deo odibiles esse, nullus qui diuinis eloquijs fidem adhibendam existimat, dubitare potest. Et ne quis existimet ministros *Angliæ* potioris conditionis esse, quam aliarum Ecclesiarum prætensæ reformationis ministros, propter quandam Episcopalis ordinis speciem seu vmbram adhuc ibi retentam, (de qua fusè inferius agemus) sciat adhuc extare literas quorundam istorum Episcorum initio regni *Elizabethæ* scriptas isto tenore. *Ego N. virtute literarum patentium Dominæ Reginæ Episcopus*, &c.

Ministri Angliæ non melioris cōditionis.

Vnde clarè constat istos Episcopos per Reginam fuisse factos, sicut olim sacerdotes per *Ieroboam*.

Ratione probatur.

Clarissimis istis sacræ scripturæ testimonijs vnicam tantum rationem ad confirmandam propositionem positam hic addam, quæ fundatur in euidenti illa inter officium quodcunque siue ciuile, siue Ecclesiasticum, & artem distinctione superiùs declarata: nimirum, quod officium præter aptitudinem ad illud exercendum, requirit necessariò vt

validè exerceatur, poteſtatem conceſſam ab eo qui ſupremum habet ius in illo munere: ars vero nullam talem requirit ſuperioris iuris conceſſionem vt validè & licitè exerceri poſſit. Hac enim diſtinctione poſita, manifeſtum eſt neminem neque licitè, neque validè verbi diuini, vel ſacramentorum miniſterium (quod non ſolum officium eſt, ſed ſummum quod hominibus concedi queat) exercere poſſe, niſi poteſtate accepta à *Chriſto*, qui ſupremum habet in iſto munere ius: & qui illud abſquè illius conceſſione ſibi vſurparet, contra *Chriſtum* euidenter rebellis eſſet. Quemadmodum vaſſallus aliquis vel ſeruus, qui abſque Domini ſui authoritate imperium ſeu ius in ſubditos eius ſibi aſſumeret, officium aliquod ciuile ſuper eos exercendo, Domini ſui authoritatem manifeſtè vſurparet, ac proindè illi eſſet rebellis, ſubtrahens illi ius ſuum, & ſe illi æqualem quodammodo faciens. In quo genere olim peccauit *Lucifer*, dicens: *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo*: ſic qui abſque authoritate à *Chriſto* Domino accepta, ſacrorum miniſterium

Iſaiæ 14. 14.

in Ecclesia sua sibi assumeret, sacrilegus & rebellis ipsi, absque omni dubio esset, quia nimirum illius ius, dominium, & potestatem in subditos suos præter eius voluntatem vsurparet, quod speciem quandam rebellionis esse nemo negabit.

Porro non solum ille, qui hoc faceret, perduellionis & sacrilegij reus esset, sed etiam ij omnes, qui in talem consentirent vsurpationem: in quo genere peccarunt omnes cæteri Apostatæ Angli, qui cum *Lucifero* de cœlis ceciderunt: sicut etiam omnes consortes *Coré*, de quibus supra locuti sumus. De qua re *S. Paulus* hanc statuit regulam: *non solum qui talia faciunt digni sunt morte, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Denique cum hoc, quod iam diximus, clarum sit, neque minus sit euidens ex supra probatis, eos, qui aliam ad verbi diuini, & sacramentorum Ecclesię administrationem, vocationem non habent, quam opinionem quandam siue veram, siue falsam (hoc enim nihil interest) quod illi muneri sint idonei, & quod ij, qui in eodem laborant, minus rectè in eo fungendo se gerant, nullam vocationem reuera habere: cum *Christus* neque per seipsum, neque per Apostolos

Ro.1.32.

Recapitulatio.

ſuos, vel etiam per Eccleſiam ſuam huiuſmodi vſurpationem vſpiam approbauit, quin potius expreſsè improbauit, vt ex ſupra allatis conſtat: neceſſe igitur eſt, vt ij, qui ob ſupra dictas rationes munus paſtorale ſibi arrogant, rebelles ſint *Chriſto*, vt ſupremo Eccleſiæ Domino, & cui data eſt omnis poteſtas in cœlo, & in terra. Et non ſolum illi, ſed etiam omnes alij, qui in eadem vſurpatione eis fauent, atque adhæreſcunt. Vtrum autem noui noſtri Euangelici, & eorum ſequaces hoc malo laborent necne, ex infra dicendis, clariùs conſtabit. Et certe ſi nullã aliam reperiantur habere vocationem præter eam, quã hic refutatam vidimus, deteſtabile rebellionis contra *Chriſtum* & Eccleſiam ſuam crimen à ſe nunquam amouere poterunt.

Hactenus ſeditioſam *Mornæi* doctrinam, qua ſingulis Chriſtianis ſufficientem reformandi Eccleſiam poteſtatem tribuit (quæ primum ibi abſque dubio, vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror & confuſio habitat, genita eſt) refutauimus, & oppoſitam Orthodoxam fidem, firmiſſimis ſacræ ſcripturæ teſtimonijs ſtabilitam confirmauimus: reſtat vt futi-

14. 14. *Argumenta Mornæi reijciuntur.* *Notetur istud.*

libus illius argumẽtis satisfaciamus. Sed obiter monendus est prudens Lector, nihil planè *Mornæum* pro suæ doctrinæ, qua tam immensam vocationis pastoralis latitudinem astruit, confirmatione proferre, quam quod vel *Ariani*, *Nestoriani*, *Pelagiani*, & quiuis alij, condemnati hæretici olim potuerunt, vel quod *Anabaptistæ*, *Libertini*, & alij similes sectarij, quos *Mornæus* omni execratione propter absurdas eorum hæreses dignos iudicat, in suarum hæreseon confirmationem, eadem prorsus facilitate, & probabilitatis specie proferre possunt. Quæ vnica obseruatio totam vniuersæ argumentationis suæ vim, antequam proponatur, penitùs destruit. Sed singula videamus, tu interim, lector, dum referantur, perpende num obseruatio iam facta, omnino verissima non sit. Sic itaque disputationem suam orditur.

Mornæus de Ecclesia c. 11. ad initiũ. *2. Paralip. 18. 23.*

Quærunt qua vocatione freti nostri pastores Ecclesiæ reformandæ ac docẽdæ partes susceperint. Hoc illud est, quod Micheæ Pseudopropheta Sedecias regerebat. Quando (inquit) *transiuit Spiritus Domini à me vt te alloqueretur? Ita Pharisæi Christo: Tu fabri es filius,*

quis te misit? Et summi sacerdotes Apostolis: Qua auctoritate hæc facitis? Quibus ex Christi verbis res tota expediri potest: verba quæ loquimur, testimonium reddunt de nobis.

Act. 4. 7.

Præterquam quod ista omnia totidem verbis ab *Anabaptistis*, *Libertinis*, *vel Seruetianis Morn.eo* quærenti qua vocatione freti, Ecclesiam *Geneuensem* reformare contendunt, responderi possint, ac proindè inania esse, necesse est ipse fateatur, ad præsens institutum impertinentia omninò sunt. In nullo enim dictorum locorum quæstio erat de vocatione ordinaria pastorum, vt loca ipsa inspicienti statim patebit. Deindè nullus illorum de vocatione seu missione sua iuterrogatus, conqueritur de iniuria sibi irrogata: sed contra omnes tantam tamque euidentem legitimæ suæ missionis demonstrationem præbuerunt, per manifesta miracula & futurorum prædictiones, vt eorum aduersarij eam admirari cogerentur, tametsi propria obstinatione in transuersum acti, eam agnoscere noluerunt. Proferãt itaque noui isti reformatores, similẽ missionis suę attestationẽ, & amplius molesti eis hac de causa non erimus. Donec vero

Ineptus Morneus.

personas Ecclesiasticas, & fidei Orthodoxæ professores, in exilium pellunt, in carceres conijciunt, omnique tormentorum genere torquent, sicut olim *Ariani*, quorum gestis historiæ Ecclesiasticæ refertæ sunt. De *Donatistis* verò, *Optatus S. Augustino* antiquior testatur, quod Ecclesias succẽderint, sacratissima corporis & sanguinis *Christi* sacramenta bestijs proiecerint, altaria subuerterint, sacros calices confregerint ac conflauerint, oleum sacrum polluerint, vestimenta sacra vendiderint, & innumera alia huiusmodi facinora patrauerint. Iudicet iam orbis, qui nouatores nostros expertus est, num in his omnibus *Donatistas* longe non superauerint, aut saltem non æquales illis fuerint: ac proinde, si regula Saluatoris qua ex fuctibus doctores cognoscendos esse docet, vera habenda sit, ex schola eiusdem magistri, Cacodæmonis scilicet prodijsse, dubitari nequit.

Theod. lib. 2. c. 8. & 15. Sozom. l. 7. c. 13. 14. Ath. Apol. 2. & epist. ad solitarios. Optatus lib. 6. Contra Parme. sparsim per totũ.

Sed supponamus cõtra veritatem, textum allatum à *Morneo*, scilicet, *verba quæ loquimur testimonium reddunt de nobis*: sacram esse scripturam, & quæramus ab eo, quid ipse *Arianis*, *Anabaptistis*, & cœteris, quos ipse hæreticos agnoscit, hunc

Ad absurdum redactus Morneus.

textum illi, & Ecclesiæ *Geneuensi* obijcientibus, responsurus sit. Equidem si ista breuis sententia, *verba quæ loquimur testimonium reddunt de nobis*, sufficiat ad *Papistarum* (vt eos vocat *Mornæus*) ora obstruenda, dum de vocatione sua *Protestãtes* interrogant, necesse est vt ipse os suũ obfirmatum eadem responsione habeat, & consequenter omnes, qui eandẽ proferre poterunt (omnes vero hæretici eadem facilitate, & veritate, qua *Mornæus*, poterunt) pro legitimis pastoribus & prędicatoribus admittere cogetur, quod quàm euidenter absurdum ac perniciosum sit, vnicuique sensu tantum communi prædito iudicandum relinquo. Subiungit ille.

Mornæus.

Ad hæc, longa successionis serie, filiorumque Abrahæ, & Petri hæredum successione efferuntur, quibus Christus: Vos semen Abrahæ estis, attamen vos à patre diabolo estis. Et Paulus. Ne quis vos seducat, futurum est, vt Antichristus sedeat in templo Dei.

Quia success. sionem ipsi non habent ideo eã spernũt.

Iste, quia ambulat in tenebris, nescit quo vadit. Suscepit iam vocationem suorum propugnare, & statim illam deserens pastorum Catholicorum vocatio

nem non minus ineptè, quam confusè impugnare aggreditur. Quia enim suos de successionis serie gloriari non posse rectè nouit, illam in nostris vituperare videtur: in eo non omnino vulpi absimilis, quæ cum caudam amisisset, eam vti incōmodam, atque onerosam spernendam esse alijs sui generis persuadere (frustra tamen) laborabat. Successionis quidem seriem à *S. Petro* in confirmationem legitimæ vocationis pastorum nostrorum libenter proferimus, nō quia illam solā ad stabiliendam verā vocationem sufficere existimemus: sed quia vbicūque illa sola non inuenitur, sicut cū nouatoribus non inueniri, ipsimet fatentur, legitimā vocationē ibi non esse certò scimus. Et cōtra successionem hoc sensu allegatam, testimonia ab eo allata non solum inualida, sed & inepta planè sunt. Et quantum ad secundum simile est ac si quis ita diceret. *Filius perditionis sedebit in templo Dei. Ergo Mornæus non est homo.* Non minor est enim in hac argumentatione vis & connexio, quam in ista quæ ab illo fit, nimirum, *filius perditionis sedebit in templo Dei. Ergo successio personalis in pastoribus Ecclesiæ, non est respicienda.* Pergit ipse.

Mornæus.

Vrbe flammis infestata, aut hoste scalis admotis eam medijs in tenebris tentante, si quis ex infima plebe vigiles excitet dormientes, vel ex ciuium, vel etiam exterorum numero, quo iure id faciat nemo quærit, multo minus etiam in iudicium protrahitur, quin potius ad aquam & mœnia curritur, quid rei sit spectatur, ipse monitor gratiam ab omnibus refert. At vero nos, dum Antichristum in Ecclesia sedentem retegimus, illiusque medio in concilio & coram arguendi suscipimus, non admittimur, non rationes expenduntur, non scripturis expressa vera illius effigies agnoscitur, non ipsis qui sit perpenditur, sed qui sumus, quoue iure admonendi munus arripiamus, quæritur; atque adeo grauiora in nos supplicia, quam in ipsos Reipublicæ proditores decernuntur.

Hæc quæstio, vnde venitis? quis vos misit? vbi potestas vestra prædicandi? omnes torquet hæreticos: & à Tertull. sui temporis sectatoribus fuit proposita.

Ad defensionem suorum reuersus, totam argumentationis suæ vim in quibusdam similitudinibus collocat, quod vilissimum ac debilissimum argumentandi genus esse omnes nôrũt: nihil enim similitudo probat, sed tantum ad maiorem rei in quæstione positæ explicationem inseruit, idque tantum in casu quo apposité applicetur, quod impræsentiarum minimè inuenitur. Nihil enim hîc

Vile argumentandi genus.

dictum

lictum est, quod non vel antiquitùs cō-
lemnati hæretici, contra Ecclesiam Ca-
holicam, vel *Anabaptistæ* & *Libertini* con-
ra *Caluinistas* eodē iure obijcere queāt,
c proindè leuissima tantùm verba sunt:
ed qualiacunque sint, ea perpendamus.
similitudo eius de ciuitate flammis, vel
ostibus infestata, primò contra eum fa-
ilè retorquetur, cum ipsi non flammas
xtinguere, vel hostes à muro repellere,
ed reuera ignem inijcere, & muros ci-
itatis Ecclesiæ scilicet, expugnare, to-
s viribus contendant, vel si res aliter se
abeat, proferant signum aliquod eui-
ens, vel argumentum efficax, quo eo-
im in Ecclesiam ingressus, ab antiquo-
im incendiariorum, & Ecclesię hostiū,
rianorum scilicet, vel quorumuis alio-
im hæreticorum ingressu, & intrusione
scerni possit, sed hoc impossibile illis
it.

Retorquetur in eum illius argumentum.

Secundò similitudo eius fallit in eo,
iod supponat non magis difficile vni-
iique esse errorem in fide, vel abusum
regimine Ecclesiastico, quam ignem
vrbe, vel hostes circa muros discerne-
(quod vt argumentum eius quicquam
obet, supponi debet) fallit dico in hoc

Similitudo eius fallit.

F

eius similitudo, quandoquidem ista sensibus, qui in suis obiectis non decipiuntur, subijciantur: illa vero ad iudicium intellectus, non quidem naturalis, sed fide informati, pertineant, in quo sapientissimi & doctissimi viri lapsi sunt, vt constat in *Tertulliano, Origene, Lucifero*, præter innumeros alios hæreticos, qui non exigua ingenij perspicacitate pollebant.

Falsum supponit.

Tertiò, argumentum eius supponit omnes pastores ita somno posse opprimi, vt ijs inscijs ab hostibus vastari, & decipi possit Ecclesia: quod sacræ scripturæ multis in locis expresse aduersatur. *Super muros tuos Hierusalem, (dicit Dominus,) posui custodes die ac nocte, non tacebunt in perpetuum.* Et *Christus* ipse. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi;* & alia huiusmodi supra citata. Futile ergo, & vanum omninò est argumentum fundatum in ista suppositione, etiamsi esset alioqui maximè Categoricum.

Isaiæ 62. 6. Math. 28.

Mat. 13. 24. Praeoccupatur obiectio.

Neque est quod obijciat nobis quis, parabolam illam hominis, qui seminauit in agro suo bonum semen, & dormientibus hominibus venit inimicus homo, & superseminauit zizania in medio tritici: tametsi enim per zizania intelligamus

hæresim, falsamque doctrinā in cordibus hominum, per diaboli astutiā seminatas, dum negligenter in munere suo fungendo se gerant pastores: qui census licet probabilis, non est tamen illius loci necessarius, tantum nihilominus abest, vt huius parabolę doctrina nouatoribus nostris in prætensis suis reformationibus faueat, vt eorum conatus penitùs euertat: dum statim in eadem parabola subiungitur, quod crescente herba, & apparentibus zizanijs, serui ordinarij patrisfamilias illa & viderunt, & si Domino suo visum fuisset, parati erant etiam eradicare. Vndè clarè constat, non opus esse extraordinarijs hominibus, vt Ecclesia Dei ab errore & hæresi exorta, eorum opera purgetur & conseruetur. Illi ergo, qui veniunt, & nouam doctrinam sub prætextu necessariæ reformationis in Ecclesia dissеminant, vnde venerint, quis eos miserit, quamque potestatem habuerint, iure merito ante omnia interrogantur. Quandoquidem enim *Christus* sponsam suam dilectissimam à lupis in pellibus ouinis latitantibus, sibi cauere adeò solicitè admonuerit: & Apostolus etiam *Paulus* neminem prædicare

posse nisi mittatur, expresse docuerit; Ecclesia quidem vtriusque doctrinam secuta, & authoritate vtriusque munita, ab omnibus prædicatoribus nouam & insolitam doctrinam docentibus, authenticum missionis suæ testimonium iustissimè exegit. Quam si vel nolint, vel nequeant proferre, nec tamen ab infestatione publicæ Ecclesiæ pacis desistere, dignas rebellionis in *Christum*, & regnum eius pœnas dabunt, quæ quam seueræ, & rigorosæ esse debeant, ex ijs intelligi potest, quæ læsæ maiestatis humanæ reis infligi solent.

Impudētissimū Nouatorū scelus.

Quod vero isti reformatores mendaces supremum suum pastorem tanquam *Antichristum* in Ecclesia sedentem *publicè, & in medio concilio arguere in se suscipiant*, in eo tanto sceleratiores, ac maioris impietatis sunt rei, quo maiori temeritate, & impudentia, id attentare præsumunt. Quemadmodum eo impudentior, minusque tolerabilis est eorum subditorum rebellio, qui Regem suum, ac supremum Dominum, publica hostilitate & armis, sub prætextu debellandi tyrannum & vsurpatorem appeterent. Atque si isti zelotæ tanto ardore summum

Pontificem (quam plusquam hæretico furore occæcati *Antichristum* vocant) apertè, & in facie Concilij arguere desiderarent vti *Mornæus* inaniter se hîc iactitat, quare obsecro id non præstiterint, quando Concilium videbant congregatum, & seipsos instanter ad illud inuitatos, tali pro personarum, & rerum suarum securitate, qualem ipsimet experierint, saluo conductu illis concesso? sed reuera tanto desiderio veniendi ad Concilium capiuntur, quanto olim *Arriani*, de quorum peruersitate in hoc genere huic Nouatorum nostrorum non dissimili, qui lubet legere, potest apud *Athanasium* Apologia 2. in Epist. Concilij *Sardicensis*, & apud *Theodoretum* lib. 2. 8. & 15. Subiungit *Mornæus*.

Vide saluum conductum concessũ à Concilio Tridentino. sess. 18.

Mornæus.

Quod si eadem ratione agerent arcium præfecti nonnunquam admoniti, nonne facilis pateret hostibus ad omnia præsidia aditus? Et quis princeps non illos obsecro proditorum numero, partium studiosos, recensendos censeret?

Falso supponit eos, qui de erroribus, corruptelis in Ecclesiã subrepẽtibus pa- stores admonent, vel puniri vel de authoritate sua ad hoc faciendum interrogari.

Falso nititur fundamento.

Et si aliter se res habeat, vnde obsecro factum est, quod tot concilia generalia, nationalia, & prouincialia, in Ecclesia *Romana* ab initio celebrata fuerunt, nisi ex notitia data, & accepta de erroribus in doctrina, & prauitate morum inter fideles exortis? Proferat *Mornæus* instantiam vnam de aliquo malè mulctato pro huiusmodi admonitione Ecclesię, vel pastoribus eius facta. Scio equidem quamplurimos, non quod aliorum errores Ecclesiæ detulerint, sed quod in suis obstinatè post canonicum iudicium permanserint, iustè condemnatos fuisse, de quorũ numero est ipse *Mornæus*, & omnes eius fautores, quorum suggestiones patienter auditæ, rationes diligenter examinatæ, & tandem legitima authoritate (si talis authoritas vnquam fuerit in Ecclesia, de qua soli athei dubitant) iudicatæ, veræ fidei aduersari inueniuntur, ac proindè iniuriâ de Ecclesia *Romana* conqueruntur, ac si non audita causa condemnati fuissent. Sed torquẽtur (& semper torqueantur) quod pastores, *quos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, se loco suo moueri, & gregem *Christi* pretiosissimo suo sanguine acquisitũ, lu-

Act. 2. 28.

ꝓis ac latronibus dilaniandum tradi, non permittunt. Huiusmodi enim sunt illi omnes, *qui non per ostiū intrant in ouile ouiū, sed ascendunt aliundè*, ex ipsius veritatis testimonio. Vide exemplum de præfecto vrbis, vel arcis validè in illum contortum sectione sequenti.

Io. 10.c

Mornæus.

Equidem non hîc, quæ sint insignia nostra, sed quæ sint Antichristi notæ, & doctrina, cōtrouertitur, res eos quos monemus tāgit, salus omniū, adeoque nostra agitur. Si vera est admonitio, est Ecclesiæ salutaris; si falsa ex nobis est. Expendēdæ igitur sunt, eorum quæ dicuntur circumstantiæ, non vero eorum, qui dicunt, qualitates.

Hinc clarè apparet, quam libenter quæstionem de vocatione præterire, & ad controuersiam de doctrina primo cōgressu peruenire cupiat: nō quod vel certior, vel facilior illis sit victoria in hac, quā in illa quæstione, sed quia puluerē obijcere, fumumque facere, hoc est, plura subterfugia, quæ ab ingenijs minus perspicacibus non adeò facilè videri, vel euitari possunt, in quæstionibus de doctrina illis suppetere sciūt. Nōnulli enim sūt, qui vel propter ignorantiā, & ingenij tarditatē nequeunt, vel propter nouitatis

Quæstionem de vocatione subdolè fugiunt.

auiditatem quorum nunc temporis infinitus est numerus, nolunt quæstiones de doctrina discutere, neque tamen (propter nimiam arrogantiam) pastorum suorum doctrinæ acquiescere, sed ex quocunque sacræ scripturæ textu, tametsi in eodem vel simili sensu allato, quo diabolus scripturam contra *Christum* Dominum citâsse noscitur, nouæ suæ doctrinę, ac grati erroris sufficiens ac firmum fundamentum habere se existimant, ac proinde mirum non est si decipiantur, cum in quæstione de vocatione, seu missione, nemo nisi lubens decipi queat; sunt enim eius probationes non minus faciles, & sensibus subiectæ, quam cuiuscunque magistratus ciuilis testificatio, ac proinde vix vlla in eis est deceptionis possibilitas. Et quandoquidem non sit insolita ratio agendi cum eis, qui nouas doctrinas ac peregrina dogmata in Ecclesiam inferre contendunt, eos de missione sua interrogare, vt ex antiquissimo *Tertulliano* constat, qui sui temporis hæreticos hisce quæstionibus exagitat. *Qui estis? vnde venistis? quid in meo facitis, cum mei non estis?* Et scriptura sacra eandem rationem agendi approbet, dum

Probatio vocationis facillima.

Tertull. de præscript.

falſos Prophetas, & lupos in pellibus ouinis venturos, tam clarè nobis denunciat: Falſum eſt quod *Mornæus* obgannit, *quæſtionem non eſſe de eorum qualitate ſeu vocatione, ſed de eorum quæ dicuntur circunſtantiis*, ſcilicet de eorum doctrina. Non ſolum enim de doctrina inter *Catholicos* & *Proteſtantes* controuertitur, ſed etiam de legitima paſtorum vocatione, & miſſione. Et quia Canonica & iuridica prioris quæſtionis, nimirum de doctrina deciſio, à definitione poſterioris (de vocatione ſcilicet) neceſſariò dependeat, vt ſupra oſtenſum eſt, ideo hæc prius ex neceſſitate euacuari debet, quam illa commodè agitari poſſit: Quod & exemplum illud de Præfecto alicuius ciuitatis, vel alterius loci ab ipſomet allatum, ſi recte applicetur, clariſſimè demonſtrat.

Pag. 24.

Retorquetur in ipſum illius exemplum.

Ponamus ergo aliquem *Salmurram*, vbi ille præfectum agit, venire, ibique tanquam præfectum in omnibus ſe gerere, populoque conſtanter affirmare, *Mornæũ* vſurpatorem eſſe, iuratum regis hoſtem, modumque eius regendi omninò tyrannicum, ac proindè vlterius non ferendũ, ſed vti perduellem peſſimum malè mulctandum. Et præterea quod ipſemet

(scilicet nouus iste aduena) sit legitimus eorum præfectus, seruus regis fidelissimus, ac denique gubernator æquissimus, vtpote ad exactam legis normam omnia perfecturus. Interrogatus verò qua authoritate loci præfecturam inuadit, ac *Mornæum* legitima Regis potestate constitutum Præfectum, & à pluribus annis munus illud quietè, & absque illa controuersia possedentem de loco suo deturbat: Eodem modo, ijsdemque verbis, quibus *Mornæus* hic, responderet, *quæstionẽ non esse de sua qualitate, aut potestate, sed de qualitate Mornæi, & de eorum, quæ dicuntur, circunstantijs & qualitate, rem ad eos quos admonet pertinere, si vtique vera fuerit eius admonitio, salus & securitas est loci, cuius præfecturam ambit; sin vero, ab ipso tantummodo prouenit;* quis obsecro peruersitatem suam non detestaretur? Certè exemplo hoc modò posito (quod maximam tam cum *Mornæi* doctrina, quàm cũ ratione agendi *Protestantium* cõtra Ecclesiam Catholicam habet similitudinem) ipsiusmet iudicium appellare ausim, vtrũ secundum iustitiam rectamque rationẽ secum in isto casu actum esset, & vtrum populus *Salmurensis* absque euidenti re-

bellionis crimine in regem, & manifesta
niuria in ipsum, nouum istum hominem
n præfectum suum recipere, ipsumque
Morneum tanquam vsurpatorem & per-
duellem in ius vocare posset.

Ista agendi ratio tametsi omnibus ma-
ifestè sit iniusta & seditiosa, magis ta-
nen iniqua apparebit, si aliam adhuc cō-
itionem, quam ipsi contra Ecclesiā re-
ellando exercere solēt, illi adiungamus.
imirū si iste *Mornæi* aduersarius, non tā-
m authoritatem aliquā, qua pręfecturā
us inuadit, ostendere detrectaret, sed
iam postularet, vt *Mornæus* seipsum à
iminibus obiectis purgaret, non quidē
oram Regis vices gerente, neque alio
ouis ordinario iudice, quia nimirum
os tanquam partes in causa habendos
etenderet: sed per verba ipsa legis, neq;
ab alio, vel in alio censu interpretan-
quā ipse intelligenda esse iudicat. Nō
uidē dubito, quin *Morneus* hoc modo
urbatus, grauissime de summa atq; in-
lita sibi oblata iniuria conquereretur.
c quidē immeritò. Talis enim est iste
ndi modus, vt si in statu ciuili permit-
tur, nullus magistratus vel vno die se-
us esset in suo munere, neque in tali

Adhuc vrgetur contra ipsum illius exēplum. Detestāda plane hominū istorum peruersitas, qui illud in Christū & Ecclesiam suā audere non abhorrent, quod in homuncionem vilissimum tētasse erubescerēt.

ſtatu pax vlla, vel tranquilitas vnquàm ſperari poſſet.

Hinc vnicuique cõmuni ſenſu non penitus deſtituto conſtare poteſt, quam iniqui, quamque vecordes ſint prætenſi noſtri reformatores, qui contra Eccleſiam *Catholicam* veram *Christi* ſponſam, & matrem ſuam, (ſi *Christiani* eſſe volunt) eiuſque paſtores ſimili omninò ratione agunt. Sciendum enim, eos nunquam tãquam delatores, aut accuſatores, ſed vt iudices contra Eccleſiam ſe geſſiſſe: neque cauſas ſuas vnquam tanquam dubias, aut controuerſas, legitimo iudicio diſcutiendas, & definiendas propoſuiſſe (quod nemini prohibetur) ſed ipſimet, ac ſi ſupremi eſſent in propria cauſa iudices, Eccleſiam Dei falſitatis & erroris, eiuſque paſtores *Antichriſtianæ* rebellionis iniquiſſimè condemnarunt: & nihilominus de iniuria ſibi illata grauiter querũtur, quòd de authoritate, quâ iſta faciũt, interrogantur. Quæ ſtupiditas, vel potius affectata peruerſitas?

Improbatis Catholicis paſtoribus non ſtatim probantur alij legitimi.

Atque hic obiter aduertendum erit, quod tametſi Eccleſia *Catholica* (per impoſſibile) erroris, & eius etiam paſtores rebellionis contra *Chriſtum* conuincerentur, non propterèa tamen nouatores no-

ſtri (abſque canonica vocationis ſuæ atteſtatione) legitimi paſtores ſtatim conſtituerentur. Quemadmodum enim, etiamſi *Mornæus* (in caſu ſuprà poſito) perduellionis & intruſionis reus inueniretur, non propterea tamen poterit vel eius aduerſarius abſque Regis patentibus locum eius occupare, non obſtante quod ſummam prætenderet, ac promitteret in illo munere exercendo fidelitatem & æquitatem, vel populus ille vti præfectum ſuum eum admittere. Et ſi id facerent læſæ maieſtatis & rebellionis manifeſtè eſſent rei. Eodem prorſus modo, neque reformiſtæ noui munera paſtoralia ſibi abſque vocatione aſſumentes, neque qui eos recipiunt ac ſequuntur, rebellionis contra *Chriſtum*, & Eccleſiam eius, crimine immunes eſſe poterunt; etiamſi Eccleſia *Romana* (per impoſſibile vt iam diximus) & paſtores eius rebellionis verè iuſtéq; arguerentur. Quapropter manifeſtum relinquitur, quod quomodocunque quæſtiones de doctrina inter *Catholicos* & *Proteſtantes* controuerſæ, pro, vel cõtra eos decidãtur, ius tamen quam legitimam vel prædicandi, vel ſacramenta adminiſtrandi in

Ecclesia potestatem exercere possint, eos talem habere potestatem constare debet, ac proinde dubitatio, seu controuersia de eorum vocatione ante omnem aliam quæstionem necessariò definienda erit. Pergit in disputatione sua *Mornæus*.

Mornæus.

Catilinaria coniuratione Senatus patientem sordidissimæ fœminæ præbuit aurem, aduersus amplissimos in Republica viros. Gallis intempesta nocte Romanum Capitolium inuadentibus, silebant excubiæ, canes muti erant, solæ anseres clanxerunt, vndequaque tamen magna cura concursum est, ac ni clangor ille obstitisset, vrbs illa periysset, quæ paulò pòst mundum vniuersum perdomuit. Age igitur, in infimis Ecclesiæ subsellijs sedeamus, audientiam nobis fieri æquum est præsertim cum auribus insusurrare calumniatorum more nolumus, sed coram Ecclesia, & in ipsius etiam, quem accusamus auribus, non nostro, sed Dei ipsius nomine audiri, sed verbi ipsius authoritate postulemus.

Ridiculus Mornæus & semper ineptus.

Vt ineptias istas de mulieribus & anseribus (dignis quidem nouæ reformationis testibus) authori relinquamus, quid hic vides lector, quod *Seruetus* (quem *Caluinus* cremari effecit, ipsemet ignem me-

ritus) totidem syllabis contra recens reformatam *Geneuensem* Ecclesiam obijcere nequeat? Vel quod *Anabaptistæ, Familiani,* & *Libertini* (quos *Mornæus* pessimos hæreticos esse iudicat) similiter contra eandem obijcere nequeunt? Isti enim, cum reformationem quærunt, neque auribus insusurrant calumniatorum more, vt ex innumeris eorum libris in lucem editis constat: neque ipsorum, sed Dei nomine, & ipsius verbi authoritate, cuius testimonijs eorum libri refertissimi sunt. Illud itaque idem, quod *Mornæus* istis responderet, sibi dictum putet, neque alio opus est illi responso. Absurdissimũ enim est existimare vnicuique licere, pacem vel Ecclesiæ, vel Reipublicæ sub quocunque leuissimo verbi diuini prætextu (qualem ipse affert) turbare, ac penitùs euertere. Cum autem conqueratur, quasi audientia fuerit illis denegata, & lectori suo imponit, & sibi ipsi manifestè contradicit. Sic enim ipsemet scribit, *Damnati quidem sunt* (scilicet primi sui Euangelistæ) *conuicti, auditi, vocati, sed qua* (inquit) *iustitia? qua iustitiæ forma?* Cui respondeo, eadem iustitia, & iustitiæ forma, qua olim *Arius* condemnatus

Cap. 11.

fuit, scilicet vniuersæ Ecclesiæ in cōcilio cōgregatę approbato iudicio: iniuria igitur conqueritur, quasi auditi non fuissent, vel iniustè condemnati: & non aliter omnes rei ac scelerati, de iudicio contra se iustissimè pronunciato conqueri solent.

Mornæus.

Christus promissus fuerat Iudæis, sed pastoribus excubantibus ab Angelo reuelatur. Illi vero apud populum diuulgant. Si credendum aduersarijs esset, fuissent illi iudicio sistendi.

Cœca hæresis.

Quam miserè cœca est hæresis, & voluntaria peruicacia? Quia pastores, quod viderant, & audierant de Natiuitate Domini, alijs retulerunt, ideo vult *Mornæus* vnumquemque prędicandi, & Ecclesiam etiam stabilitam reformandi potestatem habere: Quasi vero idem esset, miraculum quod aliqui oculis suis vident, alijs narrare, & verbum Dei pastorali authoritate prædicare. Quis non videt huius illationis absurditatem? Quod addit *pastores illos iudicio fuisse sistendos in Catholicorum doctrina*, puerile est Scōma non minus acumine, quam veritate vacuum. Quis enim vidit, vel audiuit vnquam Ecclesiam *Catholicam* quenquam, nisi aut damnatę

Puerile Mornæ Scōma.

damnatę doctrinæ obstinatos propugnatores, aut nouorum dogmatum temerarios disseminatores, in iudicium vocâsse?

Mornæus.

Apollo qui[illegible]e quum tantum Ioannis Baptisma didicisset, nondum poterat Ecclesiastico munere fungi, nihilominus ille in Ephesinam Synagogam ingressus in feruore Spiritus (potens enim erat in scripturis) exponebat viam Domini, Iesum nempe esse Christum Ephesini fratres, quorum curæ erat demandata Christi Ecclesia, non, vt isti, eum expellunt, sed laudato ipsius zelo, hortantur vt in Achaiam transeat, scribuntque discipulis vt eum cum aduenisset, reciperent.

Obstinata peruicacia obcœcauit adeo *Mornæum*, vt contra seipsum manifestè argumentetur. Adducit enim hîc exemplum *Apollonis*, quem dicit *non potuisse munere Ecclesiastico fungi*, vt probet vnumquemque, & consequenter ipsum *Apollonem*, prædicationis munere, quod vtique Ecclesiasticum est officium, ritè fungi posse. Nonne obsecro, manifesta est implicatio in ista argumẽtatione? Nec equidem miror, quandoquidem *qui ambulat in tenebris nesciat quo vadat.* Sed concedatur illi vti miserabiliter cęcucięti ista titubã-

In seipsũ argumẽtatur.

G

tia. Quid, obsecro, fecit *Apollo*, quod Ecclesia *Romana* non permittit modò, sed etiam approbat, in Diaconis? Immo homines laicos probatâ doctrinâ & pietate solidatos, de controuersijs Fidei & Religionis tam scripto, quam verbo disputare non prohibet, sed ad illud faciendum excitat, atque scitè facientes, meritis, laudibus & honoribus ornat, vt de *Henrico* octauo *Angliæ* Rege (vt de innumeris alijs taceamus) constat, qui pro libro cōtra *Lutherum* Religiose elaborato, illud honorarium à Sede Apostolica accipere meruit, vt *fidei defensor* diceretur, nunquam tamen permisit Ecclesia, vt laici tanquam pastores prædicarent, vel sacramenta ministrarent. Ac proinde hoc *Apollonis* exemplum) sicut reliqua omnia *Mornæi* argumenta) nihil valet, sed est ab instituto suo prorsus alienũ. Et hactenus de ijs argumentis, quæ conclusioni suæ (quam superiùs retulimus) præposuit, dictum esto, ea iam, quæ eidem conclusioni subiungit, discutiemus.

Henricus cur defensor fidei

Mornæus.

Confirmari hæc quoque possunt exemplis ex primitiua Ecclesia petitis; Edesius & Frumentius, quum ad Indos casu essent delati, hac ar-

repta occasione verbum Dei ipsis annunciant: ibi etiam Christianos cœtus conuocant: laici erant illi, nullo diũ Ecclesiastico munere functi: nec enim impositæ fuerunt ab Athanasio manus Frumentio, vt apud eos munere Episcopali fungeretur, nisi multis post annis. Mulier quædam conditione serua, Iberorum reginam in cognitione Christi instituit, paulò pòst etiam Regem ipsum: Ab ea igitur cultui diuino initiãtur; mittũtque eiusdẽ suasu ad Constantinũ Imperatorẽ, qui, si fieri posset, ab eo Doctores impetrarent.

Quàm apposite hæ duæ historiæ instituto *Mornæi* inseruiunt, ex ipsis in summam redactis (lector eas in auctore ipso si libuerit videre poterit) constabit.

Theod. l. 1. c. 23. & 24.

Ædesius & *Frumentius Tyrij* in *Indiam* vlteriorem, vt scientiam illius nationis addiscerent, ducti à patruo suo, illo à gente barbara occiso, captiui detinentur. Ad regem vero delati, cognita eorum prudentia, curam regiæ eis demandatam suscipiunt. Rege vero mortuo, maiori in pretio apud filiũ eius fuere. Educati vero in pietate, hortabãtur mercatores, si qui, vt mos fert *Romanorum* aduenissent, vt conuenire, & sacros ritus celebrare vellent. Elapso longo tẽpore, potestatẽ ad suos reuertẽdi à Rege obtinẽt,

Christiani dicũtur Romani.

mansitque *Ædesius Tiri*, *Frumentius* vero posthabita parentum suorum consuetudine, studio rerum diuinarum percitus *Alexandriam* perrexit, & *Athanasium* illius vrbis præsulem edocuit, qua essent cupiditate *Indi* videndæ lucis intelligibilis. Et quis (inquit *Athanasius*) ad caliginem istam ignorantiæ dispellendā, & ad inferendum diuinæ prædicationis lumen, quam tu, aptior reperiri possit? Quæ locutus communicata cum eo gratia Pontificali, misit eum ad istius gentis culturam. Qui eam, diuina sibi cooperante gratia summo studio excoluit, Apostolicis enim miraculis sibi resistentes capiebat, & signorum efficacia permultos corripiebat. *Hæc de* F*rumentio*.

Mulier captiua. Eodem tempore mulier captiua viam veritatis *Iberis* demonstrauit. Illa enim orationi assiduè vacabat, cubile stragulumque habens molliculum, extensum humi sacculum, delicatissimè autem viuens in continuis ieiunijs: Ex hoc labore, Apostolica dona consecuta est. Hæc rogata à quadam muliere, vt pro filio suo infirmo remedium aliquod se doceret, accepto puero, eum in cubile suum reposuit, & Deum precata pro eius sanitate

exaudita est. Postea Reginam, quæ graui morbo laborabat, simili modo sanauit; quæ beneficij accepti non immemor, ampla dona ei obtulit, quæ illa respuens dixit, se talibus non indigere, sed liberaliter se remuneratam existimaret, si illa pietate informari vellet: & exposuit illi quam accuratissimè poterat, diuina præcepta, & hortabatur vt templum saluatori suo ædificaret *Christo*. Quod Rex tunc non permisit fieri: At non multo post, nouo in ipsius Regis persona patrato miraculo, pio operi consensit. Templo itaque perfecto, cum deessent sacerdotes, ex consilio eiusdem mulieris captiuæ, legatos misit Rex ad *Constantinum* tum Imperatorem, rogans vt pietatis doctor ad eos transmitteretur. Imperator vero cognita petitione, summa benignitate legatos complexus, virum fide, intelligentia, moribus ornatissimum cum dignitate Pontificali, muneribus quoque pluribus adiectis illi genti destinauit.

Hæc vera ac germana historiarum istarum summa est, in qua nullum plane est verbum prædicandi, vel conuentus faciendi per aliquem eorum, quorum hîc mentio facta est (vt *Mornæus* falso affir-

mat) neque Ecclesiam aliquam iam stabilitam reformandi, sed tantum fidẽ *Christianam* illis intimandi, qui eã prius ignorabant, vel per miracula, vel per simplicẽ narrationem, quod in Ecclesia *Romana* à quouis fieri non prohibetur. Et tantum abest, vt exempla hîc adducta, vel doctrinæ, vel praxi *Romanæ* Ecclesiæ aduersentur, aut *Mornæo* faueant, vt *Catholicam* doctrinam euidenter confirment, *Mornæi* vero peruersum dogma penitùs euertãt. Cum enim nullus horum, nec quisquam alius Orthodoxus, in vllo sæculo vel ætate inuẽtus sit, qui, licet gratia miraculorũ donatus, in graui, immo extrema illa necessitate, munus pastorale absq; missione, consecratione, ac manuum impositione sibi assumere a usus fuerit; quomodo *Mornæum* non pudet, in seditiosæ suæ doctrinæ confirmationem, (qua *omnes Christianos sufficientem habere vocationem, vt Ecclesiã necessariæ reformationis admoneant asserit*) ista exẽpla proferre, eo sensu intelligẽdo admonitionẽ, quo illã exercere cupiunt: nimirũ vt iudiciũ absolutũ de doctrina Ecclesię ferãt, reijciẽdo quod sibi displicet, & introducẽdo, quod palato suo arridet?

Iterum contra se arguit Mornæus.

Sed ad quid obsecro piæ istius mulieris

exemplũ affert? num forte vt probet mulieres etiã prædicare posse? Certè si quicquam pro ipso faciat, hoc cõcludit, quod tamen est contra expressam Apostoli doctrinam qui præcipit *vt mulieres in Ecclesiis taceant, nõ permittitur enim illis loqui, sed subditos esse*. Sed etiamsi hoc *Mornæo* concederemus contra Apostolum, nihil tamen ex hoc exemplo lucraretur, nisi idipsum quod veteratores illi, castę *Susannæ* accusatores, olim de sua impietate lucrati sũt, nimirũ capitis pœnam. Nã quatenus pia hæc mulier ad publicãdam Paganis *Christianitatem* cooperata est, illud in publicis conuentibus prædicãdo tanquã pastor & doctor, vel aliquã functionẽ Ecclesiasticã exercendo non effecit (vt ex ipsa historia patet,) sed ieiunando, orando, austerã vitam colendo, miracula (quorũ donũ per prędicta exercitia eam meritam fuisse historia testatur) præclara perpetrãdo. Huius generis argumenta cũ à nouatoribus nostris, in testificationem tã vocationis, quã doctrinæ suæ iustè exigimus, quippe quæ nõ minus nouæ & inauditæ Ecclesię Dei sunt, quam fides *Christi* illis erat olim paganis, nihil tamen simile operibus pauperculæ illius mulieris, in patrocinium

Exemplũ mulieris instituto Mornæi malè cõuenit.

1. Cor. 14. 34.

vocationis, vel doctrinæ suæ nondum potuerunt, neque in æternum exhibere poterunt. Rectè itaque istius mulieris testimonium in sui ipsius, & suorum omnium condemnationem adducit *Mornæus*, vti olim turpissimi *Susannæ* accusatores, testimonia quibus ipsi condemnabantur, contra eam proferebant.

Mornæus.

Optimè tamen tum erat constituta Ecclesia, omniaque præscripto ordine fiebant.

Affectata Mornæi cæcitas.

O affectata cæcitas, & diabolicus alios decipiendi appetitus! Quid? optimè ne tum erat apud *Indos* & *Iberos* constituta Ecclesia? omniaque præscripto ordine ibi facta? De illis certè locis tantummodò mentionem hic fecerat.

Mornæus.

Illi verò verbum Dei annunciantes, manifesto se obijciebant periculo. Conuincendi erant populi Idololatriæ, ab eo idolorum cultu abducendi; potuissent aduersariorum exceptione vti, vt se periculo eximerent. Nulla tenemur Ecclesiastica functione verbum Dei his in locis annũciare. Cur igitur nos huic periculo obijciemus?

Falsum supponit.

Falsum est, istos alia ratione annunciâsse verbum Dei, quam vitâ suâ, & moribus, & vt occasio se offerebat, fidem

ſuam profitendo,& vt poterant, alijs explicando, quod vnicuique licere nullus dubitat. Sed quid inde? Ergo poteſt vnuſquiſque tanquam paſtor prædicare, Eccleſiam reformare, & docere? Nihil abſurdius. Quod vero iſti ab idololatria abhorrendo, fidemque *Chriſtianam* profitendo, vitæ periculo ſe expoſuerint, minimè eſt dubium, ſed quid inde ſequatur ad *Mornæi* inſtitutum confirmandum, neque ego capere, neque ipſe explicare poteſt.

Mornæus.

Sed zelo in Deum, & charitate in proximum ſe ad id munus aſtrictos eſſe ſentiunt, & nullius apud Dei tribunal valoris fore hanc exceptionem, quum reddenda erit ratio adminiſtrati talenti.

Nihil probat.

Non zelo tantum & charitate, ſed Iuſtitia & Religione Idololatriam vitare, atque eatenus ſaltem fidem *Chriſtianam* profiteri tenebantur, non tam propter talentum aliquod acceptum, ſi propriè loquamur (cum talentum importet donum aliquod ſubſtantiæ fidei ſuperadditum) quam propter fidem ipſam, quam non denegare, neque diſſimulare tenebantur. Sicut etiam *Catholici* hodie in

Anglia tenentur fidem *Catholicam* non deserere, neque dissimulare, non obstante quod bonorum omnium, atque etiam ipsius vitæ periculo se exponant, tametsi neque potestatem, neque obligationem prædicandi habeant.

Mornæus.

Eandem dicimus esse rationem in Antichristo reuelando; eiusdem quippe consequentiæ est salutem nunciare, & à via perditionis auertere. Vnusquisque Christianus, cui Antichristi aduentus innotuit, ex verbo Dei, Ecclesiæ eum indicare astringitur, non ita præcisè forma illa vocationis ordinariæ sequenda est; nec verendum, præsertim cum Ecclesiæ possessionem nactus (scilicet Antichristus) omnem peruertisse ordinem censendus sit. Quis vero suaserit alteri, ne, si aduenientem hostem fortè viderit, ciues suos moneat, vt ad arma concursus fiat, nisi hoc ipsi expressè iniunctum sit?

Conclusio praua.

Conclusio perniciosa ex principijs seditiosis constructa: Quod *Mornæus* ipse non negabit, si quis eisdē terminis cōtra Ecclesiam *Geneuēsem* pro *Seruetianis*, *Anabaptistis*, vel *Libertinis*, quos ipse hæreticos iure æstimat, argumentum formaret. Neque aliam meretur hęc argumentatio quæ à quibusuis hæreticis licet absurdis-

simis, eâdem facilitate fieri poteſt, refutationẽ. Illud ſolum obſeruari velim, illum hic denuo Spiritus ſancti inſtitutionem, adeo clarè per Apoſtolum teſtificatàm, nimirum *quod nemo poßit prædicare niſi mittatur*, vti formam ordinis minimè neceſſariam peruersè vilipendere. Iſti nimirum ſunt, qui de expreſſo Dei verbo tantum gloriantur.

Inſtitutionem ſancti Spiritus vile pẽdit Mornæus.

Si verò hîc à me quęratur, quid amplius in Eccleſia faciũt paſtores & prędicatores quàm mulier iſta, quàm *Frumentius* & *Edeßius*, quàm denique *Apollo*, quos hactenus *Mornæus* adduxit præſtiterint, vt illi potiùs quàm iſti ad Euangelium enunciandum mitti, atque adeo prædicandi munus, ad illos, potiùs quàm ad iſtos pertinere dicatur: Reſpõdeo tantum eſſe inter eos diſcrimẽ, vt nihil omninò habeãt commune: nam præter adminiſtrationẽ ſacramentorum, & Eccleſię gubernationem, quæ ita ad paſtores ſpectãt, vt *Mornæus* ipſe ea laicis attribuere nõ audebit, in ipſa Euangelij enũciatione, (quã ideò omnibus cõmunem eſſe cupit *Mornæus*, vt eo ſaltem modo miſeris miniſtris ſuis conuenire non denegetur) tanta eſt inter paſtores ſeu authenticos prædica-

Diſcrimẽ inter paſtores & eos qui fidẽ quouis modo alijs aperiunt.

tores, & alios quoſcunq; laicos homines differentia; quanta eſt in rebus cauſiſque ciuilibus regẽdis & decidẽdis inter Prætorẽ ſeu iudicẽ,&alium quemcunque de infima plebe hominem. Tametſi enim quiuis edoctus eadem verba eandemque doctrinam, quam paſtores & prædicatores proferre; ſicut etiam in cauſis ciuilibus eandem ſententiam & iudicium quod Prætor vel Iudex pronunciare poſſit: non tamen propterea paſtor vel legitimus prædicator erit, neque authoritatem prædicandi habebit; ſicut neque ille Iudex legitimus erit, qui eandem ſententiam cum vero Iudice pronunciaret. Et ratio eſt clara; Nam non habet quilibet illam prædicandi poteſtatem, quam Christus Dominus Apoſtolis, & in ipſis, omnibus ſuis ſucceſſoribus tradidit quãdo dixit; *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra: euntes ergo docete omnes gentes,* &c. Ex qua docendi authoritate in prædicatoribus oritur, tanquam correlatiuũ, obligatio audiendi & auſcultandi in auditoribus: propter quam Dominus dixit: *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit,* & iterum: *Amen dico vobis, quod remiſſius erit in illa die Sodomis, quàm*

Mat. 28.

Luc. 10. 15.16.

illi ciuitati, ſcilicet quæ illos non receperit. Propter hanc eandem rationem dicit Apoſtolus: *Nunquid omnes ſunt Doctores?* quibus clarè conſtat latiſſimum eſſe diſcrimen inter prædicationem paſtorũ & Doctorum, qui ab hoc munus exercendũ à Chriſto Domino mittuntur; & ſermonem cuiuſcunque alterius ſiue viri, ſiue fœminæ eandem doctrinam proferentis. Et certè ſi *Morneus* aliam vocationem & prædicandi poteſtatẽ ſuis miniſtris non attribuat, quàm iſta Chriſtiana mulier, & cœteri ab eo hic prolati exercuerint,(vt eius diſcurſus indicat) finita eſt lis noſtra, & controuerſia: non enim eis negamus illam poteſtatem quã vniuerſis laicis competere, non inficiamur. Si verò iſtâ non contentus *Morneus* aliam eis competere contendit; ineptus eſt valde,& inſulſus in toto iſto diſcurſu, qui nihil aliud oſtendit, quam quod laici fidem Chriſtianam & verbo & opere inter infideles profiteri, & alios ad eam amplectendam hortari poſſint.

1. Cor. 12.

Et quantum ad præſentem quæſtionem ſpectat, finem altercandi cum *Morneo* hîc faciam, de alijs quæſtionibus inferiùs diſcutiẽdis, cũ eo iterũ cõgreſſurus

Ipſe quidem vnum vel alterum teſtimoniū ex *Gerſono, Pico,* & *Alliaco,* ſuperallatis ſuis rationibus hîc adiungit, quæ etiamſi fideliter ab eo eſſent allata, & authores eſſent in omnibus recepti, quorum neutrum eſt verum, nihil tamē ad præſens inſtitutum facerent, quippe cum nec verbum minimum de verbi diuini & ſacramentorum adminiſtratione, abſque vocatione (de qua hîc eſt cōtrouerſia) continent; ac proindè inter friuolas eius nugas, quæ innumeræ penè ſunt, reponenda erunt.

Tandem poſt omnes, quas ſuprà vidimus cauillationes, euidentia rei conuictus, vocationem neceſſariam eſſe ad reformandam Eccleſiam fatetur his verbis: *Porro ad erigendas diſſipatæ Pontificiorum artibus Eccleſiæ ruinas, legitimam requiri vocationem non ignoramus;* quam miniſtros ſuos verè habere, deinceps probare cōtendit, quàm verò egregiè hoc præſtat, ex infra dicendis apparebit.

Pag. 487. Latina editione. Fortis veritas & præualet.

Interim te iterum (prudens Lector) obſeruare velim, eum nihil hactenus pro vocatione ſuorum reformiſtarum attuliſſe, neque in poſterum allaturum eſſe, quod in fauorem quorumcunque hære-

ticorum, antiquorum vel modernorum allegari nequeat: immo quod illi met quos ipſe impugnat, eadẽ veritatis ſpecie contra ipſum obijcere non poſſint. Hoc quidem tu ipſe veriſſimum experiêris, ſi in fauorem Eccleſiæ *Romanæ* contra *Geneuenſem* ea ſingulatim applicare dignaberis. Quàm igitur efficacia vel probabilia ſint, tuum eſto iudicium.

Capvt Qvintvm.

Vtrum veritas doctrinæ, sit sufficiens legitimæ vocationis ad ministerium verbi & sacramentorum argumentum: vel vtrum aliquis prædicatoris, seu pastoris munus exercens, se ad illud officium authenticè vocatum sufficienter probaret, qui diceret, doctrinam à se traditam veram esse, ac verbo Dei conformem.

REfutata in superiori capite absurda *Lutheri*, ac *Mornæi* doctrina, qua omnes *Christianos*, sufficientem prædicãdi verbi diuini in casu necessitatis, potestatẽ habere astruebant, sequitur vt quæstionem propositam disputemus. Et sensus illius est, vtrum illi, quibus alia vocationis suæ ad verbum Dei, & sacramenta ministrãda, probandæ ratio non suppetat, quam quæ ex natura & qualitate doctrinæ suæ ducitur, hoc vel simili argumento (*Doctrina*

Quæstionis sensus.

ctrina quã prædicamus, & modus administrãdi sacramenta quem exercemus, vera sunt, & verbo Dei conformia. Ergo vocatio nostra ad illud munus fungendum legitima est, & approbata) legitimi ministri censendi sint necne.

Pro cuius declaratione aduertendum est, in omni ratione seu medio, quod ad aliud probandum assumitur, duo necessariò requiri: Vnum, quod sit magis notum, quã id quod probari debet. Euidenter enim absurdum est, ignotum per æquè ignotum probare velle. Exempli gratia, si quis astra cœli paria esse numeró probare contenderet, quia non sunt imparia: vel *Iohannem* legitimo matrimonio esse natum, quia mater eius nunquam alium virum, præter maritum suum cognouit: vel (quod magis facit ad præsens institutum) si quis probare intenderet se legitimum esse iudicem, quia omnes causas iustè decernit & iudicat, nihil planè efficeret, sed manifestam committeret negationem, & rem probandam non minus obscuram, incertam, & ignotam relinqueret, quam antea fuerat.

In legitima probatione duo requiruntur.

Alterum, quod necessariam habeat

cum re probanda connexionem, & ei semper coniuncta sit. Tametsi enim medium magis notum esset re probanda, nō posset tamen illum certò & infallibiliter demonstrare, nisi necessariò cum eo cōnectatur. Exempli gratia, ei, qui videret arborem gemmis, floribusque florentē, notius est eam florescere, quam quod fructus factura sit: stultè tamen argumētaretur si diceret, arbor hæc floret: Ergo fructus proferet. Et similiter, qui diceret. Iste indutus est vestibus sericis: Ergo ex nobili prosapia oriundus. Ineptissimæ sunt huiusmodi argumentationes, nec quicquam conficiunt, etiamsi medium quod probat, magis sit notum, quam id quod probari debet: quia non sunt necessariò cōiuncta. His prænotatis,

Conclusio. Dicendum est, veritas doctrinæ, & rectus administrandi sacramenta modus, non sunt sufficiens argumentum legitimæ vocationis ad ministerium verbi & sacramentorum. Et ratio est facilis. Nam ista probatio neutram illarum conditionum, quas ad sufficientem probationem requiri ostendimus, habet: multo vero minus habet vtramque. Ergo non modo legitima probatio non est, sed est omnino stulta & inepta.

ostendamus autem vtramque prædictarum conditionum illi deesse.

Magis ignota est vera doctrina quam legitima vocatio.

Primò, non minus dubium, & ignotum est, doctrinam traditam à quocunque Nouatore, seu nouo prædicatore, sacris scripturis conformem esse, quam quod eius vocatio legitima sit: immo; nisi eadem sit cum doctrina Ecclesiæ (vt non potest esse si noua sit) multo incertior, cognituque difficilior erit eius doctrina, quam sit eius vocatio; ac proindè non solum inefficaciter, sed etiam omnino inepte & absurdè argumentaretur, qui vocationem suam per veritatem suæ doctrinæ probare contenderet. Nam siue veritas doctrinæ consistat in conformitate cum verbo Dei scripto solo, vt volunt *Protestantes;* siue in conformitate cum verbo Dei tam tradito, quam scripto, vt docent *Catholici*; manifestum est argumenta veritatis doctrinæ indè deducta multo difficiliora, & obscuriora esse, quam sunt legitimæ vocationis argumenta. Quia incomparabiliter difficilius est verum ac germanum scripturarum sensum & intelligentiam inuestigare, quam cuiuscunque pasto-

ris, doctoris, aut prædicatoris legitimæ vocationis testimonia examinare, & an canonica sint, discernere.

Sacræ Scripturæ difficiles.

Difficultas scripturarum à summis sublimioribusque ingenijs, quæ in *Christiano* orbe vnquam floruerunt, ingenuè agnoscitur. *S. Augustinus*, occidentalis Ecclesiæ Aquila meritò dictus, diuinorum eloquiorum profunditatem admirans, exclamat: *Mira profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies blandiens paruulis: sed mira profunditas Deus meus, mira profunditas; horror est intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris.* Et in alio loco idem sanctus Doctor: *Non ob aliud sunt hæretici, nisi quia eas (Scripturas) non rectè intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem peruicaciter asserunt.* Alij non minori fortè acumine, sed multo minori humilitate, à vero scripturarum sensu euidenter & pernitiosè errauerunt, vt *Tertulliani*, *Origenis*, & *Luciferi Calaritani* lachrimis amarissimis lugendi lapsus testantur. Sed & ipsæ sacræ paginæ hanc veritatem euidenter confirmāt. *Quomodo possum* (ea quæ lego intelligere) *si non aliquis ostenderit mihi?* dicit religiosus Eunuchus. Et *S. Petrus. In quibus* (*S. Pauli* Epistolis) *sunt quædam difficilia in-*

Confess. l. 12. c. 14.

De Genesi ad literam l. 7. c. 9.

Act. 8. 31.

2. Petri 3. 16.

intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauāt, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem. Hancque scripturarum difficultatem, respectu humanæ capacitatis, *Christus* Dominus vidit, ac proindè in eius remedium, *aperuit Apostolis suis sensum, vt intelligerent scripturas.*

Lucæ 24. 45.

Neque id quod *Protestantes* in contrarium obijcere solent, nimirum, quod etiamsi nonnulla sint sacræ Scripturæ loca difficilia, tamen vel in alijs facilioribus explanantur, vel nihil necessariò credendum continent præter ea, quæ in locis facilioribus continentur, nihil valet. Nam præterquam quod *omnis scriptura* (hoc est omnis scripturæ textus vel clausula) *vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia;* vt docet Apostolus, ac proindè non faciliora tantum, sed etiam difficiliora loca, res creditu vtiles contineant: variæ illæ ac multiplices nonnullorum scripturæ sacræ locorum, præcipuos fidei articulos continentium, & nominatim illius, (*Hoc est corpus meum*) interpretationes à *Protestantibus* allatæ, non tantum contra *Catholicorum*, sed etiam aliorum *Protestantium* intelligentiam (vt erroneas & falsas

Occurritur obiectioni.

2. ad Timo. 3. 16.

Mat. 26.

omnium antiquorum hæreticorum de ſcripturis interpretationes veram omniũ hæreſeon radicem, vt teſtatur *Auguſtinus*, omittamus) difficultatem inueſtigandi verum ſacræ ſcripturæ ſenſum, etiam in locis, quæ res neceſſariò credendas continent, euidenter declarant, atque conuincunt. Quamuis enim *S. Auguſtinus* dicat: *Nihil enim ferè de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſsimè dictum alibi reperiatur*: tamen neque eſt eius aſſertio vniuerſalis, vt ex particula illa (*ferè*) conſtat: neque talis mens eius, vt velit planiora etiam loca abſque Eccleſiæ interpretatione facilia eſſe intellectu, vt diuerſitas interpretationum contra veram ſcripturæ intelligentiam factarum (vnde omnes prouenire hæreſes ipſe *Auguſtinus* expreſsè teſtatur) clarè demonſtrat. Atq; iſta de difficultate ſcripturas rectè intelligendi, (vnde veræ doctrinæ probationes deſumuntur) dixiſſe ſufficiat. Reſtat, vt quanta ſit in legitimæ vocationis probationibus & teſtimonijs inueſtigandis difficultas, perpendamus, vt tandem videamus, vtrum veritas doctrinæ ad legitimum vocationem comprobandam, aptiam & efficax ſit medium; necne.

De doctrina Christiana l. 2. c. 6.

Ad plenam legitimæ vocationis proba-

tionem aliud non requiritur, quam vt ipse, qui pastorem se & prædicatorem esse prætendit, literas suæ institutionis authenticas, (quas scilicet ab eo, qui tales concedendi potestatem habere scitur, acceperit) proferat. Et de hac re nullam habemus cum aduersarijs controuersiã, si de vocatione ordinaria (de qua sola hîc disputamus) loquamur. Hoc igitur posito, nullus sensu tantum communi præditus asserere audebit, facilius esse cuiquam doctrinam veram, id est, quæ recto sacræ scripturæ sensui cõformis est, à falsa discernere, quam legitimam vocationẽ, ab vsurpata dignoscere. Vnde probationẽ vocationis à veritate doctrinæ desumptã) vtpote qua ignotum per magis ignotum ostenditur) omninò esse ineptam atque insulsam, ex principijs iam positis clarissimè constat.

Vocatio quomodo probatur

Vide eorum cõfessiones citatas c. 2. Et eorũ praxis idem probat.

Quod exemplo clariùs adhuc fieri potest. Quis enim vnquam magistratus ciuilis, (iudex verbi gratia vel prætor) se legitimum iudicem per æquam iustamq; causarum decisionem conatus est probare? Certe nullus vnquam in aliqua Republica potestatem iudiciariam, siue in ciuilibus, siue in criminalibus absq; supremi

Exemplum accommodatum.

Domini literis, quibus in illo munerē ſe legitimè conſtitutum authenticè conſtet, impunè vſurpat, etiamſi & peritiſſimum, & æquiſſimum iudicem ſe iactitet. Immo etiamſi vtroque probationis genere, ſcilicet tam æquitate & peritia in cauſis cognoſcendis & decidendis, quā etiā literis Regijs vel Imperatorijs ipſum in dicto munere conſtituentibus, munitus eſſet; quis tamen non videt iſtud poſterius non modò multo certiorem, & efficaciorem, ſed etiam multo euidentiorem, & cognitu faciliorē ſui muneris probationem facere? Ad iſtam enim dignoſcendam ſolus literarum regiarum conſpectus ſufficit: cum ad alterius cognitionem, tam ipſius iuris, quam cauſarum dicendarum peritia non mediocris, & quæ in paucis reperitur, requiratur. Proinde qui ex modo ſeu ratione munus ſuum exercendi, ſe legitimum magiſtratum probare contenderet, ignotum per ignotius demonſtrare laboraret: quo nihil magis vel ineptum, vel ridiculum in omni ratiocinatione eſſe poteſt. Et hoc quod hactenus diximus adeo verum eſt, vt etiamſi ſupponeremus peritiam & induſtriam exercendi aliquod

munus, legitimam poteſtatem illud exercendi ſufficienter demõſtrare (quod tamen falſum eſſe, tam ex ſupra dictis, quam ex ſtatim dicendis clarè conſtabit) manifeſtum tamen eſt, eum, qui magiſtratus ciuilis gerendi ius & poteſtatem ſe habere ex recta illius executione probare contenderet, dictam abſurditatem, ignotum videlicet per ignotius probandi euidenter incurrere. In eundem vero impingunt lapidem, qui ex veritate doctrinæ ſuæ, & ritu, quo ſacramenta adminiſtrant, legitimos ſe eſſe paſtores oſtendere conantur: tametſi doctrina eorum in ſeipſa vera eſſet, & ritus ſacramenta adminiſtrandi, non improbandus.

Abſurda nouatorũ argumentatio.

At noui noſtri reformatores in longè turpiorem ſua argumentatione incurrũt abſurditatem. Quandoquidem enim tã ſua doctrina, quam modus ſacramenta conferendi non minus ſunt controuerſa, quam eorum vocatio ad miniſterium, ſanè pluſquã abſurdum eſt, hanc per illa probare velle. Ac ſimile omnino ac ſi quis aſtra cœli paria eſſe probaret, quia nimirum non ſunt imparia, cum tamen hoc non minus ignotum ſit. Et tamen

hoc discrimen inter has duas ratiocinationes esset, nempe quod ille, qui verè ostenderet astra non esse imparia, efficaciter probaret illa paria esse, cum tamen ille, qui demonstraret doctrinam *Protestantium* veram esse, non sufficienter probaret eorum vocationem esse licitam, vt latiùs iam patebit. Sed secundam iam legitimæ probationis conditionem ponderemus, & vtrum in casu proposito inueniatur, consideremus.

Secunda legitimæ probationis conditio.

Vbicunque inuenitur vera doctrina, non semper inuenitur legitima vocatio, atque idcirco probatio vocationis per veritatem doctrinæ, in altera conditione ad legitimam argumentationem necessariò requisita euidenter deficit. Et perinde esset, ac si quis ita ratiocinaretur: *Petrus* est Iurisperitus, & vir probus. Ergo legitimus Iudex. Vel: *Camillus* est vir fortis, & Regi fidelis. Ergo princeps militiæ. Non magis enim infert veritas doctrinæ legitimam ad ministerium verbi & sacramentorum vocationem, quam peritia iuris, vel rei militaris, coniuncta cum probitate, & fidelitate infert protestatem iudiciariam, vel imperatoriam.

Et quod veritas doctrinæ non semper coniuncta sit cum legitima vocatione, ex nonnullis sacræ scripturę instantijs,& exemplis clariùs constat, quam vt quis de ea re quoquo modo dubitare possit. *S.* enim *Mathias*, antequam in numerum Apostolorum assumeretur, habuit absque dubio eandem cum ipsis Apostolis doctrinæ veritatem, & tamen eundem Apostolatum non habuit. Et *S. Ioseph* cognomento *Iustus*, quem cum *S. Mathia* statuerunt Apostoli vt alter eorum sortiretur Apostolatum, de quo præuaricatus est *Iudas*, habuit eandem doctrinam cum *S. Mathia*, & reliquis etiam Apostolis, nunquam tamen Apostolus fuit.

Veritas doctrinę non semper coniuncta cũ legitima vocatione. Act. 1. 23. 12.

Idem etiam dici potest de cœteris *Christi* Domini,& Apostolorum discipulis, immo etiam de vniuersis Catholicę fidei cultoribus, qui tametsi coluerunt, & colunt eãdem fidei doctrinam, legitimi tamen doctores,vel pastores non fuerũt, neque sunt,nisi quando ad illud munus ab ijs, qui potestate eos vocãdi pollẽt,vocentur & assumãtur. Hinc manifeste patet, quod vbicunque sit vera doctrina,non ibi statim sit legitima ad mini-

ſterium verbi & ſacramentorum vocatio.

Quod adhuc etiam exemplo *Coré* & ſociorum eius clarius apparet. Illi enim in nullo doctrinæ articulo, neque in vllo ſacramentorum, ſacrificiorum, vel cæremoniarum ritu, à *Moyſe* & *Aarone*, ſed tantummodò in functionis illius, ad quam non erant vocati, vſurpatione, propter quam ſeueriſſimè erant mulctati, vt ſupra vidimus, diſſidebant. Qui propterea multo maiori probabilitatis ſpecie, contra *Moyſen* & *Aaronem*, quam *Ptoteſtantes* contra Eccleſiam *Catholicam*, hac ratione argumentari potuerunt, dicentes. Nos habemus eandem doctrinæ veritatem, & eundem ſacramentorum vſum, ac ritum vobiſcum. Ergo & idem ſacrificandi ius & ſacerdotium nobis commune eſſe debet. Hoc ipſum exemplum *S. Cyprianus* contra quoſdam ſui temporis veritatis hoſtes, vrget & dicit: *Quod vero eundem quem & nos Deum patrem, eundem Filium Chriſtum, eundem Spiritum ſanctum noſſe dicuntur, nec hoc adiuuare tales poteſt. Nam & Choré, & Dathan, & Abiram cum ſacerdote Aaron & Moyſe eundem Deum nouerant, pari lege & religione viuentes, vnum & verum Deum, qui colendus atque inuocandus fuerat,*

Epiſt. 76. ad Magnū.

inuocabant. Tamen quia loci sui ministerium transgressi, contra Aaron sacerdotem, qui sacerdotium legitimum dignatione Dei atque ordinatione perceperat, sacrificandi sibi licentiam vindicauerunt, diuinitus percussi, pœnas statim pro illicitis conatibus penderunt. Hactenus *S. Cyprianus.*

Et *S. Chrysostomus* à *Mornæo* relatus idem confirmat his verbis: *An satis esse putas, quod dicis, & ipsos Orthodoxos esse, quum tamen interea, quæ communem & Ecclesiasticam electionem concernunt, intereant? Et quænam fuerit vtilitas ex eo quod illa negligitur? Non enim pro conseruanda illa secus quam pro fide ipsa pugnari debet. Alioqui si cuiuis liceat pro veterum more manus suas implere, sacerdotiũque arripere, accedant omnes, sitque frustrà ædificatum istud altare, frustra corpus ac plenitudo Ecclesiæ, frustra ille sacerdotum numerus. Tollamus illa & conculcemus.* Hanc *S. Chrysostomi* sententiam ex *Mornæo*, vel eius saltem interprete Latino ad verbum trãscribere volui, vt lector & malam eius fidem in citandis authoribus, & turpissimam causæ quam propugnat, mendicitatem ex parte intelligat. Nam & corruptissimè verba *S. Chrysostomi* (vt popularem pastorũ electionem stabiliat) refert,

Hom. 11. in Epist. ad Ephe. parte morali. Mornæus p. 500. Latina editione.

quæ huiusmodi sunt. *Existimatisne quæso sufficere si dicatur quod Orthodoxi sint, pereat autem & intereat Rectorum electio?* &c. Et patrocinium sibi & suæ causæ à iudice, sententiam contra illum ferente miserabiliter emendicare cogitur, quod extremę esset miseriæ *Tertullianus* notauit dicens. *Quis seruus cibaria ab externo, ne dicam ab inimico Domini sui sperat? quis miles ab infœderatis, ne dicam hostibus Regibus donatiuum & stipendium captat, nisi planè desertor, transfuga, & rebellis?* Certè *S. Chrysostomus* eorum (*Protestantium* intelligo) & ministerium, vtpote absque vocatione, sub prætextu quod veram doceant doctrinam, vsurpatum expressè reprobat, atque etiam doctrinam clarissime condemnat dum *sacerdotium, altare, plures sacerdotes*, & ex necessario consequenti *verum sacrificium*, (quæ omnia ipsi detestantur) in Ecclesia esse agnoscit. Sed institutum nostrum prosequamur.

De præscrip. ca. 12.

Ratione probatur cõclusio.

Irrefragabilibus istis tum sacræ scripturæ exemplis, tum sanctorum Patrum testimonijs, euidentem rationem vnicam adiũgamus, quæ sic formari potest. Veritas doctrinæ, & legitima ad ministerium Ecclesiasticum vocatio, ex diuersis, di-

stinctis, & ab inuicem independentibus principijs oriuntur, & exurgunt. Veritas enim doctrinæ à conformitate cum verbo reuelato desumitur: vocatio vero vel missio pastorum & doctorum ex persona *Christi*, (*cui data est omnis potestas in cælo & in terra*) per ea media quæ ipse instituit (quorum locuples in sacris literis fit mentio, vt post suo videbitur) deriuatur. Non est igitur mirum, quod vnum horum possit esse absque altero: & consequenter quod vnum non necessariò inferat & probet alterum. Exemplo etiam magistratus ciuilis hoc idem, licet ex se manifestum, magis explicatur. Quemadmodum enim æquitas iudicij in quocunque casu vel causa lati, ex conformitate, quam habet cum natura legis, & causæ iudicatæ metiri debet: authoritas verò seu potestas sententiã ferendi ex persona principis, per media ab ipso ad hoc instituta, & à tota republica agnita accipiatur, quæ duo adeo nullam inter se inuicem habent dependentiam, vt primum possit esse absque secundo, & secũdum non procedat à primo, vt per se cõstat, & consequenter vnũ neque necessariò, neque probabiliter inferat alterum:

ita eodem planè modo accidit in casu doctrinæ & vocationis, de quo hîc disputamus. Tametsi enim legitima ad diuini verbi & sacramentorum ministerii vocatio præsupponere debeat, & veritatem doctrinæ, & alias etiam qualitates, & conditiones ad illud munus ritè exequendum, de conuenienti saltem requisitas: non tamen ab eadem radice & principio oritur, à quo veritas doctrinæ sumitur, neque ex ea rectè infertur, sed potius econtra; Multo enim probabilius, & legitimæ argumentationis regulis cõformius argumentaremur hoc modo. *Iste habet legitimam prædicandi potestatem: Ergo & veram doctrinam*, ita vt legitima vocatio probaret doctrinæ veritatem, quam hoc modo: *Iste habet veram doctrinam: Ergo & legitimam prædicandi potestatem*. Qui enim doctrinam, ad quam per Canonicam missionem denunciandam destinatur, reuera denunciat, certissimè veram habet doctrinam. Ac proindè legitima vocatio, si rectum sortiatur vsum: id est, si is qui mittitur, in sua prædicatione à mittente non dissentiat, veritatem doctrinæ infallibiliter arguit & demonstrat. Vnde etiam obligatio

Legitima vocatio potius indicat veram doctrinam quam econtra.

tio in auditoribus illam amplectendi cõſequenter oritur, iuxta illud Saluatoris: *Qui vos ſpernit, me ſpernit.* Et iterum *Dico vobis quia Sodomis in die illa remiſſius erit, quam illi ciuitati* quæ nimirum prædicatores legitimè miſſos non recipit. Et hinc clarè conſtat, quam peruersè arguunt, qui ex veritate doctrinæ legitimam vocationem probare contendunt.

Luc. 10. 12. & 16.

Dicet fortaſſe quiſpiam, quæſtionem hanc, *quid eſt vocatio legitima?* neceſſariò præcedere iſtam, verbi gratia, *vbi eſt legitima vocatio*; vel *quis eam habet?* Fruſtra enim quis quæreret vbi eſſet, niſi ſciret prius quid eſſet. Sed iſta quæſtio, *quid eſt legitima vocatio?* ad doctrinam ſpectat, & per principia doctrinæ definiri debet. Ergo quæſtiones doctrinæ, præcedunt ordine naturæ illas, quæ ſunt de vocatione aut poteſtate. Et rurſus, ergo vocationis valor vel ſufficientia per veritatem doctrinæ recte probari poteſt. Huic cauillationi, quæ neque ſubtilitatis ſpeciem, neque veritatis ſubſtantiam in ſe habet (vt ſtatim apparebit) neceſſe eſt ſatisfaciamus, vt nouatorum noſtrorum peruicaciam, qui quæſtionem illam de ſua vocatione declinare cupientes, ſoloꝫ do-

Cauillatio præcauetur.

ctrinæ articulos discutiendos esse contendunt, manifestè conuincamus.

Obseruandum itaque primo est, quod tametsi quæstio ista, *quid sit legitima vocatio?* ad doctrinam spectet, & necessariò præcedat illam aliam, nimirum, *vbi est vocatio legitima?* non tamen inde propterea sequitur omnes de doctrina quæstiones illam de vocatione præcedere debere. Quemadmodum etiamsi hæc quæstio, *quid sit potestas iudiciaria, vel dicendi ius?* ad Iurisprudentiam spectet, & non ad actualem iurisdictionem, & necessariò etiam sciri debeat, antequam constet, *quis sit legitimus index?* nihilominus inde non sequitur, omnes Iurisprudentiæ quæstiones ante istam disputari, & definiri debere: sed econtra in casu quo ista in dubium vocatur, ante cæteras omnes illa sola excepta: *Quid sit potestas dicendi ius?* expediri debet, quia nisi primo sciatur, quis sit legitimus iudex, nulla alia de iure vel iustitia, lis, seu controuersia determinari potest.

Obseruandum secundò quæstionem istam, *quid sit legitima vocatio?* non esse inter *Catholicos* & *Protestantes* controuersiam: omnes enim huiusmodi vocationem, legitimam verbum Dei, & sacra-

menta administrandi potestatem esse fatentur, ac proinde de ea litigare, vel disputare superuacaneum omninò esset. Sed inter eos controuertitur, vbinam legitima hæc potestas inuenitur, & nominatim vtrũ Ministri *Protestãtes* eam habeãt necne. Et ista est prima omnino quęstio, quæ inter ipsos, & eorũ aduersarios, *Catholicos* scilicet, iuxta necessariã tã disciplinæ, quam naturæ methodum definiri debet.

Obseruandum tertiò quod tametsi ex Scriptura sacra constet, quid sit pastoralis vocatio, atque etiam quomodo in homines deriuetur, vt etiam ex iure imperiali patet, quid sit magistratus, & quomodo hominibus cõmunicetur, personã tamẽ particularẽ quæ hac potestate gaudet, neq; exprimit, neque exprimere potest. Creatio enim pastoris Ecclesiastici, sicuti etiã magistratus ciuilis factũ singulare in omni noui magistratus institutione, seu ordinatione repetitũ necessariò inuõluit (vt per se cõstat) quod neq; scriptura sacra, neq; lex imperialis exprimere queat. Vnde fit quòd etiãsi scriptura sacra quid pastorale munus sit, sufficienter declaret vbinã tamẽ sit, in particulari

Scripturã sacra nõ potest docere quis singularis homo sit pastor legitimus.

nequeat. Quod aduersus Nouatores nostros, qui omnes quæstiones ad religionem pertinentes, ex solis scripturis definiendas esse pertinaciter contendunt, obseruare volui. Qui si fortè dicant ad religionem *Christianam* minimè pertinere, quis singularis homo sit pastor vel Episcopus, falsi sunt. Nam cum Ecclesia quæ est domus Dei, composita & coagmentata ex pastoribus seu prælatis, & ouibus seu subditis, non constet hominibus in genere, vel in specie (sic enim omnes planè homines essent de Ecclesia) sed hominibus singularibus & indiuiduis, qui cum sint & natura, & baptismo omnes æquales, ablata illa singulari actione, qua homines in Episcopos & pastores ordinantur, & pro qua non minus contendendum est, quàm pro fide ipsa, vt docet *S. Chrysostomus* supra à *Mornæo* relatus, nulla esset inter illos ordinis differentia, & consequenter nullum essent corpus, nulla Ecclesia. Vnde tandem elucet quantoperè illa actio particularis, quam scriptura neque exprimere, neque controuersias, quæ circa illam oriuntur dirimere potest, ad religionem *Christianam* spectat. Sed vnde digressi su-

Scire quis sit legitimus pastor plurimum refert.

mus, reuertamur.

Illud genus argumenti, quo miniſtrorum Eccleſiaſticorum vocatio, per doctrinæ veritatem, ſiue veram, ſiue prætenſam, adeo apertè vitioſa conuincitur, vt ij quibus miſerrima reformiſtarũ ſubterfugia non ſunt probè perſpecta, nos eis hac in re imponere fortè ſuſpicẽtur. Quapropter ipſa eorum verba, quibus hoc perſpicuè docent, vt de ſeipſis teſtimonium perhibeant, hîc exprimere non abs re erit.

Reſpõſio quorundam miniſtrorũ ad quæſtionem illis propoſitã de ſua vocatione apud Card. Perronium in ſua replicatione ad eoſdẽ.

Sic itaque ſcribunt Miniſtri quidam *Galli* de vocatione ſua rogati. *Si nulla alia vocationem noſtram probandi ratio ſuppeteret, iſta ſufficeret, quod veram ac puram habeamus per omnia doctrinam, ex qua vocatio dependet. Itaque ſic argumentamur. Vbi inuenitur vera doctrina, ibi quoque inueniri poteſt legitima vocatio, quæ eſt ordo quidam per doctrinam in Eccleſia præſcriptus. Atqui apud nos eſt vera doctrina. Ergo & legitimam habere poſſumus vocationem, tametſi ab alijs eam non acceperimus.* Iſte eſt ipſiſſimus nouorum horum paſtorum diſcurſus. Et *Mornæus* idem clarè docet, dum interroganti de eorum vocatione reſpondere ſe poſſe dicit: *Verba quæ loquimur teſtimonium reddunt*

de nobis. Quod dictum impudenter nimis *Christo* Domino imponit, vt supra vidimus, & vt oportebat detestati sumus. Ex his clare constat, eos ex doctrinæ suę qualitate vocationis suæ sufficientiam probare velle.

Refellitur ministrorũ Gallorũ insulsa argumẽtatio.

Ad ridiculum vero ministrorum istorũ argumentũ iam respondeo, non probare quod habeãt legitimã vocationẽ, sed ad summũ quod possint habere; neq; id quidẽ ex vi argumẽti cõcludit. Nã tantundẽ est, ac si quis volens probare se decẽ millia aureorum habere, ita diceret: Omnis mercator potest habere decẽ millia aureorũ. Sed ego sum verus mercator. Ergo & tot aureos habere mihi est possibile, quis hominis istius futiles ineptias nõ derideret? Etiãsi enim minor propositio huius argumenti vera esset, argumentũ tamen nihil ad mentem arguentis concluderet. Sed si minor propositio non minus esset dubia quam illud quod ex ea inferri deberet, vt in argumento ministrorũ accidit, supra modum stultum esset argumentum, vt terminos eius consideranti clarissime apparebit.

Et tametsi Ministri isti alias vocationis suæ probationes habere, insinuare videñ-

tur cum dicant, *si nulla alia vocationem nostram probandi ratio suppeteret*: inanis tamen est ista eorum iactantia. Cũ enim in professione fidei suæ fateãtur se omnino extraordinariè vocatos esse, vt infrà videbimus, & huius vocationis testificationem ex miraculis non confirmant (cum enim ipsi miracula non operantur, ea omninò cõtemnere vidẽtur, vulpi non dissimiles, quę cũ vuas desideratas attingere nõ potuit, eas dedignari videbatur) aliã vocationis suę probationẽ pręter eam quæ ex prætẽsa doctrinæ suæ veritate ineptè desumitur, habere se inaniter iactitant.

Confess. Geneuẽs. art. 31.

Quare contemnere videntur nouatores miracula.

Scio equidem *Mornæum* in *Gallijs*, & *Feildeum* in *Anglia*, & fortè alios alibi affirmare nouam ministrorũ suorum progeniem eandem omninò vocationem ordinariam habere, quam in Ecclesia *Catholica* esse ipsimet fatentur: sed nos huius assertionis veritatem, commodiori loco discutiendam relinquentes, hoc interim obseruabimus: doctores istos hoc asserendo disertis verbis præcipuam Ecclesiam reformatam, *Geneuensem* scilicet, falsitatis manifestè redarguere. Profitetur enim illa, homines suos, siue ministros extraordinaria vocatione à Deo

Art. 31. necessariò fuisse excitatos. Sed professores falsitatis contraria, & contradicentia effutire non est adeo mirum.

Certe adeo dubia, incerta, & obscura est, etiam apud ipsos *Protestantium* magistros ac Rabinos vocationis suæ quæstio (quæ tamen cum totius legitimæ prædicationis, & reformationis primum ac præcipuum sit fundamentum, clarissima ac notissima oporteret esse) vt prorsus nesciant, vtrum ordinariam, vel extraordinariam, vel & ordinariam, & extraordinariã eã nominare debeãt. Quidã enim contendũt ordinariã esse. Ita quidẽ *Mornæus. Si quærãt*, inquit, *qualis fuerit Ministrorũ vocatio, qui primi nostra memoria deformatam Ecclesiam pristino splendori restituerunt: Respõdemus eandẽ fuisse, tũ vocationẽ tũ successionẽ, quibus temerè ipsi gloriãtur.* Istam autẽ ordinariam esse nemo dubitat. *Feildus* etiam minister & Doctor *Anglus* idem apertè docet, dum Episcopum & Presbyterum ex natura rei eiusdem esse ordinis, potestatis, & dignitatis, (*Mornæum* in hoc secutus) contendit; hocque vt ministros Ecclesiarum reformatarum *Galliæ* nimirum & sociarum, vocationem legitimam habere ostendat. Alij verò vocationem

Variè sentiunt de vocatione sua nouatores.

Mornæus p. 487.

Fieldus l. 3. de Ecclesia c. 39.

ordinariam vel contemnentes, vel eam ſibi vẽdicare non auſi, miniſtros ſuos extraordinariè eſſe excitatos, non ſolum docent, ſed etiam vt fidei ſuæ articulum credendum proponunt, & profitentur. Ita tota Eccleſia *Gallicana* falsò dicta reformata. *Oportuit vt aliquando, & præſertim diebus noſtris (quibus ſtatus Eccleſiæ interruptus erat) Deus modo extraordinario homines excitaret, qui Eccleſiam deſtructam & deſolatam denuò ſuſcitarent*: adeo vt iſti vocationem ſuam extraordinariam vocent.

Art. 31.

Alij denique neque de iſta, neque de priori loquendi, vel credendi modo ſecuri, ac propterea vtrumque inuoluere cupientes, vocationem ſuam partim ordinariam, partim verò extraordinariam eſſe aſſerunt. Ita Miniſtri quidam *Galli* ſuprà citati. *Quantum ad primos* (inquiũt) *de quibus præſentes* (ſcilicet miniſtri) *vocationem ſuã verè ordinariam ſucceſſiuè ſuſceperunt, dicimus eorum vocationem fuiſſe partim extraordinariam, partim verò ordinariam.* Quis vero his omnibus attentè ponderatis, iſtos vocationem neque ordinariam, neque extraordinariam, & cõſequenter nullam omnino habere, non concluderet? Præſertim cum iſti omnes

In reſponſ. ad quæſt. de vocat. ſua.

adeo diuersa sentientes, de earundem Ecclesiarum ministris (*Galliarum* scilicet) loquantur: Ecclesiam enim *Anglicanam* distincto ab istis inniti fundamento postea videbimus. His igitur perspectis, mirum non est, quod ad prætensam doctrinæ suæ veritatem tanquam vnicum refugium, vnde vocationis suæ aliquam saltem probationem desumere possint, isti recurrant.

Vndiq; coarctātur nouatores.

Cum enim ex vna parte omni alia probatione destituantur, & ex altera se nullam vocationem habere fateri non audeant (sic enim *falsi prophetæ*, *lupi*, & *latrones* statim ab omnibus haberentur) ad turpissimum hoc effugium, vocationem suam per fucatam doctrinæ suæ veritatem probandi, recurrere necessariò coguntur. Cuius quidem probationis absurditas, tametsi vnicuique qui mediocri tantum attentione rem ipsam perpendat, statim occurrat: non est tamen ita vndequaq; obuia & aperta, quin ijs, qui vel præiudicata opinione de Ecclesiæ *Romanæ* corruptela, contra ipsam feruntur, vel æternæ salutis suæ minimè solliciti (quorum infinitus est numerus) vanitatem eius nec leuiter quidem pon-

derare ſatagunt, ſufficiens probatio videri poſſit.

Iſto igitur fucato argumento fraudulenti iſti abutuntur, vt apparenti illius probabilitate tecti, in hoc anguſto prætenſæ reformationis ſuæ limine (quo de vocatione ſua neceſſariò agitur) turpiter non impingant, non enim ignorant, quęſtionis huius ſtatũ, adeo omnibus eſſe cognitum, adeoq; ab omni ſurreptione immunem (ac proindè à *Chriſto* Domino, oſtio ouilis rectè comparatũ) vt ſi leui tãtum attẽtione obſeruetur, à falſis paſtoribus, ſeu peregrinis prædicatoribus pertrãſiri ſit penitus impoſſibile. Eo tamẽ ſemel quacunq; fraude vel dolo pertrãſito, in ampliſſimã de doctrina diſputationem ſtatim excurrunt. In qua tametſi maiorẽ veritatis euidentiam vel probabilitatem, quam in quæſtione de ſua vocatione efficere nequeant, non tamen adeò facilè & euidenter (ſaltem ad aliorum captum) falſitatis & erroris refelluntur. Quemadmodum enim longè faciliori negotio fur vel latro ab ingreſſu domus, porta cuſtodita excluditur, quã ſemel intromiſſus iterũ expellitur, ita multo facilius omnes hæretici de intruſione & legitimę voca-

Dolus malus ſectariorum.

Io. 10.

Exemplum nõ incommodum.

tionis defectu conuincatur (quod est quodammodo eos ab ingressu, Ecclesiæ ianuis diligẽter obseratis excludere) quã de falsitate doctrinæ, & errore fidei reuincuntur, quod est eos post ingressum extrudere. Et ratio istius, præsertim quantum ad nouatores nostri temporis spectat obuia est. Cum enim ipsi aliam doctrinæ regulam, vel iudicem præter sacræ scripturæ literam, eamque iuxta sensum& intellectum suum explanatam, non admittant, mirum non est, quod de errore non adeò facilè conuinci queant: dico autem ita conuinci, vt nullum omnino effugium habeant. Quod quidem horum temporum hæresibus non est peculiare, sed omnibus planè, quæ ab initio Ecclesiæ vnquam fuerunt commune cognoscitur. Nullus enim vnquam fuit adhuc hæreticus, qui sacram scripturam in sui erroris defensionem non protulit, quam si secundum suum ipsius sensum interpretaretur quis, hæresis vel erroris eum nunquam conuincere posset alius. Et huius rei euidens habemus exemplum in abiectissimo homuncione nomine *Legat*, qui paucis abhinc annis, in campo dicto Fabrorum

Fraus aduersariorũ detegitur.

Legat Arianus crematus, sed non conuictus.

Londini in *Anglia* propter *Arianiſmum* cre-
matus fuit. Quem (licet alia doctrina,
quam quod Biblia ſacra in lingua vulga-
ri edita legere ſciret, non eſſet inſtructus)
omnes Epiſcopi & Doctores *Angli* ita
conuincere, vt errorem ſuum agnoſce-
ret, nequibant. Vnde clare conſtat quã
difficile, vel etiam impoſſibile ſit, obſti-
nato hæretico veritatem fidei perſuade-
re. In quæſtione vero de vocatione ali-
ter omnino ſe res habet. Nulla enim in
ea tergiuerſandi ratio ſuppetit. Niſi enim
quis ſẽſibilia vocationis ſuę teſtimonia, à
noto Eccleſię paſtore habita proferat,
ſtatim abſque vlteriori examine lupus
agnoſcitur, ſeu falſus propheta, qui ex
ſe venit abſque èo quod legitimè voce-
tur, & currit à nemine miſſus. Et iſta ve-
ra eſt ratio, cur Nouatores noſtri, tam
ſtudioſè quæſtionem de vocatione ſua,
(quæ lupina eorum pectora ouinis pelli-
bus obtecta, omnibus non voluntariè
cęcutientibus manifeſtè detegit) decli-
nare, & ad queſtiones de doctrina ſtatim
tranſilire cupiant. In quibus peruicaciã:
& obſtinatam iudicio proprio adhęrendi
peruerſitatem, ſufficientem in perpetuũ
contendendi materiam ſibi miniſtrare

Cur nouatores quæſtionem de vocatione refugiunt.

non ignorant. Et hoc interminatę diſputationes, quas non tantum cum *Catholicis*, ſed etiam inter ſe inuicem, ſine vlla ſpe illas determinandi exercent, clarè demonſtrant.

CAPVT SEXTVM.

Vtrum ſola electio populi ſufficientem ad verbum Dei, & Sacramenta adminiſtranda, authoritatem & vocationem præbeat. Hoc eſt:

Vtrum homines laici, ſiue principes ſint, ſiue ſubditi, ſiue magiſtratus, ſiue populus, ſiue denique multi, ſiue pauci, competentem ſeu ſufficientem, paſtores & prædicatores ordinandi poteſtatem habeant.

MORNÆVS tandem perſpiciens quod abſque electione & ordinatione à populo facta, impoſſibile omnino ſit ei primos ſuos miniſtros à quibus cœteri deſcen-

dunt (ab euidenti intrusione & vsurpatione defendere, docet electionem populi sufficienté ministerij Ecclesiastici potestaté tribuere, quod licet religione, seu potius irreligione sua (vt ita loquamur) dignum sit dogma, est tamen non tantũ absurdum in re ipsa; sed etiam expressæ *Caluini*, *Lutheri*, & aliorum nouę reformationis magistrorum doctrinę directè contrarium, vt statim apparebit. Sed ita scribit *Mornæus*.

Mornæus.

Si qui in perdito, qualem vidimus, Ecclesiæ statu, non expectata eorum aut vocatione aut approbatione, qui sub pastorum larua gregem Domini miseris modis opprimebant, primum absque hac formali vocatione verbum Dei annunciarunt: deinde ab Ecclesijs, quibus ministerium suum consecrabant, vocati fuerunt, nihil mirum id videri debet. Hinc manifestè apparet electioné populi ex huius doctrina sufficiẽtem ad sacrorũ ministricũ potestaté præbere, ijs saltem, qui in aliqua ciuitate iam laborarũt, & ministeriũ suũ eidem dedicarunt, quod etiam ex argumentis suis statim referendis, & refellendis clarius videbitur.

Et certè aliam vocationem non habuit primus Ecclesiæ reformatæ in

Gallijs minister, de quo quid ipsimet scribunt hîc accipe.

Hist. Eccl. Tom. 5. fol. 50. Apud Florimundũ lib. 7. de ortu & interitu Hæresis cap. 7.

O præclaram noui Euangelij in Gallijs originẽ & auctorem.

Eo tempore quædam Ecclesiæ forma Mildæ instituta est, nonnulli ciuium in vnum congregati præmissis orationibus & jeiunijs carminarium quendam cui Petrus Clericus nomini erat in ministrum elegerunt, virum & vitæ integrum & scripturis versatissimum, quamquam linguam nullam præter Gallicam calleret. Atque huic in Conuenticulo concionibus habendis & sacramentis administrandis occupato, Deus tam fœlicem ministerij sui successum largitus est, vt breui tempore multis illuc è pagis confluentibus, quadringentos paulo minus vtriusq; sexus sectatores habuerit, quæ mox causa fuit illorum detegendi.

Institut. l. 4. c. 3. sect. 16.

Caluinus istud *Mornæi* absurdissimũ dogma his verbis refellit, *Licet nullum extet præceptum de manuum impositione, quia tamen fuisse in perpetuo vsu Apostolis videmus, illa tam accurata eorum obseruatio præcepti vice nobis esse debet.* Vbi obseruandum est primo, ipsum loqui de tempore, in quo summa erat pastorum necessitas (ne *Mornæus* ad necessitatem, vt solet, recurrat) de tempore scilicet, de quo *Christus* ipse testatus est, *messem magnam esse, operarios autem paucos.*

Math. 6. 17.

Secundò

Secundò etiam obſeruandum eſt, *Caluinum* hac ſua doctrina ſeipſum manifeſtè condemnare, qui munus Paſtoris & Doctoris, abſque vlla omnino manuum impoſitione (quam tamen præceptam eſſe ex vſu Apoſtolico probat) ſacrilegè vſurpauit. Propter quem præcipuè, *Mornæum* poſuiſſe hanc ſuam nouam doctrinam nulli dubium eſſe poteſt. Cum enim dixiſſet, *Vvicleffum, Huſſum, Lutherum, Zuinglium, Oecolampadium, Bucerum, Captionem, Martyremque & alios Eccleſiæ ab Antichriſti tyrannide vindices, Presbyteros fuiſſe*, ac proindè vocationem ordinariã habuiſſe, quam magiſtro ſuo *Caluino* tribuere non potuit, vt eum à primorum patrum ſuorum numero non excluſiſſe videretur, doctrinam ſuam eouſque extendit, vt *Caluino* etiam, qui nec Preſbyterij dignitatem vnquam acceperit conuenire poſſit. *Caluinus* vero ipſe econtra tantum abfuit, vt ordinationem Orthodoxam à ſe aliquando receptam agnoſceret, vt diſcipulos ſuos doceret eam vituperandam, & tanquam fœtidam, expuendam, & execrandam, vt poſtea videbimus: ſiue hoc fecerit, quia nimirum eam habere non potuit, ſiue

Caluinus ſeipſum cõdemnat.

Pa. 487.

Pater Caluini præbendam & beneficiũ etiã rurale ei adhuc iuueni prouiderat, nunquã tamen ordinibus ſacris initiatus fuit, vt ſatis clarè teſtatur Beza in vita Caluini, non procul ab initio.

quia eam verè detestatus fuerit, non adeo constat. Videant itaque miseri Ministelli, (si tamen oculos habeant vt videant) quali patre sunt oriundi, tali nimirum, qui pręcepti diuini de ministris Ecclesiasticis per manuum impositionē ordinādis, Apostolico vsu declarati, &ab ipsomet agniti, transgressionis clarissimè conuincitur. Sed hæc obiter adnotâsse sufficiat.

De locis communibus classe 4. c. 20.

[illegible]an. [illegible]. bi-[illegible]iæ.

Lutherus etiam eandem *Mornæi* doctrinam apertissimè refellit his verbis: *Hoc explores an vocationē suam probare possint: neque enim Deus vnquā aliquē misit nisi per hominem vocatum & per signa declaratum, ne ipsum quidem filium.* Et ad Milhousenses; *quæratur ab eo (Munstero scilicet) quis docendi munus illi commisit? Si dicat se à Deo & Spiritu eius missum esse, quemadmodum Apostoli, probet hoc signis & miraculis, vel nolite ferre vt concionetur: nam vbicumqe Deus ordinariam viam mutare vult, ibi semper miracula facit.* Si hæc regula, quæ verissima est (diabolus enim ipse non semper mentitur) in ijs interrogandis, quos *Mornæus absque formali missione verbū annunciasse* fatetur, obseruata fuisset, quid ipsi, aut etiā *Mornæus* eorū nomine, obsecro, respondisset? Cer-

te aliud abſque mendacio reſpōdere non poſſent, quā quod non miſſi cucurriſſent, & non vocati veniſſent, ac proinde non veros paſtores, ſed lupos ac latrones eſſe. Sed infœliciſſimus ſimul ac perditiſſimus *Lutherus*, qui adeo ſuo ſe gladio iugulat, *eadē agens, quæ in alijs iudicat* (vt loquitur Apoſtolus:) non minus enim ex ſeipſo currens prædicabat quam *Munſterus*, quē tamē ab Eccleſijs & pulpitis expellendū, adeo ſeuerè (ſed verè tamen) cēſuit. Et ij qui huiuſmodi perditos, & proprio ore condemnatos duces (antiquos probatoſque paſtores ſuos voluntariè deſerentes) ſequuntur, nónne in eandem ruinam ac perditionem ſimul cum illis incident?

Ro. 2. 1.

Lutherus contra ſeipſum fert ſententiam.

Sed videamus iam, quam cōformis ſit hæc *Mornæi* doctrina ſcripturæ ſacræ. Equidem *S. Paulus* docet, *neminem ſibi aſſumere honorem, niſi qui vocetur à Deo tanquam Aaron.* Et hoc adeo verum eſſe docet *Lutherus*, poſt eundem Apoſtolū, vt locum habeat etiam in vnigenito Dei Filio. Et iterū idem Apoſtolus alio loco expreſsè docet *neminem prædicare poſſe niſi qui mittatur.* Falsū ergo, & ſacræ Scripturę

Hebr. 5.

Ro. 10.

directè oppositum est quod *Mornæus* ore non minus sacrilego, quam impudenti effutire ausus est, aliquos ex suis (*Caluinum* sine dubio inter cœteros, & præ cœteris intelligit) absque formali vocatione prædicationis officium licitè vsurpâsse. Quos expressum verbi diuini præscriptum transgressos fuisse (si tamen *S. Pauli* doctrina apud illos vera sit) clarissimum est.

Effugiū Mornæo præcluditur.

Dicet fortasse *Mornæus* vocationem sufficientem istos accepisse ab Ecclesia illa, quam ante docuerunt, & cui ministerium suum consecrauerãt, ac proindè illis non aduersari Apostoli doctrinam. Miserrimum quidem istud effugium video illum auidè arripere. Sed similis est homini aquis pereunti, & vndas frustrà amplectenti.

Primò enim (disputationis gratia) supponamus, populum vel Ecclesiam, quam isti reformationis ministri docuerant, legitimam vocationem per electionem suam illis præbere potuisse; quis eis obsecro authoritatem, illum populum primo docendi commisit? Certè negari nõ potest, quin primò absque vocatione prædicarint, atque adeo non Dei prædi-

catores, ſed diuinæ legis præuaricatores extiterint. Quis igitur communi ſenſu præditus, dicturus ſit, illos Eccleſiam *Christi* reformaturos, qui tanto ſcelere & impietate, tale facinus aggreſſi ſunt, vt primo religionis ſuæ partu, clariſſimã ſancti Spiritus ordinationem violarint? Deinde certum eſt populum ſeu Eccleſiam, quam iſti nulla vocatione muniti docere præſumpſerunt, illos per poſteram ſuam electionem, legitimos paſtores conſtituere non potuiſſe. Nam talem poteſtatem neque ex ſe habuit ille populus (vt ex reſponſione ad primum eius argumentum ſtatim patebit:) neque à Deo illam acceperunt. Talem enim authoritatem à Deo alicui populo factam aliquando fuiſſe, neque ex Scripturis ſacris, neque ex traditionibus Eccleſiaſticis, neque ex Concilijs, vel patribus vſquam apparet (loquimur enim de electione, quæ poteſtatem prædicandi, & ſacramenta adminiſtrandi reuera tribuit, & non de illa electione, quæ ordinationem, & manus impoſitionem præcedere antiquitus ſolebat) neque tandem à nouis ſuis prædicatoribus eam recipere potuerunt. Nam cum ipſi talem poteſtatẽ

Nota.

non habuerunt, impossibile erat planè, vt eam auditoribus suis traderent. Nullã igitur potestatem legitimos pastores ordinandi, vel constituendi populum illum habuisse clarum est. Vnde vlteriùs constat, istos ministros, quos *Mornæus ex seipsis primùm cucurrisse* fatetur, munus prædicandi non tantum in prima sua prædicatione, sed etiã in omni vitæ suæ cursu, & ministerij processu, sacrilego, ausu vsurpasse. Ex quibus omnibus adhuc vlterius cõsequitur, ministros omnes, qui à primis illis, *Caluino* scilicet, & eius socijs succedanea vsurpatione vsque in hodiernũ diem descenderũt, aliũdè vocationẽ suã nõ esse sortitos, quã ab eo, qui *Coré* primũ rebellẽ, & sacri muneris vsurpatorẽ, sacrificandi potestatem sibi assumere, (vnde & igne de cœlo cõsumptus est, vt suprà vidimus) edocuit. Nõne igitur & illi participes erunt seuerissimæ illius sententiæ, quam Spiritus sanctus per os Apostoli *Iudæ* hisce verbis effulminat? *Væ illis qui in contradictione Coré perierunt.*

Iudæ 11.

Iam priusquam ad argumenta *Mornæi* respondeamus (argumenta enim aliqua pro absurda eius doctrina afferri posse non est mirum, cũ nullum omnino adeo

absurdum sit paradoxum, quod omnibus quibus fulciri possit argumentis, penitùs destituatur) vt friuolas quasdã cauillationes, quæ in fauorẽ aduersariorum, & Catholicæ veritatis præiudicium fieri solẽt, præoccupemus: Illud hic obiter adnotabimus. Non esse nobis cum illis controuersiã, vtrum cum *Lutherus* hæreses suas primũ disseminare cœperit, aut etiã modò, omnes Ecclesiæ doctores, & pastores, absque omni in vita sua & moribus culpa, seu maculæ nota immunes fuerint, vel etiã nũc sint (quæstio enim ista à controuersia, quã præ manibus habemus, omninò aliena est) sed vtrum & tunc non fuerint, & nunc etiã non sint in Ecclesia *Catholica* & *Romana*, pastores & doctores legitima pastorali potestate præditi, tali nimirum, qualis erat ea, de qua locutus est Dominus, cum diceret: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis seruate & facite: secundum autem opera eorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt.* Vbi euidenter distinguit inter munus, officium, seu potestatem pastoralem, & vitam ipsorum pastorum: volens ac iubens, eorum præcepta ac monita, quæ tan-

Obiectio præoccupatur.

Matt. 23. 2.

quam superiores tradituri sunt, à subditis suis audiri & obtemperari, tametsi eorum mores & actiones non semper imitandæ sint, nimirum quando eorum opera monitis & præceptis suis, vt non raro accidit, aduersantur. Ista obseruatio, quam doctrinæ *Christi* Domini conformem esse ex dictis clarè patet, omnē inanem aduersariorum cauillationem, ex moribus & vita prælatorum Ecclesiæ *Catholicæ* desumptam, penitùs euacuat. Esto enim, omnia quæ vel per calumniā, vel aliter contra eos obijciunt, vera sint, nihil tamen contra eorum authoritatem vel vocationem faciunt, vt ex verbis Domini iam allatis clarissimè constat. Iniquitas enim prælatorum, etiamsi maxima esset, aduersariorum contra Ecclesiam rebellionem, & schismaticam eorum separationem ab eadem, iustificare nequit: non magis quam magistratuum ciuilium abusus, & praua conuersatio, subditorum rebellionem contra regem suum (quamuis sub specioso reformationis prætextu, inceptam) à læsæ maiestatis scelere excusare possit. *A Christo parte meo, neque ab Ecclesia eius, nullus hominis crimen vel calumnia, me vnquam sepa-*

In Colat. Cart. die 3.

rabit, dixit *S. Augustinus* Et ſine dubio ſi noui iſti prædicatores, & Euangeliſtæ veram Eccleſiæ reformationem, & non potius vltimam eius ruinam, reuera intendiſſent, illius vnitatem integram, & intemeratam ſolicitè ſeruaſſent, & ea media ac remedia, quæ Spiritus ſanctus ad propugnandam & propagandam fidem, ad conſeruandam pacem & vnitatem, ad reparandam denique collapſam diſciplinam inſtituit, vt ea quæ emendatione egebant verè corrigerent, ſtudiosè adhibuiſſent: & non in aperta ſchiſmata excurrentes, fidei vnitatem, & Eccleſiæ communionem factionibus ſuis violâſſent; vnde malum, quantum in ipſis eſt, inſanabile reddiderunt. Antequam enim ipſi ſeditioſa Apoſtaſia Eccleſiam deſererent, & vnitas fidei, & charitas communionis inter omnia *Christi* membra inuiolata permanebat, non obſtante quacunque vitæ & morum particularium hominum, etiam in publicis magiſtratibus conſtitutorum, corruptione, ſeu abuſu, ſiue verè exiſtente, ſiue falsò confictò. Iſta vero vnitate integra permanente, cuicunque malo Eccleſiam inficienti, conueniens remediũ

Ruinã & non reformationem Eccleſiæ quærunt nouatores.

inuenire&adhibere,difficile non fuiſſet: quod tamen ea deſtructa, poſt iſtorũ hominũ ab Eccleſia voluntaria ſeparatione, non modo difficile,ſed& impoſſibile,niſi ad vnitatem redeant omninò redditur.

Effugiũ prætendunt. Dicent fortaſſe iſtum quidem agendi modum non ſolum vtiliter, ſed & omninò neceſſariò fuiſſe obſeruandum, dummodo vel vnitas Eccleſiæ, vel etiam ipſamet Eccleſia integra permãſiſſet: Sed cũ vera *Chriſti* Eccleſia penitus eſſet deſtructa, & nihil illius manſiſſet, præter Antichriſti Synagogã, ſub nomine & vmbra Eccleſiæ,ſeu congregationis Chriſtianæ, prædictus agẽdi modus inutilis,& fruſtra penitus fuiſſet, ſed opus neceſſe fuit Eccleſiam à primis fundamẽtis reædificare & reſtaurare. *Eis præripitur.* Ad hanc obiectionẽ (quia materia iſta plenè hîc tractari nequit) aliud non reſpondebo,niſi quod ij,qui vel *Ipſimet nouatores ſæpiſſimè docent Eccleſiam perire cnipt[illegible].* veteri,vel nouo teſtamento fidem habẽdam exiſtimant,Eccleſiam *Chriſti* vel iam perijſſe, vel vſque ad conſummationem ſæculorum vnquam (ita vt iſti ſupponũt) perituram eſſe, nec ſomniando quidem opinari poſſunt,proindéque cum diſceſſionem ſuam, ſchiſmata , & nouas reformationes, per huiuſmodi Eccleſiæ de-

liquium iuſtificare conantur, falſitatem ſuper falſitatem ædificant, adeoque dignum patella operculũ nobis obtrudũt.

Atque tametſi præſens noſtrum inſtitutum plenam huius veritatis diſcuſſionem, ac declarationem non patiatur, ne tamẽ quis me hoc aſſerẽdo veritatis modum exceſſiſſe exiſtimet, pauca aliqua vtriuſuis ſacri inſtrumẽti teſtimonia, quæ hãc veritatẽ cuiq; non peruerſo, & obfirmato ingenio euidẽter cõuincũt, indicare potius, quã allegare volui, grauiori ac ſeueriori prudẽtis lectoris calculo, põderanda pro otio ac libito ſuo ea relinquẽs.

Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: ſpiritus meus, qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui, dicit Dominus, amodò & vſque in ſempiternum. *Eſaiæ 59.21.*

In diebus autem regnorum illorum ſuſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur, comminuet autem & conſumet vniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum. Vide etiam *Danielis* c. 7. v. 14. & 27. *Dan. 2. 44.*

Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meã, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. *Math. 16. 18.*

Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus die-

Math. 28. v. vlt.

bus vsque ad consummationem sæculi. In quę verba Fulco inter celebriores *Angliæ* horum temporum scriptores *Protestantes* nominandus, ita scribit: *Neque dicimus, neque sentimus Ecclesiam defecisse, sed constāter credimus, quod semper permansit, & vsq; ad finem sæculorum semper permanebit.*

Luc. 1. 33.

Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.

Ephes. 4. 12.

Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem filij Dei.

Clarissimis istis diuini eloquij oraculis nihil obstantibus, adeo obcœcati sunt sua peruicacia Nouatores, vt cum prætensas suas reformationes absque Ecclesiæ *Christi* supposito defectu, nulla ratione sustinere queant, illum nonnullis leuissimis coniecturis & consequentijs, sed non vno expresso sacræ Scripturæ testimonio, (quamuis nihil præter ea, quæ in sacris paginis continentur, vel credendum vel docendum esse inaniter deblaterare soleant) astruere conantur. Futi-

lia eorum argumenta præter alios, ab Illustrissimo, ac eruditissimo *Cardinali Peronio* in Replicatione ad responsionem quorundam ministrorum de eorum vocatione, luculenter refutata, & in fumũ redacta, lector habes, eum, si lubet, consule. Nos vero argumenta, quibus *Mornæus* vocationem ministrorum suorum, à populo acceptam vel traditam defendere conatur, examinabimus.

Primum sic efformari potest: *Non magis mirum videri debet, homines ab Ecclesiis, vel populis, quos instituerunt, vel quibus verbum Dei annunciauerunt, absque alia formali vocatione, in pastores eligi vel assumi, quam si populus in Republica libera nihil moratus tyrannorum consensum, & suffragia, bonos & prudentes crearet ex legibus magistratus. Sed istud non est mirum. Ergo neque illud.*

Primum Mornæi argumẽtum.

Respondeo primò crassissimi iudicij esse, ac intolerabilis ignorantiæ, Ecclesiasticum ministerium cum ciuili magistratu in ratione vtriusque instituendi comparare, quandoquidem illud sit potestas merè spiritalis, qua spiritualia ac supernaturalia dona, ac mysteria, quæ in animis hominum effectus suos operãtur & producunt dispensantur, ac proin-

Discrimen inter Ecclesiasticum & ciuile ministerium.

de vt à solo Deo institui possunt, ita ab ipsis solis, qui à Deo potestatem acceperũt, ministrari queant: ac propterea Apostolus admonet, *vt existimentur tanquã ministri Christi, & dispensatores mysteriorum Dei:* Iste vero sit merum tẽporale ius & potestas in res corporeas ac naturales, qualia sunt bona fortunæ & naturæ, quod ab hominibus tribui posse, omnium primæ Rerumpublicarum institutiones demõstrant. Quemadmodum igitur impossibile est, aliquem alteri dare, quod ipse non habet, neque actu neque virtute (vt loquũtur in scholis) neque ex se, neque ab alio acceptum: ita planè impossibile est, populum potestatem administrandi Dei verbũ & sacramenta, quã neque ex seipsis habent, neque à Deo receperunt, (talis enim concessio à Deo facta nusquam reperitur) alijs impertire, vel communicare posse. Sicut enim *nemo Sacerdotij honorem sibi sumit, nisi qui vocatur à Deo tanquam Aaron*, vt docet Apostolus, ita sine dubio (immo & à fortiori) nemo potestatem, illum honorem alijs conferendi sibi assumit, nisi qui eam à Deo, illius potestatis solo authore, accepit.

1. Cor. 4. 1.

Hebr. 5.

Secundò etiam respondeo; si in aliqua

Republica liberum esset populo, nouos magistratus creare, quotiescũque legitimos magistratus suos tyrãnidis, & corruptionis, vel alterius criminis insimularẽt, qualem libertatem in eligendis, & constituendis pastoribus Ecclesiasticis, *Morneus* hic populo tribuit; mirum mihi esset, si ipse in tali Republica magistratum gerere cuperet: quippe cum in tali munere eum diù non permansurum, sed cũ bonorum, famæ, ac etiam fortasse vitæ suæ periculo propediem inde expellendum fore, nemo prudens dubitare possit.

Duci ad absurdum

Tertiò respondeo hoc *Mornei* argumentum euidenter supponere vniuersalem omnium legitimorum pastorum Ecclesiæ defectum, & abolitionem, cũ scribat, *non expectandam fuisse vocationẽ seu approbationem eorũ, qui sub larua pastorum gregẽ Domini, miseris modis opprimebãt.* Que tamẽ suppositio nõ modo in Scriptura sacra nõ cõtinetur (quæ sola ratio, iuxta doctrinã *Protestantiũ*, ad eam improbandã sufficiẽs esset) sed adeo Scripturæ sacræ expresse aduersatur, vt si nihil aliud in toto sacro textu inueniretur, quod ministeriũ istud nouum refelleret, hoc solũ efficacissime illud refutaret. Nã præter illa clarissima

Falsum supponit.

vtriusque testamenti tã veteris, quã noui testimonia, paulo superius allata, quibus euidẽter conuincitur, Ecclesiam *Christi* nunquam ante finem mundi perituram, quæ etiam legitimos pastores in ea semper futuros aperte demonstrant: Ecclesia enim ex *S. Cypriano* non est aliud nisi populus vnitus cum suo Episcopo & pastore, ac proinde Ecclesiam in Episcopo esse, & Episcopum in Ecclesia asserit. Et *S. Hieronymus*: *Ecclesia nõ est, quæ sacerdotẽ nõ habet.* Præter illa (dico) clarissima testimonia (quorum quartũ ex *Math.* 28. & vltimum ex *Ephes.* 4. non solum ex consequenti, sed etiam directe continuam pastorum durationem probant) addendum est illud *Esaiæ* in persona Dei dicentis. *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes: tota die ac tota nocte, non tacebũt in perpetuum.* Quibus omnibus mediocri tantum attentione ponderatis, quiuis non scienter & prudenter errans perspicere potest, quales futuri sunt illi pastores, & prædicatores, qui missionem suam à talibus principijs, nimirum à pleno omnium legitimorum pastorum defectu, & extirpatione, ab Ecclesia desumere & deriuare coguntur. Et vlterius, qualem Ecclesiam

Ecclesiã absque pastoribus esse non posse docent Caluinistæ in articulis fidei. art. 25.

Hieron. con. Lucifer.

clesiam illam esse necesse sit, quæ à pastoribus taliter institutis regitur, & pascitur. Sed pergit in suis probationibus *Mornæus.*

Exempla extant in actis Apostolicis. Ibi legitur Philippum, qui ad solum Diaconatus munus fuerat vocatus, Samariæ, inscijs Apostolis, & nulla ab ipsis præeunte vocatione, Euangelium annunciasse. Et tamen illi opus ipsius approbarunt. Respondeo in tribus his lineis duas esse egregias falsitates, nō in circūstantijs quæstionis, sed in ipsamet illius substantia. Prima, quod *Philippus* absque vlla ab Apostolis vocatione Euangelizasset, ad Diaconatus enim munus (vt fatetur *Mornæus*) vocatus erat, idque per impositionem manuum Apostolorum (vt ex sacro textu patet) vnde & baptizandi, & prædicandi potestatem acceperat, neque illam in minimo excedebat. Secunda, *quod inscijs Apostolis Samariæ prædicabat*; quod non scriptura, sed *Mornæus* mendax dicit, qui *S. Philippum* ministris suis Reformistis similem esse cupit, vt nimirū à seipso absq; missione cucurrisse crederetur. Certè *S. Cyprianus* (si quicquam apud *Mornæum* valeat eius authoritas) *S. Philippū* ab Apostolis missum fuisse expressis verbis do-

2. Argumētū.

Act. 6. 5.

Epistolà ad Iubaianū 73.

cet; *qui in Samaria crediderant, fide vera crediderant, &c. à Philippo Diacono, quem ijdem Apostoli miserant baptizati erant.*

Addit *Mornæus* aliam de prædicatione *Frumentij* apud *Indos* instantiam, quam validè contra ipsum retortam habes capite præcedenti.

3 *Argumẽtum.* Subiũgit tandem ex *Origene* istud testimonium: *Sicut fortè in aliqua ciuitate, vbi nondum Christiani nati sunt, si accedat aliquis & docere incipiat, laboret, instruat, adducat ad fidem, & ipse postmodum ijs, quos docuit, Princeps & Episcopus fiat: ita etiam sancti Angeli eorum, quos è diuersis gentibus congregauerint, & labore suo ac ministerio proficere fecerint, ipsi eorum etiam in futuro principes fiant.* Ista sunt verba *Origenis*, quæ Latinus *Mornæi* interpres fideliter reddidit, excepto quod posteriorẽ partẽ cõparationis, quę mẽtẽ authoris declarat suppresserit. Sed quid ex hac *Origenis* doctrina ad suũ institutũ *Mornæus* colligere possit, me penitùs fugit. Nihil enim aliud docet *Origenes*, nisi quod ipse, qui gentẽ aliquam vel ciuitatẽ ad fidem suis laboribus cõuertit, fieri possit eorũ Episcopus, quod nullus negat. Sic enim *S. Petrus* factus est Episcopus *Romanus, Dionysius Parisiẽsis*, Augu-

ſtinus Cantuarienſis, & alij alibi. Sed quomodò hinc cõcluditur, populũ poſſe Epiſcopos & Paſtores inſtituere, vocare, aut creare, quod *Morneus* probare deberet? ſed *Morneus* ſolita ſua authores corrũpẽdi conſuetudine dexterè ſe adiuuat, ita in vulgari ſua editione ſcribens: *Exẽplũ populi paſtores ſuos vocantis, in ijs de quibus loquitur Origenes, habemus; qui ad ciuitatem aliquam fortè venientes, vbi nondum Chriſtiani nati ſunt docere incipiant, laborent, inſtruant in fide populum, quos poſtea populus paſtores ſuos conſtituant.* Aduerte prudens Lector, vbi inter Origenis verba inuenies, vel (*forte venientes*) vel quod magis facit ad rem (*quos populus poſtea Epiſcopus ſuos conſtituant*) & diſce eius malam fidem deteſtari, de qua coram *Henrico* quarto *Galliarum* Rege anno 1600. per eruditiſſimum tunc Epiſcopum *Ebroicenſem*, nunc vero Illuſtriſſimum *Cardinalem Perronium*, publice conuictus, notam illius ad perpetuam ſuam, & ſuorum omnium confuſionem (nunquam ſane niſi per veram, ac humilem rei ipſius confeſſionem & deteſtationem delendam) adhuc in fronte ſua gerit. Certe Latinus eius interpres à tanta falſitate hoc ſaltem loco abhorruit.

Egregia Mornæi falſificatio.

4. Argumẽtũ.

Post friuola hæc, quæ hactenus vidimus, argumenta ista tandem subdit. *Hæc nobis testimonia eo magis astipulantur, quod maiori quam vsquam adhuc premimur necessitate. Quin imo nullus extat in scripturis locus, in quo ministerium Euangelicum certæ cuidam successioni alligetur: contra legimus, Deum missurum duos testes ad id speciatim selectos, qui prophetaturi sint contra Antichristum, contra bestiam vocatione prorsus extraordinaria. Hæc vero illa est bestia, cui propriè martyres, seu testes nostri bellum indixerunt.*

Argumentum stolidũ.

Ista doctrina non dissimilis est calceo, qui omni pedi adaptari potest, adeo enim vndequaque laxa est & diffluens, vt omni planè sectę, *Arianis* scilicet vel *Anabaptistis* cõtra *Caluinistas* disputãtibus, nõ minus quam *Caluinistis* contra *Catholicos* argumentantibus, conuenire possit, ac proinde non solum responsionem, sed neque risum quidem mereatur. Si tamẽ *Mornæus* responsionem mordicus exigat, illam eandem quam ipse *Anabaptistis* ista sibi obijcientibus formaret, referet, neque aliam expectet donec hanc doctrinam magis sibi, quam vel *Anabaptistis*, vel etiam nobis, si ea contra ipsum vtere-

mur, fauere ostendat. Quid Scriptura sacra de successione pastorum docet, suo loco dicetur. Interim aduertendum est *Mornæum* non frustrà hîc vocationis extraordinariæ mentionem facere: eo enim fine id facit, vt cum alia ratione vocationem ministrorum suorum defendere nequit, ad extraordinariam recurrere liceat, neque id quidem absque summa necessitate, quandoquidem vocationem à populo quam valde extraordinariam esse nemo negabit, emendicare cogantur. Sed de his iam satis.

Caput Septimum.

Vtrũ quælibet ordinatio, cõsecratio, aut manuum impositio sufficientem prædicandi, & sacramenta administrandi potestatem conferat, vel legitimam ad ea omnia exercenda vocationem constituat.

TRibus immediatè præcedentibus capitibus tria diuersa vocationis genera à nonnullis *Protestantibus* (quia omni prorsus vocatione authentica destitutos se norunt) approbata, & tanquam legitima propugnata, refutauimus: Restatvt quartum genus (quod sicut maiorem probabilitatis speciem præ se ferat; ita plures habet fautores, & propugnatores) hoc capite examinemus. Et quæstio tantummodò hîc est, vtrum ordinationes, seu manus impositiones factæ per simplices Presbyteros, qui Episcopi non sunt, legitimam vel sufficientem ad ministerium Ecclesiasticum vocationem præbeant; Nam de ordinationibus factis per eos,

Status præsentis quæstionis.

qui inter *Protestantes* Episcopi nominantur, fuse dicetur inferiùs.

Vniuersæ Ecclesiæ falsò dictæ reformatæ, à *Luthero* descendentes (*Anglicana*, de qua infrà, excepta) ordinationes per simplices sacerdotes factas, legitimam vocationem constituere necessariò defendunt. Perspicientes enim ex vna parte internam, & extraordinariam vocationem à *Caluinistis* confictam adeo validè impugnari, vt subsistere nullo modo possit, (vti capite sequenti videbimus:) Ex alia vero parte cognoscentes se omni alia ordinationis, seu vocationis externæ & ordinariæ specie præter eam, quam à solis Presbyteris receperint, manifestè destitutos, in illius defensione firmiter insistunt; non omnino desperantes hac saltem ratione vocationem suam vel solidè confirmare, vel ita saltem fuco obducere & oblinire, vt nonnullis legitima apparere possit.

Nouatores in angustijs positi.

Mornæus itaque post satis prolixam, & nimis impertinentem de ministris disputationem qui à primis suis prodromis missi fuerunt, & ad eos qui modò sunt, vsque venerunt (de istis enim tantummodò questio præsens est,

quorum ſucceſſio non eſt adeo vetuſta, quin facilè recenſeri poſſit, nondum enim centum numerat annos) ad rem tandem propius accedens, hanc nomine *Catholicorum* ſibi format obiectionem. *Ijs quæ à nobis diſputata ſunt, hoc vnum habent quod reſpondeant, primos illos collapſæ Eccleſiæ reſtauratores, Huſſum dico, Lutherum, Zuinglium, Oecolampadium, & alios, à quibus noſtri propagati fuerunt, non Epiſcopos, ſed Doctores & Presbyteros fuiſſe. Quibus reſpondemus Presbyteros & Epiſcopos in veteri Eccleſia vnum idemque fuiſſe, ac ne nunc quidem eſſentiali dignitate, ſed titulis & tyaris differre.* Poſt hæc Epiſcopos Preſbyteros vocari, tam ex ſacra Scriptura, quam ex patribus, prolixè ſatis oſtendit, nempe cõtra vmbram ſuam ſtrenuè decertans, cũ nullus in hoc ei aduerſetur. Neque in hoc conſtituitur inter *Catholicos* & ipſum vlla controuerſia, vtrum Epiſcopi & Preſbyteri, vel Sacerdotes aliquatenus ſint paris poteſtatis, ſed vtrum ita omnino ſint æquales, vt quicquid poſſint Epiſcopi, idem ex iure diuino poſſint Preſbyteri ſeu Sacerdotes, vt ſtatim latiùs dicetur.

Pa. 504. latina editione.

Aërem verberat Mornæus.

Interim, illud quod dicit, hoc ſolum

contra Ministros suos obijcere *Catholicos*, quod ex Presbyteris solis, & non ex Episcopis procreati sint, falsum est. Esto enim ordinatores ministrorum suorum fuisse veros Episcopos, non tamen inde concluditur eos legitimè fuisse ordinatos, vt ex eis, quæ infra contra Ministros Ecclesiæ *Protestantium* in *Anglia* dicenda erunt, manifestè apparebit. Non solum *Mornæus*, sed etiam alij magistri *Protestantes* hanc ministrorum suorum vocationẽ propugnandi rationem libenter sequuntur. Nam præter ministros illos *Gallos*, qui quæstioni de vocatione sua sibi propositæ respondentes (quos eruditissimus Archiepiscopus & Illustrissimus *Cardinalis Perroneus* non refutauit modò, sed etiam contudit) hânc eandem ministerij sui prætendunt, & prætexunt Apologiam, *Magister Fieldus Anglus* (qui quinque libros de Ecclesia Anglicano idiomate, non absque laude à suis scripsit) non alia ratione ministrorum Ecclesiarũ reformatarum, & nominatim Ecclesiæ *Gallicanæ* vocationem, vel ordinationem defendit. Hancque ipsam doctrinam omnes, qui Ecclesiam *Gallicanam* falsò dictam reformatam (aliasque cum illa con-

Lib. 3. c. 39.

uenientes aliquam ordinariæ vocationis speciem habere prætendunt, necessariò amplectuntur. Quod enim nullã ab Episcopis ordinationẽ habeãt, magis clarum est, quam vel dubitari possit, vel probari debeat.

Dolus vel error egregius.

Qui vero hanc ministerium nouũ *Gallicanum* defendendi viam ingrediuntur, aut voluntariè, aut saltem ignoranter, egregiè hallucinantur. Quandoquidem enim Caluinus, à quo tota ministerij illius Ecclesiæ (loquimur vt ipsi loquuntur, quamuis non rectè, vt ab eis etiam intelligamur) progenies descendit, nunquã fuit Presbyter ordinatus, non potuit ipse etiam secundum istorum doctrinã, clerum aliquem post se mãsurum ordinare. Ac propterea necessariò, quod de *Hilario* quodam factum fuisse docet *S. Hieronymus, nempe vt cum homine secta ipsa extingueretur, quia clericum nullum ordinare potuit, propterea quod ipse Diaconus tantum esset, & Ecclesia non sit, quæ sacerdotem non habet*, ipsi *Caluino*, qui nec Diaconus fuit, à fortiori euenisset, nisi illius sectatores, prædicti *Hilarij* sequaces, impudẽtia atque cœca impietate longè superâssent, contendentes Ecclesiam esse posse, etiamsi nullũ omninò habeat sacerdotem: sed funda-

Beza in vita Caluini non procul ab initio.

Hieron. con. Lucifer.

Res notatu dignissima.

menta, quibus iſti, qui poteſtatem ordinandi Presbyteris tribuunt, nituntur, diſcutiamus.

Illud non ſolũ præcipuũ, ſed & vnicum eſt quod *Mornæus* nuper citatis verbis inſinuat, nimirum, quia Epiſcopi & presbyteri ex iure diuino: & inſtitutione *Chriſti* ſunt vnum & idem, ac proindè quicquid vnus poſſit, ſi in iure diuino, & primaria eorum inſtitutione perſiſtemus, alius etiam poterit. Quomodo autem Epiſcopatum, & Presbyteratum eundem eſſe ordinem ac poteſtatem, probare contendant, inferiùs videbimus.

Vnicum huius erroris fundamentũ.

Interim obſeruandum eſt, omnes *Catholicos* docere ac credere, immo ſemper docuiſſe, & credidiſſe Epiſcopum, ac Presbyterum ſeu ſacerdotem (iſta enim duo nomina in communi, & vſitata omnium *Chriſtianorum* acceptione idem ſignificare, abſque manifeſta peruicacia negari nequit) æqualem in primaria ac principali ſacerdotij functione, ſcilicet in conſecratione veri ac realis corporis *Chriſti*, in vero ac proprio noui teſtamenti ſacrificio. Quam quidem poteſtatem *Chriſtus* Dominus Apoſtolis ſuis, & in illis, omnibus qui per legitimam ordinationem ab eis ſacerdotes conſtituuntur,

Doctrina Orthodoxa.

Epiſcopus & ſacerdos pares in aliquo.

in vltima sua cœna post corporis & sanguinis sui consecrationem tradidit dicendo, *Hoc facite*. Propter hanc rationẽ istæ duæ appellationes, *Episcopus* & *Presbyter* sæpissimè ita confunduntur, tum in Scriptura sacra, quam in sanctis patribus, vt Episcopi, Presbyteri seu Sacerdotes vocentur; idque verè: sunt enim omnes Episcopi veri Sacerdotes, & econtrà Presbyteri, Episcopi nonnunquam etiam dicuntur: Non quia ijdem vel æquales sint in omnibus, sed in aliquibus: quod verũ quoque esse iam diximus. Quousq; vero conueniant, vel in quibus ista æqualitas inter Episcopos & Presbyteros inueniatur, non est huius loci disputare. Nam si in hoc vno, nimirum in potestate ordinandi alios & pastores procreandi, dispares reperiantur, nihil nostrâ refert, si in cœteris omnibus pares ac æquales fuerint.

Dispares vero sũt in aliquo.

Vnanimis omnium Orthodoxorum doctrina & fides semper fuit atque est, Episcopos, seu Episcopalem ordinem, Presbyteros, vel Presbyteralem potestatem in hoc excedere, quod illi, Presbyteros, Pastores, & Episcopos consecrare, ordinare, & (vt loquitur *S. Epiphanius*)

Ecclesiæ patres procreare possunt, quod isti præstare nequeunt. Hoc declarato, & contra aduersarios demonstrato, nullum ministrorum, prætensæ reformationis, qui ordinationem suam à solis Presbyteris recepisse cognoscuntur, & agnoscũtur (vti fecerunt omnes omnium Ecclesiarum *Protestantum* ad vnum ministri, exceptis *Anglis* & *Gallis*, quorum posteriores à *Caluino*, qui nec Presbyter, nec Diaconus extitit) legitimum Ecclesiæ ministrum, sed vniuersos meros laicos, ac proindè Ecclesiastici muneris sacrilegos vsurpatores esse, luce clarius constabit.

Probatur Catholica nostra doctrina.

Ad hanc igitur veritatem contra aduersarios nostros conuincendam à *S. Hieronymo*, qui inter omnes Orthodoxos Patres, maximè cũ Episcopis Presbyteros æquiparare agnoscitur, & in cuius testimonio maximã erroris sui propugnandi vim collocant Nouatores, ordiar. Sanctus igitur iste pater, quamuis quæstionem, quæ dignitatem & præeminentiã Presbyteratus, quantum potuit, extollendi occasionem illi præbuerit, & in qua nihil, quod ad illud institutũ facere videbatur, omisit, tractans, nihilominus in

illo eodem loco, poteſtatem ordinandi Epiſcopali ordini propriam, ac peculiarem eſſe, paucis quidem, ſed ineuitabilibus verbis expreſsè docet. *Quid enim facit* (inquit) *Epiſcopus excepta ordinatione, quod non facit Presbyter?* Quis iã nõ omnino inuerecundus *S. Hieronymum* docere Preſbyteros, ſacerdotalem & Epiſcopalem ordinem cõferre poſſe, effutire audebit? *S.* quoque *Chryſoſtomus* eandem tradit doctrinam his verbis. *Poſtquam de Epiſcopis dixit, eoſque formauit, omiſſo Presbyterorum ordine ad Diaconos tranſijt. Cur id quæſo? Quia ſcilicet inter Epiſcopum atque Presbyterum intereſt ferè nihil. Quippe & Presbyteris Eccleſiæ cura permiſſa eſt; & quæ de Epiſcopis dixit, ea etiam Presbyteris congruunt: Sola quippe ordinatione ſuperiores illi ſunt, atque hoc tantum pluſquam Presbyteri habere videantur.* Sed antiquiori adhuc authoritate iſtud idem comprobemus. *S. Athanaſius* de quodam adducto ab *Arianis* hoſtibus eius coniuratis) vt teſtimonium contra ipſum ferret, ita ſcribit. *Cum iam antea Iſchiram quendam ſubornâſſent* (*ſcilicet Ariani*) *quem ſecum adduxerunt hominem minimè Presbyterum, tametſi ſe eo nomine iactitet, quippe ordina-*

Epiſt. 85. ad Euagrium.

Ho 11. in 1. ad Timoth. initio.

Aduerte diligenter (lector) particulas èxcluſiuas, ſola, tãtũ excepta, quibus vtuntur iſti patres, regulam enim cõſtituũt.

tum à Collutho quodam, non vero, sed imaginario Episcopo, cui in generali Concilio, ab Hosio & cæteris Episcopis, qui vnà aderant, iussum fuit, vt se pro Presbytero, qualis antea fuerat, haberet, atque ideo omnes ab illo constitutos, in veterem suum ordinem recurrisse, inter quos etiam Ischiras numerandus est. *Concilium* quoque *Alexandrinum* de eodem *Ischira* ita ait apud eundem *Athanasium. Quo pacto igitur Ischiras Presbyter? aut quo tandem authore constitutus? Nunquid scilicet à* Collutho? *id enim restat. Atqui* Colluthum *in gradu Presbyterij mortuum, omnemque eius manuum impositionem rescissam, omnesque ab eo constitutos in laicorum ordinem redactos esse, & sub nomine laicorum ad Synaxim admissos. adeo apud omnes constat, vt nemo de ea re dubitandum putet.*

Athan. Apolog. 2. Epist. Marcotic ensiū ad præfectum Ægypti.

Ibidem à medio Concilij.

Iam quid sanctissimi isti patres (concilij tam *Niceni* primi, quam *Alexandrini*, ab illis enim *Colluthum* redactum fuisse in ordinem constat) nouis nostris ministris qui adeò omnem verecundiam exuerunt, vt non ab Episcopis, sed à solis Presbyteris se ordinatos vltrò fateantur & agnoscant, dixissent fecissentq; si vel iam ipsi viuerent, vel ministri

Summæ impudētiæ arguuntur nouatores.

isti tunc vixissent, lectori etiam iniquo iudicandum relinquo.

Sed hęc doctrina de Presbyterorum cum Episcopis in ordinibus sacris conferendis æqualitate, falsitatis adhuc manifestiùs redarguitur. Ecclesia enim *Catholica* istius doctrinę authorem *Aërium* scilicet, hoc ipso nomine hæreseos ante mille & ducentos annos condemnauit, de quo S. Epiphanius ita scribit: *Erat autem ipsius sermo furiosus magis, quam humanæ conditionis, & dicebat: Quid est Episcopus ad Presbyterum? Nihil differt hic ab illo: vnus enim est ordo, & vnus (inquit) honor, & vna dignitas. Imponit manus Episcopus, ita etiam Presbyter: lauacrum dat Episcopus, similiter & Presbyter; dispensationem cultus diuini facit Episcopus; similiter & Presbyter, sedet Episcopus in throno, sedet etiam Presbyter. In hoc multos decepit, & ducem hunc habuerunt.* Et non lōgè post: *Quòd tota res sit stultitiæ plena apud omnes prudentes manifestum est. Dicere enim ipsum* Episcopum *& Presbyterum æqualem esse, quomodo erit possibile?* Episcoporum enim ordo patrum generator est; patres enim generat Ecclesiæ: Presbyterorum verò non potens generare patres, per lauacri regenerationem generat filios Ecclesiæ non tamē patres

Epipha. har. 75.

patres aut doctores. Et quomodo est possibile Presbyterum constituere (hoc est ordinare) non habentem manuum impositionem, ad eligendum, aut dicere ipsum æqualem esse Episcopo? Post hæc Sanctus iste Pater conuertit se ad argumenta *Aërij*, quibus Episcopi & Presbyteri æqualitatem probare contẽdebat, dissoluenda, quæ eadem sunt, quibus Nouatores nostri ad idem conficiendum vtuntur.

S. Augustinus; Aeriani ab Aerio quodam sunt nominati (vt scilicet *Lutherani* à *Luthero*, *Caluiniani* à *Caluino*, antiqua & vera omnium hæreticorum nomenclatura) *qui cum esset Presbyter, doluisse fertur, quod Episcopus non potuit ordinari; & in Arianorum heresim lapsus, propria quoque dogmata addidit nonnulla, dicens orare vel offerre, pro mortuis oblationem non oportere &c. Dicebat etiam Presbyterum ab Episcopo nulla differentia debere discerni.* Ex his manifestè cõstat, quod si reformatores nostri abhinc mille & ducentis annis, tempore scilicet SS. *Augustini*, & *Epiphany* vixissent, ab eis & vniuersa Ecclesia cum *Aerio* condemnati, & in numero hæreticorũ conscripti fuissent: quippe cum Episcopos, & Presbyteros æquales esse, sicut ipse

Aug. de hæresib. hæresi 53.

Protestantescum Aerio olim cõdemnati

olim docuit, & illi etiam hodie docent. Qualis igitur eorum ad ministerium vocatio, (quæ huic non putri tantum, & putido, sed etiam à tot sæculis damnato fundamento nititur) futura sit, cuiusuis non penitùs stupidi iudicium esto.

Argumentum validū.

Iam pro istis clarissimis, grauissimisque antiquæ Ecclesiæ testimonijs in Catholicæ veritatis confirmationem adductis, iure mihi licebit ab aduersarijs nostris exigere vel vnam saltem instantiam; alicuius Sacerdotis vel Presbyteri nedum Episcopi, à solo ac simplici Presbytero ordinati, & pro vero Sacerdote, seu Presbytero accepti, ac probati: vel aliquod decretum, constitutionem, vel canonem Apostolorum, antiquæ Ecclesiæ, vel saltem Ecclesiæ per totos mille quingentos annos post *Christum* natum, in contrariæ doctrinę probationem: nempe quod meri Presbyteri possint Presbyteros ordinare. Nam si nihil huiusmodi pro ministrorum suorum institutione confirmāda proferre possint aduersarij (vt certissimè nō possunt) ab eorum defensione cū rubore desistere, & eos, qui prædicto modo ordinati fuerunt, nihil amplius quam laicos esse, vel habere, cum clarissima veritate tandem agnoscere debent.

Fieldus superiùs nominatus, in ista, de æqualitate Episcopi & Presbyteri doctrina defendenda, plurimùm desudat, & arguit primò hoc modo.

Primum Feildei argumentū.

Doctissimi inter Romanēses fatentur illud, in quo Episcopus Presbyterū excedit, nō esse distinctū, & superiorem ordinē, vel potestatē ordinis, sed dignitatē quandā, vel officiū, seu munus tātum, & illud probātquia Episcopus ordinatus per saltū, hoc est, qui Presbyter non fuit prius ordinatus, neque consecrare corpus Christi, neque ordinare potest; Presbyter autem, qui nunquam fuit Diaconus, Diaconi officio fungi potest, quia superior ordo inferiorē includit. Hinc (inquit ipse) *sequitur, illud, in quo Episcopus Presbyterum excedere dicitur, non esse distinctam ordinis potestatem, sed excellentiam, seu eminentiam quandam, vni præ cæteris eiusdem ordinis, ad tollenda schismata concessam.*

Lib. 3. de Ecclesia c. 39. ante mediū vbi citat nōnullos scholasticos.

Iste vel nō intelligit, vel peruertit horū scholasticorum doctrinam, quam si amplecteretur, *Aery* damnatum errorem nō tueretur. Quamuis enim isti, quos ipse citat, & alij nōnulli doceant, illud, in quo Episcopus Presbytero præcellit, non esse Sacramentum distinctum à Sacerdotio, & in eo sensu non esse ordinem scilicet distinctum, nullus tamen eorum, vel

Fallit, aut fallitur Feildeus.

alius Orthodoxus ſcriptor vnquam docuit, Epiſcopatum & Sacerdotiũ ita eſſe vnum & eundem ordinem & Sacramẽtum, vt ille non ſuperaddat iſti, vel nouũ gradum, vel diſtinctam poteſtatem ordinis, ſi non per noui Characteris impreſſionem, ſaltem per nouam extenſionem, & ampliationẽ eiuſdem ordinis & Characteris, ad quaſdam actiones ſacras exercendas, ad quas attingere non poteſt ordo ſacerdotalis; non quidem per extrinſecam deputationem, aut poſitiuam Eccleſiæ ordinationem, ſed per ſacramentalem conſecrationem, & *Chriſti* Domini inſtitutionem. Audi authorem ſupplementi in eodem ipſo loco, quo iſte eum citat ſub nomine *D. Tho. Si ordo conſideretur* (dicit ille) *vt eſt quoddam officium reſpectu quarundam actionum ſacrarum, cum Epiſcopus habeat poteſtatem in actionibus hierarchicis reſpectu corporis Chriſti myſtici ſupra Sacerdotem*, *Epiſcopatus erit ordo.* Et ibidem ad tertium. *Poteſtas* Epi*ſcopalis non eſt tantum Iuriſdictionis*, *ſed etiam ordinis*, Nonne clarẽ docet iſte author, Epiſcopatum eſſe poteſtatem ordinis ſupra Sacerdotium? & idem omnes ad vnum Orthodoxi ſentiũt. Sed vt quiuis ineptias iſtius

Supple. q. 40. a. 5. Cor.

ministri intelligat, qui opinionem probabilem quorundam scholasticorũ, pro firmo ac solido vocationis ministrorum Ecclesiæ fundamento, quæ quasi porta, vel ostium totius *Christianæ* religionis esse noscitur, adducere in medium non erubescit.

Arenosum vocationis Protestanticæ fundamentũ.

Aduertendum erit, in quæstione de ordine Episcopali, omnes scholasticos in eo conuenire, quod Episcopus habeat quandam ordinis potestatem supra Sacerdotem; differunt vero inter se, vtrum ista potestas præcisè sumpta, sit Sacramẽtũ, vel sit dicendus distinctus ordo, necne, ita vt conferatur per impressionem noui & distincti characteris, vel tantum per extensionem characteris sacerdotalis: vtraque pars & opinio est probabilis, & habet grauissimos authores & propugnatores, vt accidit in omnibus aliis, nõ de fide certis quæstionibus. Nonne igitur ille omnino ineptus est, qui ex probabili eorum opinione, qui docent ordinationem, seu consecrationem Episcopalem non imprimere nouum & distinctum characterem, & consequenter in sua opinione non constituere distinctum ordinem, & sacramentum à sacer-

In quo discrepant Scholastici de ordine Episcopali.

dotio, inferre cõtẽdit Episcopos vi suæ consecrationis, & institutionis, nihil posse præstare, quod simplex Sacerdos præstare nequit?

Valida Feildei confutatio.

Ponamus enim contra claram veritatem, non tantum probabilem, sed omnino certam esse horum Theologorum opinionem, nihil tamen prorsus inde sequetur contra doctrinam *Catholicam* de inæqualitate Episcopatus & Sacerdotij. Quia tametsi isti, cum probabiliter doceant, Sacerdotem habere eundem ordinem, quem habet Episcopus, nimirum sumendo ordinem præcisè, vt habet respectum ad corpus *Christi* verum, nõ tamen asserunt habere absolutè eandem potestatem ordinis, sed econtrariò expresse docent, Episcopum habere potestatem ordinis supra Sacerdotem in quibusdam hierarchicis actionibus circa corpus *Christi* mysticum, inter istas verò actiones esse ordinationes, nullus potest dubitare.

Hinc quoque vlterius apparet, quam vana sit *Feildei* illatio, qua ex doctrina dictorum scholasticorum concludit, illud, in quo Episcopus Presbyterum excellit, non esse distinctam ordinis pote-

ſtatem, ſed eminentiam quandam dignitatis, vni præ cœteris eiuſdem ordinis, inſtitutione tantum humana conceſſam. Quamuis enim iuxta opinionẽ probabilem horum Theologorum, non ſit diſtinctus ordo, eſt tamen diſtincta ordinis poteſtas, non per moralem deputationem, ſed per realem conſecrationem collata, quæ licet non conferat diſtinctum ordinem, ſtando ſcilicet in præfata opinione, extendit tamen ordinem priorem ad exercendas illas actiones, ad quas prius attingere non potuit, vt iam diximus. Neque quicquam *Feildeum* iuũat, quod Epiſcopus ordinatus per ſaltum, neque conſecrare poſſit corpus *Christi*, neque ordinare, licet Sacerdos non Diaconus, Diaconatus munere fungi poſſit. Quamuis enim ex iſto fundamento prædicti authores probabiliter inferant, Epiſcopatum non eſſe diſtinctum ordinem à Sacerdotio, non tamen inde inferunt, neque quiſquam inferre poteſt, illum non eſſe diſtinctam poteſtatem ordinis à Sacerdotio, ſumendo ordinem, non tantum vt refertur ad corpus *Christi* verum, ſed etiam ad corpus *Christi*

mysticum; sicut ex eo quod potestas Sacerdotalis, quæ exercetur circa corpus *Christi* mysticum, absoluendo & ligando illius membra, in Sacramento Pœnitentiæ non sit distinctus ordo à Sacerdotio, vel potestate consecrandi corpus *Christi* verum, non potest inferri quod non sit distincta ordinis potestas à priori. Ratio verò, cur Episcopus ordinatus per saltū, non potest consecrare, neque ordinare, Sacerdos autem ordinatus per saltum possit & consecrare, & inferiores ordines exercere, non est, quia Episcopatus non sit distincta potestas ordinis à Sacerdotio, sed quia essentialiter illud præsupponit, vt potestas absoluendi necessariò præsupponit potestatem consecrādi. Pro cuius explicatione.

Ratio clara dictorum.

Obseruandum est, totam vel maximā sacri Ordinis perfectionem attendi debere penes potestatem quam habet circa corpus *Christi* verum: & quia ista potestas perficitur, & consummatur in gradu Sacerdotali, (qui in consecratione corporis *Christi* veri suam potestatē exercet) ideo vbicunque ista potestas deest, vbi nullus potest esse superior ordo, neque etiam potestas ordinis; quia nimi-

rum potestatem Sacerdotalem necessariò præsupponit. Econtrà vero, vbicunque inuenitur potestas Sacerdotalis, ibi etiam inueniuntur omnes ordines inferiores, qui in ordine Sacerdotali essentialiter includuntur, vtpote ad illum ordinati. Et huius rei est exemplum non multum dissimile in natura: Non potest esse in homine scientia, fides, vel amor absque intellectu & voluntate, quibus inhærent isti habitus: ac propterea vbicunque defuerint illæ facultates, prædicti habitus esse non possunt: Econtrario vero vbicunque illæ fuerint, ibi quoque erit potentia vegetandi & sentiendi cum earum operationibus. Scio exemplum istud non in omnibus quadrare, sicut neque in exemplis id requiritur: sed ad explicandam rem præsentem benè inseruit, quod nobis sufficit. Exempla enim non probant, sed elucidant.

Exēplū non incommodum.

Secundò argumentatur minister hoc modo. *Quis nescit Presbyteros in casibus necessitatis absoluere & reconciliare posse, pænitentes, quod de ordinariò Episcopis reseruatur? Cur ergo in simili necessitatis casu non possunt Presbyteros ordinare?*

2. Argumentum.

Insulsa plane argumentatio, & huic

Conuun-ditur ad-uersa-rius.

non absimilis; puer duorum vel triũ annorum potest loqui, comedere, ridere, & similia agere; Cur ergo non poterit aliũ puerum generare, præsertim cum illud etiam factus viginti, vel triginta annorum facere poterit, idq; absq; additione alicuius nouæ naturæ, sed per vegetationem & augmentationem illius, quã prius habuerat? Huius argumẽti solutio, quæ pueris ipsis est facilis, & obuia, ministro nostro argumenti sui solutionem monstrabit: Quod enim vegetatio, & augmentatio faciunt in puero, facit Episcopalis ordinatio in Presbytero, loquendo iuxta doctrinam prædictorum scholasticorum. Quod vero ait absolutionẽ pœnitẽtiũ de ordinariò solis Episcopis cõpetere, indicat se, quid Episcopali, quid vero Sacerdotali potestati cõueniat, penitus ignorare, omnes enim nôrunt Sacerdotes de ordinariò pœnitentibus absolutionem vbiq; impertire.

Ignorat de quare disputat.

3. Argumẽtum.

Sed vrget necessitatis casum, quo nimirum omnes Episcopi vel morte extincti, vel in hæresim lapsi essent, & solicitus est, quid in illo casu ad conseruandam Ecclesiam fieri deberet. Et existimat hoc argumento conuinci Pres-

byteros posse saltem in aliquo casu alios Presbyteros ordinare: Vnde facile tandem concludere se posse putat, ministros, de quibus ipse loquitur, bene ordinatos fuisse. Quod ad hoc postremum attinet, statim respondebimus. In præsenti vero de casu suo necessitatis dico, illud idem ad conseruandam Ecclesiam in eo casu faciendum fore, quod fieri deberet in casu, quo omnes Presbyteri vel morte ablati, vel in hæresim lapsi essent, quod etiam fieri deberet ad cõseruandum mundum in casu, quo vel omnes homines frigidi, vel omnes fœminæ steriles essent.

Ringitur aduersarius.

Et si dicat stultum esse huiusmodi casus supponere: respondeo multo magis stultum & absurdum esse, casum suum non solum supponere, sed & inde etiam arguere, & inferre illud, quod debet esse maximè certum, notum, & euidens: nimirum legitimam ministrorum Ecclesiæ vocationem.

Sed adhuc Paradoxum istud suum confirmat, & dicit: *Eruditissimos inter Romanenses, ordinationes factas à Presbyteris, in talibus necessitatis casibus, vti illegitimas respuere non ausos esse.* Et citat

4. Argumentum

Lib. 11. quæst. Armenorum cap. 7. Parte 4. quæstio 28. art. 3 mẽbro 5. Notentur ista.

Armachanum dicentem: *Videtur, quod si omnes Episcopi essent defuncti, Sacerdotes minores possent* Episcopos *ordinare.* Et *Halēsem*, qui dicit: *Docent quidam, quod ex demandatione Papæ, ordinatus poßit conferre ordines, quos habet.*

Infirmum nimis & debile *Christianæ* religionis fundamentum. Dico *Christianæ* religionis fundamentum: quia quæstio, quam præ manibus habemus, de legitima vocatione pastorum, nihil minus importat. Vbi enim non sunt veri & legitimi pastores, ibi non potest esse vera Ecclesia, vt *Feildus* ipse cum *SS. Hieronymo*, & *Cypriano* fatetur: neque à quoquã sensu communi prædito negari id potest: Vbi vero non est vera Ecclesia, ibi nulla est fides, nec vera religio, vt omnes similiter agnoscunt: vbi ergo non sunt legitimi Pastores, ibi nulla potest esse vera religio vel fides. Qui itaque præcipuum hoc religionis *Christianæ* principium, qui *sunt veri Pastores*, super dubiam vnius, vel alterius Scholastici Doctoris speculationem fundare, & collocare non dubitat: vel omni iudicio vacuus est, vel omni religionis suę firmo fundamento caret. Nonne obsecro peruersi sunt prætensæ

reformationis ministri, & eorum sectatores miserrimè obcœcati, qui cùm omnem religionis *Catholicæ* confirmationem præter expressam scripturam, tanquam inutilem & insufficientem reiiciant, pro Ecclesiæ tamen suæ, & consequẽter pro fidei, & religionis suæ primario fundamento, incertam, & inconstantem vnius, vel alterius scholastici Doctoris opinionem proferre non erubescant? Cum tamen vnanimis & constans omnium simul scholasticorum sententia, non omninò certam, & infallibilem cuiuscunq; veritatis probationem constituere, apud omnes constet. Dixi *incertam & inconstã-tem*, quia prior ex istis Doctoribus sub dubio loquitur, dicendo (*videtur:*) posterior vero minus dicit, non enim de sua, sed de quorundam aliorum sententia loquitur, quorum authoritatem adeo nihil æstimat, vt nominandos eos non existimauerit, nisi sub isto titulo (*quidã.*) Quin & ipsi etiam loquũtur cum restrictione, quæ doctrinæ, quam iste minister defendit, magis directè aduersatur; nimirum cum demandatione, seu delegatione Papæ. Certe doctrina, quæ huiusmodi nititur fundamentis, male sana ac solida,

ſed noua reformatione omnino digna videtur. Sed de neceſſitate, quâtam *Feildus*, quàm cæteri omnes noui miniſterij propugnatores prætendunt ſe coactos fuiſſe vocationem ſuam inde deſumere, vnde nunquam alius quiſquam vocationem legitimam accepit, vel accipere potuit, pauca iam dicamus.

Falſus neceſsitatis prętextus aduerſariis aufertur

Dicit neceſſitatem hâc in duobus caſibus accidere poſſe, nimirum vel defũctis omnibus Epiſcopis, vel in hæreſim lapſis. Poſteriorem autem caſum, ipſum pro ſe ſupponere neceſſe eſt, & vt maiorem vim habeat illius ratiocinatio, dabo illi contra certiſſimam veritatem, omnes illos Epiſcopos, qui prætenſæ iſtorum reformationi aduerſati ſunt, hæreticos eſſe, & nihilominus contra ipſum euidenter conuincam miniſterium iſtud nouum illegitimum eſſe, atque male inſtitutum & ordinatum. Nam cum vnus ſolus Epiſcopus maiorem orbis partem, quam quæ adhuc nouam reformationem admiſit, miniſtris legitime ordinatis adimplere potuiſſet (dummodo homines illi muneri idonei reperti eſſent), & præterea cum cer-

tum ſit nonnullos in diuerſis prouinciis Epiſcopos (quod dolendum eſt) Religionem Catholicam deſerentes, prætēſis reformatoribus ſe iunxiſſe. De quibus gloriatur *Morneus* his verbis. *Taceo quod de Archiepiſcopis, Epiſcopis, Cardinalibus, in Germania, Anglia, Italia, Gallia dici poſſet, qui hac vocatione quã tantoperè aduerſarij probant & extollunt, æquè ac, ipſi ornati ſunt.* Manifeſtum eſt reformatores iſtos voluntariè, & non neceſſitate coactos, vocationem ſuam à Preſbyteris accepiſſe. Ac proinde manifeſtæ præuaricationis conuincuntur *Feildus*, *Morneus*, & quotquot ſacrilegam miniſtrorum *Proteſtantium* inſtruſionem, imaginariæ neceſſitatis prætextu obtegere, & palliare contendunt. Neque hic vllum omnino patet illis effugium, quin vel abſolutam nullitatem vocationis in miniſtris ſuis (quam omnes peruerſitate ſua non obcœcati clarè vident) vel ſaltem nimiam præſumptionem & audaciam, (vt *Fieldus* ipſe loquitur) in peruertendo antiquam, & ſemper obſeruatam ordinationem, ab exurgente Eccleſia ſtabilitam, agnoſcere & cõfiteri cogantur. quæ ſola nimiæ audaciæ, &

Morneus de Eccleſia pa. 88. latina editione.

Omne effugiũ aduerſariis præcluditur

Pag. 59.

Notatu dignum.

præſumptionis nota, non ſpiritum veræ reformationis, qui eſt ſpiritus pacis, & obedientiæ, ſed ſpiritum confuſionis, turbationis, & ſuperbiæ manifeſtè arguit. Et conſequenter miniſtros ita ordinatos, non veros Eccleſiæ reformatores, ſed pacis & tranquillitatis eius perturbatores, non veros Paſtores, ſed rapaciſſimos lupos, & latrones truculentos eſſe luce clarius apparet.

Inſulſũ effugiũ. Et ſi claram hanc ex ſuis principijs deductam Concluſionem euitare nitantur, dicendo, Epiſcopos præfatos, *Proteſtãtes* quidem poſt conuerſionem ſuam fuiſſe, ſed ordinatos in Eccleſia *Romana*, & ſignum beſtiæ geſtaſſe, proindéque non idoneos extitiſſe, vt tam puræ ac ſanctæ reformationis miniſtros ordinarent, ac propterea iſtorum ad *Proteſtantiſmum* cõuerſione non obſtante, non ſine extrema neceſſitate, eos ad Preſbyterorum ordinationem recurriſſe.

Reſpondeo, Caluiniſtas, qui adeo in furorem verſi ſunt, vt Eccleſiæ Catholicæ ordinationes tanquam beſtię ſignũ deteſtẽtur, & tanquam olidas deſpuant, hac quidem iuſtificatione, in ſacrilegæ vſurpationis ſuæ defenſionẽ, vti aliquo

colore

colore poſſunt. Sed iis, qui ordinationē à Preſbyteris in *Romana* Eccleſia inſtitutis acceptam, non modo admittunt, ſed etiam ad illàm tanquam ad tutiſſimum noui ſui miniſterij aſylum, ac propugnaculum recurrunt, vt *Feildus*, *Mornæus*, & alij nonnulli nouæ reformationis magiſtri) ſi ea vterentur, ſupra modum abſurdi eſſent: quandoquidem nulla excogitari poteſt ratio, cur ordinatio Epiſcopalis *Romanæ* Eccleſiæ magis eſſet reiicienda, & vituperanda, quam Sacerdotalis, vt per ſe conſtat. Et hactenus de caſu neceſſitatis, quam tam *Mornæus* quam F*ieldus*, vt miniſterium ſuum à Preſbyteris acceptum, quoquo modo defendere queant, falſo ſibi confinxerunt, dictum eſto. Pergit *Fieldus* in ſuis probationibus, & dicit,

Nouum non debere videri aduerſarijs (Catholicis ſcilicet) *quod Presbyteri quandoque ordinent, quandoquidem eorum Corepiſcopi, Suffraganei, & Epiſcopi titulares, qui iuxta antiquæ diſciplinæ obſeruantiam, non ſunt Epiſcopi, in Romana Eccleſia quotidie ordines conferant.*

5. Argumentum.

Hanc obiectionem ex peruicacia, magis quā ex ignorantia fieri nō dubito.

Voluntariè cacutit aduersarius.

Non enim iste ignorare potest, neminē in *Romana* Ecclesia, neque antiqua, neq; moderna, ordines sacros, Sacerdotij scilicet vel Episcopatus vspiam conferre, qui Episcopali charactere non sit insignitus. Et si Corepiscopi antiquitus ordinare non potuerint, mirum non est: Episcopalem enim non habuerunt ordinē, sed Episcopis tantum in eis, quæ ad iurisdictionis exercitium pertinent, assistebant, sicuti modò Vicarij Generales. Et si differentiam inter Corepiscopos antiquos, & suffraganeos modernos ignoret Rabinus iste, à cōmpatriota suo, & Cōministro *Francisco Masono*, qui cum infra congressuri sumus, illud addiscere potest. Qui vt primorum Episcoporum *Protestantium* in *Anglia* ordinationem probet, cum *Bellarmino* docet *suffraganeos esse veros Episcopos, qui & ordinationem habent, & Iurisdictionem, licet careant possessione propria Ecclesiæ. Corepiscopi autem antiqui, Episcopalem consecrationem non habuerunt; sed Sacerdotalem tantum*: ac proindè mirum nullum est, quod ordinare non possent. Atque ita videmus Doctorem istum argumentum contra seipsum texuisse, qui tan-

Pag. 128.

dem obiectiones Catholicorum contra nouam suam doctrinam soluturum se simulat, & dicit:

Omnia, quæ ex patribus contra ordinationes à solis Presbyteris factas afferri solent, ad duo capita reduci possunt. Primum enim, cum ordinationes factas à solis Presbyteris nullas reddunt, secundum Canonum antiquorum rigorem intelligendi sunt, & non absolutè, ex natura rei. Quod ex eo apparet, quod ordinationes factas sine titulo; Episcoporum consecrationes à paucioribus, quam tribus Episcopis tum Metropolitano; ordinationes factas ab Episcopis extra proprias diœceses, absque licentia, nullas reddant, quas tamen Romanenses non æstimant esse omnino nullas. Secundùm, eorum dicta intelligi debent regulariter, & non absque omni plane exceptione casus particularis.

Argumentum Catholicorum soluere prætendit. Sed frustrà. Synod. Chalced. Can. 6. Concil. Laodic. Can. 13. Concil. Antiochen. Can. 13.

Nimiam certè vel ignorantiam, vel peruersitatem in hac responsione indicat iste. Patres enim, cum ordinationes Presbyterorũ à solis Presbyteris collatas nullas esse declarant, non constituunt canonem vel legem, qua tales ordinationes reddũtur nullæ: sed declarãt iudicialiter illas nullas esse, non ex vi legis positiuę præcedẽtis, nullã enim talem le-

Refellitur.

gem allegant, neque vllibi extat talis lex, ſed ex natura rei. Hoc patet multipliciter; Primò *Sanctus Epiphanius* expreſsè docet, Preſbyteros non procreare patres Eccleſiæ, ſed filios tantum, cùm tamen Preſbyteri Canonibus ab iſto allegatis ſubiecti, & obſtricti, neque filios Eccleſiæ vi ordinationis ſuæ procreare poſſit, cum vſum ſui ordinis non habeant, ac proinde neceſſe eſt, vt loquatur de inhabilitate ad ordinandum, ex natura rei, & non ex vi alicuius legis poſitiuæ. Deinde cum Synodus *Alexandrina*, antea relata quærat, quomodo *Iſchiras* (qui à *Collutho* vero quidem Sacerdote, ſed ficto Epiſcopo, Sacerdotij dignitatem accepiſſe ſe prætendebat) eſſet Sacerdos, & à quo eſſet ordinatus, intelligi neceſſariò debet, non tãtum de legitima, ſed etiam de valida ordinatione. Nam ſi veros habuiſſet ordines, ſed Canonica aliqua cenſura à legitimo vſu ſuſpenſos, à tali cenſura per *Arianos* protinus abſolutus fuiſſet, & obiectio *Catholicorum* de nullitate Sacerdotij illius, nullius ponderis vel momenti in illo negotio fuiſſet. Præterea

Sanctus Hieronymus, & *Sanctus Chrysostomus* sola potestate ordinandi Presbyteros, Episcopis inferiores esse asserentes, clarè loquuntur de illis, quæ ex natura rei dictis ordinibus competunt, & non quæ ex rigore Canonum eis conueniunt. Isto enim sensu in multis aliis impares sunt, vt *Feildus*, & *Mornæus* sæpissimè docent. Rursus *Sanctus Augustinus*, & *Sanctus Epiphanius*, qui Aerium inter hæreticos enumerant, quia Presbyteros alios Presbyteros ordinare posse docuit, de natura rei necessariò intelliguntur. Nam si lege tantum positiua prohiberentur Presbyteri ordinare, longe abesset ab hæresi; dicere eos ordinare posse, immo hæreticum esset illud negare, dũmodo constitutione tantum positiua ab eò munere suspenderentur: sicuti hæreticum esset docere Sacerdotem suspensum vel excommunicatum non posse Eucharistiam consecrare. Illi patres longè à tanta ignorantia, immo stupiditate aberant, vt hominem de hæresi condemnarent, qui præcepto tantũ positiuo Ecclesiæ contrauenirect, cum talis non hæresis, sed inobedientiæ dicendus esset reus. Sed cum nec minimã de con-

3.

4.

ſtitutione vel Canone, quem *Aerius* tranſgrederetur mentionem faciant, ſtultum eſt ſomniare, eos voluiſſe *Aerium* in eo erràſſe, quod docuerit Preſbyteros Epiſcopis eſſe æquales, ſi lege tantum Eccleſiaſtica inæquales eſſent.

5. Denique quæro ab iſto miniſtro, cur Patres Concilij *Niceni* primi, ordinationes per fictum Epiſcopum *Colluthum* factas, nullas eſſe declarârunt? (vt ſupra ex *S. Athanaſio* vidimus.) Si dicat, quia reuera nullæ erant propter defectum poteſtatis ordinandi, in *Colluthо* ordinatore. Quæro adhuc, vnde proueniebat iſte poteſtatis defectus? an ex natura rei? quia nimirum ordo Sacerdotalis, poteſtatem ordinandi non contineat: vel ex conſtitutione aliqua Eccleſiaſtica, qua talis poteſtas ab vſu legitimo, vel exercitio impedita, & ſuſpenſa fuerat. Si primum dicat, habemus id de quo contendimus: Si vero ſecundum reſpondeat; quæro ab eo vbinam inuenitur illa conſtitutio, ſuſpendens talem poteſtatem in Sacerdotibus, & inualidans tales ordinationes? vel præceſſit

Coarctatur aduerſarius.

Concilium *Nicænum*, vel edita eſt ab ipſomet concilio. Non primum, quia nullibi apparet talis canon vel conſtitutio. Neque ſecundum. Nam ſtupiditas eſſet ſumma, exiſtimare actionem aliquam ex ſe validam, poſſe reddi nullam per conſtitutionem ſubſequentem. Cum itaque Patres illius Concilij declarârunt ordinationes *Colluthi* nullas eſſe, vt ex ſupra dictis patet, & nullus extet Canon poſitiuus prohibens Preſbyteros ordinare, & ſuſpendens eorum poteſtatem ordinandi, neceſſe eſt, vt concilium intelligatur declarâſſe illas ex natura ſua fuiſſe nullas, & non ex vi, vel rigore Canonis alicuius.

Ex quibus omnibus clarè conſtat, reſponſionem iſtam, quam ad Patrum authoritates effingit iſte Miniſter, reſponſionem non eſſe, ſed miſerandum atque inſulſum effugium, vt nimirum aliquid dixiſſe, & in errore ſuo inuictus, tardioribus ſaltem iudicijs permanſiſſe videatur.

Et vt omnes intelligant diſcrimen inter ſententiam Patrum, qua ordinationes factas à puris Preſbyteris, nullas, & inualidas eſſe declarant, &

canones à *Fieldo* allegatos, qui ordinationes absque titulo, absque licentia, & absque tali numero Episcoporũ factas, nullas seu inualidas faciunt.

Differentia inter canones declaratiuos, & constitutiuos.

Sciendum est, Canones istos respicere actus sequentes tantum, vt cæteræ omnes leges constitutiuæ, quæ tales dicuntur, quia ius nouum constituunt, aliquid præcipiendo, vel prohibendo, quod antea sub præcepto non erat. Ac proinde neque *Fieldus*, neque quisquam mortalium proferre potest instantiam vnam de ordinatione facta absque titulo, vel in aliena diœcesi absque licentia, ante horum Canonum constitutionẽ, reddita nulla & inualida. Et ratio in promptu est, quia cum huiusmodi ordinationes ante horum Canonum constitutionem validæ essent, & isti Canones, actus præteritos non respiciant, neque ad eos extendantur, sed ad subsequentes tantum, necessariò manent validę: sententia vero patrum Concilij *Niçeni*, de clarantiũ ordinationes sæpè dicti *Colluthi* nullas esse, respicit actum pręteritum, vt per se constat: similiter etiam omnes leges declaratiuæ, quæ tales dicuntur, quia ius nouum non constituũt,

ſed antiquum tantum declarant & elucidant. Cum itaque ſententia illa non fecit ordinationes dictas nullas (quia non conſtituit nouum ius, & etiãſi conſtitueret, ad actum præteritũ non poterat ſe extendere, vt iam oſtenſum eſt,) ſed tantummodo denunciat, & declarat eſſe nullas, neceſſe eſt vt declaret id factũ ex vi prioris legis vel iuris, non quidem poſitiui ſeu Eccleſiaſtici, nullum enim tale ius reperitur antea conſtitutum. Ergo ex vi iuris diuini & conſequenter ex natura rei, quod eſt illud de quo contendimus. Et hactenus de priori reſponſione.

2. Reſponſio Fieldei refellitur.

Secunda verò continet nudam, voluntariam, atque adeo miſeram aſſertionem abſque omni vel rationis, authoritatis diuinæ vel humanæ, inſtantiæ, vel exempli in Eccleſia *Chriſtiana* à *Chriſto* paſſo, ad *Lutherum* vſque fundamento, ac proinde multo maiori ratione à nobis non reijcitur ſolum, ſed etiam deſpicitur, quam ab ipſo aſtruitur.

Inanis hominis iactantia.

Quibus tamen non obſtantibus diſcurſum ſuum hac inaniſſima iactantia concludit, dicens: *Sic obiectioni* (ſcilicet de miniſtrorum ſuorum vocatione)

quam aduersarÿ insolubilem existimarunt, abunde satisfieri videmus ex doctrina suorum, & ex continua praxi, qua eorum Suffraganei (qui Episcopi non sunt, sed tantum Presbyteri, ab ordinatione antiquitùs prohibiti) Presbyteros quotidiè cum plena approbatione ordinant. Nonne omnes plane modestiæ, verecundiæ, & veritatis limites supra modum excedit iste, & gnauiter impudens euasit? Ita sanè est. Quod enim ex Scholasticis in fauorem suæ, & *Aërÿ* hæresis adduxit, nihil aliud præter suam aut crassam ignorantiam eos non intelligendo, aut obstinatam peruicaciam eorum doctrinam voluntariè peruertendo probare, ex iam dictis satis clarè, vt existimo, omnibus apparet. Quod vero addit de praxi *Romanæ* Ecclesiæ, ordinationes eorum, qui non sunt Episcopi, sed tantum Presbyteri, approbando, adeo euidentissimæ veritati aduersatur, vt à voluntaria impostura, nullo ignorantiæ prætextu excusari possit. Iudicet itaque lector qui ista legit, & intelligere non abhorret propria peruersitate obcœcatus, qualis noui ministerij vocatio esse poterit, quæ talibus innititur fundamentis. Neque se decipiat

existimando, eam forte meliora ac solidiora habere; istud enim, quod ab ordinatione per Presbyteros facta desumitur, firmissima noui istius ædificij columna, à primarijs eorum Rabinis semper æstimata est: Quod tamen quam vanum leueque sit tam ex clarissimis ac firmissimis antiquæ Ecclesiæ testimonijs supra adductis, quam ex argumentorum in contrarium factorum clara solutione, tibi Lector, iudicandum relinquo.

Præcipuũ aduersariorũ fundamẽtũ ruit.

Mornæus (vt ille Capitulum istud claudat) hanc ipsam Aërij condemnatam hæresim de æqualitate Episcoporũ & Presbyterorum, prolixè satis, nempe à pagina 504. ad 519. propugnans, pluribus verbis contendit, Episcopos Apostolorum temporibus, Presbyteros, & è conuerso Presbyteros Episcopos nominatos fuisse. In quo conflictu cũ vmbra sua pugnat, nullũ aliũ in illo cõgressu habẽs aduersariũ. Inde tamẽ non cõcluditur id quod intẽdit. Nõ ideo enim nominibus cõfundebãtur olim Episcopi & Presbyteri, quia ordo Episcopalis, & presbyteratus pręcisè sũptus idẽ omnino esset: sed vel quia præcipua sacri ordinis functio, nimirũ potestas cõsecrandi verũ corpus *Christi*, penes quam

Mornæus eũdem Aërij errorem defendit.

Quare Presbyteri antiquitus vocabãtur Episcopi.

attenditur omnis ſacri ordinis perfectio, (vt ſuprà notauimus) æqualis eſt in vtroq; vt vniuerſa Eccleſia ſemper docuit: vel quia in principio naſcẽtis Eccleſię omnes Sacerdotes vel Presbyteri, qui nimirum ſacrificandi, & corpus *Chriſti* verum conſecrandi poteſtatem acceperant, Epiſcopi quoque fiebant, & poteſtatem manus imponendi pariter accipiebant: non quod poteſtas ſacrificandi, & manus imponẽdi eadem omnino eſſet, ſed quia tunc temporis propter paucitatem operariorum, & multitudinem meſſis, is qui priori muneri idoneus habebatur, poſteriori quoque muniendus videbatur: ne Eccleſia in locis longe diſſitis diſperſa, ob eius defectum damnum aliquod pateretur. Ex eo ergo, quod ij, qui illis tẽporibus Presbyteri extiterunt, Epiſcopi fuerint, atque ita quoque nominabantur, non rectè arguitur, poteſtatem Epiſcopalem & Sacerdotalem eandem eſſe: ſed tantummodo quod in eodem homine vtraque poteſtas reſidebat. Quemadmodum ſi Rex conſtitueret Duces ſui exercitus eos, qui ſunt regni ſui Comites, & non alios: ijdem eſſent Comites qui & Duces, atque ita quoque diceren-

tur, non tamen inde ſequeretur, quod munus & officium Ducis eſſet idem cum munere Comitis.

Sed ius imponendi manus, paſtoreſque ordinandi penes Presbyteros Apoſtolorum ætate fuiſſe, clarius eſſe (dicit) *quam vt dubitari poſſit. Ne* (inquit *Paulus*) *negligito donum quod in te eſt, per impoſitiones manuum Presbyterij, id eſt Presbyterorum ſiue ſeniorum.*

Pa. 516. 2.

Demus illi particulam illam (*Presbyterij*) non ſignificare poteſtatem ſacerdotij acceptam, (vt reuera ſignificat, vnde penitus euacuatur tota vis ſui argumenti,) ſed perſonas actum illum exercentes, & ordinem ſacrum conferentes, ineptus eſt tamen *Mornæus*, dum dicit clarius eſſe quam vt dubitari poſſit, manus impoſitionem penes Presbyteros eſſe, niſi ſimul etiam ſupponat, Presbyteratũ, & Epiſcopatum eundem eſſe ordinem: quod tamen ſi ſupponat, manifeſtè petit principium, ſupponendo illud quod in quæſtione verſatur, & quod probare debet: vnde & redditur omninò ridiculum eius argumentum. Cum enim inter nos conueniat Epiſcopos illis temporibus Presbyteros fuiſſe vocatos, quomodo poteſt ex iſto textu probabiliter deduci,

Refellitur.

nedum clarè probari, penes Presbyteros (vt Presbyteri à Catholicis sumuntur) fuisse, potestatem manus imponendi? Certe non magis hoc colligitur, quam si loco Presbyterij legeremus (Episcoporum) cùm, vt ipse fatetur, Presbyteri fuerunt Episcopi: qua tamen supposita lectione, *Mornæus* ipse erubesceret dicere illud, quod hîc intendit, probari posse. Et sic clarum eius argumentum & indubitata veritas, vanam tantum illius imaginationem esse ex sui ipsius principijs clarè conuincitur.

3. Porro authoritatem Patrum, qui hæresim istam *Aerianam* damnarunt (quam *Mornæus* cum suis ab inferis resuscitare conatur) eleuare laborat, sibimet hoc modo obiiciens:

; 1. 510. *Sed saltem aiunt* (Catholici) *præstat Presbytero Episcopus, quod penes eum solum est* (χειροτονια) *ordinatio. Hieronymus; quid enim facit excepta ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat? Chrysostomus, sola quippe* χειροτονια *superiores sunt, atque hoc tantum plusquam Presbyteri habere videntur. Vnde sic ait Epiphanius: Episcoporum ordo patrum generator est: patres enim generat Ecclesiæ: At Presbyterorum, non potens generare patres,*

per baptiſmum generat filios Eccleſiæ. Si hoc ita ſit, quomodo igitur licuit Presbyteris noſtris manus imponere? ſed ne diſſimulent quod ait Hieronymus: Ex Eccleſiæ conſuetudine, & non ex diſpoſitionis Dominicæ veritate. Hæc ille.

Quod dixit olim *S. Hieronymus* de *Luciferianis*, nimirum *eos vinci poſſe: perſuaderi non poſſe*, de *Mornæo* non minus vere dici poteſt. Qui ſi obſtinatus in ſuo errore non eſſet, appertiſſimam Patrum mentem, ac doctrinam peruertere non auderet. Ipſius enim peruicaciſſimum iudicium obteſtari non verebor, vtrum iſti ſancti Patres voluerint Epiſcopos Presbyteris præſtare, ex conſuetudine tantum Eccleſiæ, & non ex dominica inſtitutione. Si adeo vecors ſit, vt id aſſerere non erubeſcat, oſtendat, ſi poterit, quomodo ſupra citata eorum dicta conciliari poſſint cum perpetua praxi & conſuetudine Eccleſiæ quæ plurima alia præter ordinationes Epiſcopis attribuit, ſcilicet baptizatorum confirmationem, templorum cōſecrationem, publicorum pœnitentium abſolutionē & reconciliationē, Eccleſiæ

Peruicax Mornæus.

curam & gubernationem, & similia, quæ Presbyteris non permittuntur. Et si hoc ostendere nequeat, vt (etiamsi disrumpatur) nequit: agnoscat licet inuitus patres istos sensisse, ac clarè docuisse, Episcopos Presbyteris in ordinatione, seu ordinis sacri conferendi potestate, etiam iure diuino præstare.

Neque huic obstant *S. Hieronymi* citata à *Mornæo* verba: *Nouerint Episcopi se magis consuetudine, quàm Dominicæ dispensationis veritate Presbyteris esse maiores, & in communi debere Ecclesiam regere.* Nam ibi loquitur *S. Hieronymus* de potestate iurisdictionis, & gubernationis Ecclesiæ (vt totum eius discursum intuenti clarissimè apparebit) & non de potestate ordinis, in qua Episcopum Presbytero præstare expressissimè docet in loco, quo, quantum potuit, dignitatem Presbyterij extulit, vt supra notauimus. Non meliori ergo fide ista duo loca *S. Hieronymi Mornæus* coniungit (nimirum Epistolam ad *Euagrium* cum commentario illius in Epistolam ad *Titum*, vt priorem posterior explicare faciat) quam olim *Iuellus* noster, illa *Christi* verba (*Quod vni dico, omnibus dico* (cum illis ad *Petrum* dictis (*Pasce oues*

Apolog. p. 108.

meas,

meas; & *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*) copulauit, vt *scilicet* omnibus Apostolis eadem dicta esse ostenderet.

Obseruandum est prætereà, Episcopos non solum ordinis, & iurisdictionis potestate, sed etiã vtriusque potestatis exercitio presbyteris præcelluisse, in ipsamet Apostolorum ætate, & consequenter ex eorũ saltem institutione, & confirmatione. Ex occasione enim, qua instinctu diaboli dici cœpit, *Ego sum Pauli, ego vero Apollo*, quod Apostolorum tempore fuisse dictũ *S. Paulus* abundè testatur: *Decretum est* (inquit *S. Hieronymus*) *in toto orbe, vt vnus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, vt schismatum semina tollerentur.* Nonne ergo execrandi sunt reformatores nostri, qui decretum hoc Apostolicum (*vt S. Hieronymus* agnouit) presbyteros Episcopis in omnibus æquantes, & istius sancti Patris authoritate fraudulenter abutentes, euertere laborant? Vt vero adhuc clarius perspiciat Lector mentem *S. Hieronymi*, & sententiã in hac quæstione, verba illius in eadem ipsamet ad *Euagrium* epistola, in qua presbyteros in omnibus, ordinatione excepta, æquiparasse

videtur, audiat. *Vt sciamus traditiones Apostolicas sumptas de veteri testamento, quod Aaron & filij eius, atque Leuitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vendicent in Ecclesia.* Quod verò *Aaron* & filij eius, atque Leuitæ dispari potestate inter se distincti erant, etiam iure diuino, nemo dubitare potest. Eant igitur nunc Nouatores, & hæresim suam de æqualitate Episcoporum & Presbyterorum, in *Aërio* ante mille & ducētos annos cōdēnatam, *S. Hieronymi* (qui adeo expressè eā cōfutat) authoritate defendāt: vel potius tandem quantumuis serò, agnoscant ministerium suum, nulla alia vocatione stabilitū, quā quæ à Presbyteris desumitur, alium neque authorem, neque fautorem in *Christi* Ecclesia ante *Lutherum* vnquam habuisse præter impium *Aerium*, qui quoniam Episcopus esse non potuit, nouæ hęresis author esse voluit, docens Episcopo in omnibus Presbyterū esse æqualem. Qualem igitur habeant necesse est Ecclesiam, qualemque Religionem & fidem, qui tales habent Pastores & Doctores, cuiuis propria peruersitate non obcœcato facillimum est iudicare, immo & manibus contrectare. Sed de hoc mi-

Aërius solus vocationis protestātium author.

Aug. hæresi. 53.

ſerrimo Nouatorum effugio ſatis iam dictum eſt. Ad alia tranſeamus.

CAPVT OCTAVVM.

Vtrum defectus illi, qui in alijs vocationum generibus hactenus refutatis inueniuntur, per vocationem extraordinariam ſuppleri queant, & vtrum in Eccleſia Chriſti *ſit aliqua vocatio extraordinaria ad diuini verbi, & ſacramentorum miniſterium.*

ISta eſt poſtrema quæſtio quã cõtra *Proteſtantes* in genere habemus diſputandã: quæ duplici ex cauſa hîc agitãda occurrit. Primò, quia tametſi in ſingulis vocationum generibus hactenus refutatis, adeo eſſentiales defectus inueniantur, vt prorſus inualidæ fiant: poteſt tamen fortaſsè aliquis imaginari eos per viam aliquam extraordinariam ſuppleri, nõ eſſe omnino impoſſibile. Secundò, quia magna pars Eccleſiarũ prætenſæ reformationis, & nominatim Gallicana, & cœteræ omnes, quæ cũ illa cõcordãt, aliã primorũ ſuorũ paſtorũ vocationem, niſi merè extraordinariam non

agnoscunt. Dedignantes enim, & pertinaciter recusantes vocationem ab Ecclesiæ Catholicæ & Romanæ pastoribus tanquã ab Idololatris *Antichristi* ministris accipere (siue id fecerint, quia ordinationes Catholicæ Ecclesiæ reuera detestabantur, vel quia *Caluinus* illarum Ecclesiarum fundator, nullam habens Ecclesiæ ordinationem, illam abominari videbatur, incertum) & ordinariam vocationem aliũdè petere sibi impossibile esse perspicientes, ad extraordinariam recurrere coacti sunt, non minus in hoc absurdi quam V valdo, qui ex mercatore Euangelistam noui Euangelii seipsum faciens, & doctrinam suam missioni, siue vocationi suæ accommodans (quod isti quoque præstant) homines laicos & consecrare, & prædicare posse docuit: multo absurdior illo, de quo *S. Hieronymus* ait *sectam cum homine extinctam esse; quia cum ipse tantum Diaconus esset, nullum clericum post se relinquere poterat. Ecclesia autem non est, quæ Sacerdotem non habet.* Illis enim temporibus inaudita, & incognita omnino erant deliria ista, de vocatione extraordinaria, hominibus in tãtã stupiditatẽ & vecordiã vt de ea tãtũ somniarẽt, nondũ prolapsis.

Illiricus in Catal. testiũ, p. 370. & 371.
Osiãder Epitome hist. Cẽt. 9. 10. 11.
Vide Foxium pag. 29. 209.
Hieron. contra Luciferianos.

Quia vero quæſtio hæc aliquantulum prolixior futura ſit, hunc ordinem in ea tractanda obſeruabimus. Poſtquam explicatum fuerit breuiter, quid ſit vocatio ordinaria, quid vero extraordinaria: oſtendetur Eccleſias *Caluiniſticas* extraordinariam, vti ſibi propriam defendere. Deinde eorum rationes & fundamenta proferentur, & ſimul refutabuntur. Et ſi in vltimo loco contrarium probetur, illud in pleniorem legentium ſatisfactionem (vtcunque hoc ex inſtituto præſenti non incũbit) corollarii loco adiungemus. Cum enim partem negantem in hac quæſtione ſuſtineamus, aduerſarii vero affirmantem, illorum eſt probare, non noſtrum.

Ordo in præſenti quæſtione obſeruatus.

Vocationem ad miniſterium Eccleſiaſticum, ſeu miſſionem ad diſpẽſanda myſteria Dei, (vt loquitur Apoſtolus) aliam eſſe ordinariam, aliã vero extraordinariã, adeo eſt clarum, & ab aduerſariis non libenter modò, ſed etiam neceſſariò agnitum, vt ineptum eſſet in illo probando immorari. Ordinariã quidem eſſe ſuccedaneam & ſenſibilem dictæ poteſtatis ab vno ad alterum traditionem, & acceptio nẽ: Extraordinariam vero, quæ non

Vocatio alia ordinaria, alia extraordinaria.

per successionem, seu collationem sensibilem, sed per aliam quamcunque viam & rationem recipitur, nulla est nobis cũ aduersarijs controuersia. Priorem habuisse & etiam habere Apostolorum discipulos & successores, quotquot per veram ordinationem, vsque ad præsentem diem ab illis descenderunt, sicut etiã sacerdotes, qui in lege veteri ab *Aarone* propagati fuerunt: Posteriorem vero *Apostolos Christi* in lege Euangelica, & in *Mosaica Moysem* ipsum & *Aaronem*, non est vtique controuersum.

Iam Ecclesias *Caluinisticas* hanc posteriorem vocationem, extraordinariam scilicet, vti Ecclesię necessariam, & sibi reipsa in primis suis pastoribus ordinãdis & instituendis collatam sustinere, meridiana luce clarius est. Nam id non docent modo ac defendunt, sed tanquam fidei suæ, seu potius infidelitatis articulum, ab omnibus suis credendum proponunt his verbis: *Credimus neminem debere sua propria authoritate in Ecclesia regimen se ingerere, sed quod hoc per electionem fieri debeat, in quantum possibile est, & Deus illud permittat: quam exceptionem notanter adiungimus, quia aliquando oportuit, & maximè*

Art. 31.

temporibus nostris (Ecclesiæ statu interrupto, quod Deus homines qui Ecclesiam in ruina & desolatione iacentem denuò repararent, modo extraordinario excitaret.

Secundò iuxta istam fidei suæ professionem reipsa procedunt & operantur. Quamuis enim non defuerint Episcopi quidam ab Ecclesia Catholica transfugæ, qui *Caluinismum* professi sunt, vt ex *Mornæo* supra audiuimus, & omnibus etiam notum est, illis tamen non concessa fuit potestas ordinandi ministros in Ecclesia *Caluiniana*, vt omnibus constat.

Tertiò non solum prohibuerunt Episcopos Apostatas ministros suos ordinare, sed neq; ipsos, neq; alios in Ecclesia *Catholica* ordinatos, & ab ipsa ad *Caluinismum* apostatātes ordines suos exercere, vel in Ecclesia sua ministrare, nisi post abiurationem prioris ordinationis, & nouæ suæ institutionis susceptionem, permittunt. Hac quidem ratione recepti fuerunt in Congregationem Geneuensē Onelfus Trecēsis, & Spifamus Niuernēsis olim Episcopi ab Ecclesia Catholica ad sectam Caluinisticā turpiter deficien-

Florimundus de ortu & interitu hæres. l.

tes. Quo quidem omnem vocationem ordinariam abiicere se clarè demonstrāt. Tametsi enim eos, qui hodie promoueā-tur ad ministerium, vocationem ordinariam habere prætendant; primos tamen pastores suos, nimirum *Caluinum* & cœteros (si tamen alios præter ipsum fundatores sibi nominare queant) à quibus isti descendunt, extraordinariam tantum vocationem habuisse libenter & fatentur, & constanter (vti iam vidimus) profitentur.

Quartò, neque solum in *Galliјs* hæc de extraordinaria vocatione disseminata est doctrina, sed etiam ij, qui ex prætensa fidei, & religionis puritate, *Puritani* in *Anglia* nominātur, illam gnauiter defendunt. *Fulkus* enim inter primarios nouæ istius Theologiæ magistros numerādus, omnem à *Catholica* Ecclesia susceptam ordinationem stomachosè reiecit: ac proinde ad extraordinariam *Caluinisticam* recurrat necesse est. Sic vero scribit: *Ex toto corde abominamur, detestamur, & conspuimus Antichristianos vestros olidos & fœtidos ordines.* Et in alio loco: *Toto cœlo erratis si credatis alia esse munia Episcoporum, Presbyterorum,*

Fulkus in retentiua p. 67.

In responsione ad Catholicū fictum pag. 50.

& Diaconorum vestrorum, quam merè laicorum. Et *VVitakerus* nominatissimus inter *Protestantes Anglos* idem docet his verbis; *Nolo vos existimare nostræ fidei homines tanti facere ordinationes vestras, vt suam vocationē absq; ijs illicitā reputent; proinde vobismetipsis vestros habeatis ordines.* Atq; iterū. *Nostrorum hominum vocationem extraordinariam dicimus, quia ordinaria vocatio penitus corrupta erat.* Ex *Caluino*, *Beza*, aliisque noui Euangelismi professoribus alia quamplurima, quæ istā de extraordinaria vocatione doctrinam apertè asserunt, nullo negotio afferri possent: Sed ista satis superque probant *Caluinistas* in ea esse sentētia, vt vocationem extraordinariā, & Ecclesiæ fuisse his temporibus necessariam, & illis etiam esse concessam cōstanter credant. Quod adeo fusè & expresè hîc ostendere volui, ne aliquis minus cum illis versatus, & euidentem rei absurditatem intuens, me illis imponere existimaret.

VVitakerus con. Dureum l. 9 p. 321.

Contro. 2. q. 5.

Huius tam extraordinariæ doctrinę, ordinarias saltem probationes ab illis iustè exigere licebit, tum quia res præcipui est momenti, vtpote ad totius fidei ac religionis fundamentum spectans, vt

Cap. 7. Sectione infirmũ nimis.

dilucidè ſuperius deduximus: tum etiam quia adeo in probationibus pro ſingulis doctrinæ *Catholicæ* articulis exigendis ſunt rigoroſi, vt nullam aliam præter expreſſam ſacræ Scripturæ authoritatem, pro legitima admittendam, vbique clamitent. Quam quidem legem, ſi ipſi, in probando articulum illum trigeſimum primum Confeſſionis ſuæ, quo extraordinariam hanc vocationem credere ſe profitentur, obſeruare deberent, non fidei, ſed perfidiæ articulum eſſe (ſicuti reuera eſt) clarè perſpicerent. Sed mitiùs cum aduerſariis immitiſſimis agemus, quam vt propriis ſuis legibus eos cõſtringamus, & eas tantum articuli iſtius probationes, quas Eccleſia *Catholica* approbat, & pro legitimis agnoſcit, ſcilicet, vel Scripturæ ſacræ, traditionis, Conciliorum, vel patrum authoritatem, & teſtimonium ab eis exigemus. Qua tamen indulgentia non obſtante, eos aliam huius articuli confeſſionis ſuæ probationẽ proferre non poſſe, affirmare auſim, quã viliſſimi, vaniſſimi, atque maxime odibiles hæretici, qui vnquam fuerunt, vel etiamnum ſunt, in vocationis & doctrinæ ſuæ confirmationem, pari probabili-

Benigne aduerſarÿ tractantur.

tate ac veritatis ſpecie vel attuliſſe, vel afferre queant. Nolo ex hac aſſertione, *Marcionem*, *Valentinum*, *Manetem*, vel *Manichæum*, *Arium*, *Neſtorium*, *Pelagium*, neque nouos *Anabaptiſtas*, *Familianos*, vel *Libertinos* excludere. Si hoc verum ſit, (vt veriſſimum eſſe, ex iis, quę in huius quæſtionis tractatione dicentur, clarè apparebit) *Caluiniſtas* nouæ huius doctrinæ, & vocationis authores & profeſſores, turpiſſimorum hæreticorum nota & ſtigmate ſeipſos in fronte ſignâſſe manifeſtè conſtabit.

Obiicient quod verã habeant doctrinam, quàm nullus dictorum hæreticorũ habuit, ac proinde quod firmiorem quoque vocationis ſuæ atteſtationem, & probationem, quam illi habere potuerunt, ipſi habeant. Reſpondeo primo miſerum hoc effugium, quo vocationis prohabilitatem per doctrinæ veritatem probare contendunt, tam ex Scripturæ authoritate, quam ſanctorum Patrum teſtimoniis, & rationum robore, ſuperius efficaciter refutauimus, ac proinde nihil amplius de eo hîc adiiciemus.

Effugiũ illis præcluditur

Cap. 5. a. n. 2.

Secundò reſpondeo eos ſemper in eodẽ luto hęrere. Quã enim aliã ad doctri-

næ suæ veritatem comprobandum afferunt authoritatem, quæ à prædictis hæreticis pro suis erroribus confirmandis allata non fuerit? Isti scripturas allegãt; & illi quoque, neque id quidem vel minus frequenter, vel minus gloriosè. Audi *Vincentium Lirinensem S. Augustini* contemporaneum, de hæreticis tam sui, quã priorum temporum ita scribentem: *Hic fortè aliquis interroget, an & hæretici diuinæ Scripturæ testimonijs vtantur? vtuntur planè, & vehementer quidem; nam videas eos volare per singula queque Sanctæ legis volumina: per Moysis, per Regnorum libros, per Psalmos, per Apostolos, per Euangelia, per Prophetas. Siue enim apud suos, siue alienos, siue priuatim, siue publicè, siue in sermonibus, siue in libris, siue in conuiuijs, siue in plateis: nihil vnquam penè de suo proferunt, quod non etiam scripturæ verbis adumbrare censentur. Lege Pauli Samosateni opuscula, Priscilliani, Eunomij, Iouiniani* (dicere possumus & nos *Lutheri, Caluini, Anabaptistarum*) *reliquarumque pestium: cernas infinitam exemplorum congeriẽ, prope nullam omitti paginam, quæ non noui, aut veteris testamenti sententijs fucata, & colorata sit.* Hactenus' ille. Sed vlterius obiicient isti, quod prædicti omnes hæ-

retici legitime iudicio condemnati fuerunt, & eorum doctrina hæresis iudicata. Respondeo id quidem verum esse, sed & eodem quoque iudicio & iudice, Ecclesiæ scilicet *Catholicæ* sententia in concilio generali legitimè congregatæ, ipsimet eiusdem criminis condemnati sunt. Quid ergo discriminis inter ipsos, & antiquos hęreticos apparet? Certè nullum prorsus. Sed videamus iam quales vocationis suæ extraordinariæ probationes afferunt. Dum vero proponuntur, tu eas (prudens Lector) ponderes velim ac perpendas, vt videre possis, vtrum quippiam in eis reperias, quod dicti turpissimi hæretici eadem veritatis specie, qua ab istis proferuntur, pro sua vocatione ac missione, qua execrandas suas hæreses per orbem disseminârunt, confirmanda allegare non potuerunt. Si vero eiusmodi eas inueneris, vt cuiusuis sectæ quamuis nefandissimæ confirmationi adaptari, & accommodari queant, eas tanquam ineptas, inanes, ac putidas securè reiicere, & potes, & debes. Vt vero intelligas, eas præcipuas ac validissimas esse, quas ipsi excogitare possunt, dicam à quibus, & qua etiam occasione fuerunt productę.

Hoc diligenter aduertendum.

Circa annum salutis 1596. nobilis quidam inferioris *Normanniæ* dictus Dominus de *S. Vedasto*, tunc sectæ *Caluinisticæ* sectator, cum alio quodam suo amico eiusdem etiam sectæ professore, dubiorum quorundam, quæ circa vocationem pastorum suorum, & consequenter circa religionem quam profitebatur, conceperat, à ministris suis resolutionem postulabat. Ministri securim ad præcipuam noui sui ædificij columnam positam esse perspicientes, quanta facere potuerũt diligentia, illius postulationibus satisfacere contenderunt. Sed frustra. Adeo enim inefficax fuit eorum responsio, & nulla eorum satisfactio (non quidem ex defectu artis, vel industriæ in ipsis, sed veritatis in causa quam tuebantur) vt vterque nobilis sectæ *Caluinisticæ* valedicens, in salutiferum Ecclesiæ *Catholicæ* gremium se receperit. Ex hac eorum pro vocatione sua Apologia, (quæ in Reuerend. & eruditissimi Episcopi *Ebroicensis*, nunc Cardinalis Illustrissimi *Peronij* replicatione ad eandem extat) desumuntur plurima eorum argumenta, reliqua vero in *Mornæo* inueniuntur, vt posteà patebit.

Quantum vero ad priora attinet (quæ vt plurimum ex *Mornæo* etiam mutuati sunt ministri) adeo neruosè à dicto Illustrissimo Cardinali refutantur, vt in nihilum penitus redigantur: Ac proinde etiamsi difficilia alioquin & ardua ex se essent, mihi tamen difficile non foret, post tam absolutam ab alio reportatam victoriam de eis etiam triumphare, prioris nimirum victoris hasta ac clypeo vbique munito. Ea igitur hîc habe. Priusquam vocationis suę probationem aggrediantur, quęnam sit legitima vocatio, his verbis explicant.

Ministri.

Illam legitimam vocationem propriè dicimus nos, quæ regulis in sacra Scriptura traditis conformis est, & quæ in omnibus veris Ecclesijs ab Apostolorum temporibus vsque ad præsentem diem retenta fuit: ac proindè dicimus illam verè ordinariam esse, & successiuè ab Apostolis receptam, neque aliam, quæ hoc nomen mereri potest, agnoscimus, quantumuis pro aliquo tempore in vsu fuerit.

Quis vocationem per continuam, & non intercisam ab Apostolis successionem receptam, sibi verè competere istos probaturos nō existimaret? Certè

verba ista illud præ se ferunt. Sed audiamus sequentia.

Ministri.

Sed quia illi (Catholici) *per vocationẽ ordinariam, perpetuam, & non interruptam ab Apostolorũ temporibus successionem intelligãt: Respondemus hanc non esse legitimæ vocationis veram definitionem.*

Ista sunt ipsissima eorum verba ad priora immediatè sequentia, quod te aduertere velim (Lector) vt inconstantem, ac fluctuantem istorum doctrinam, qui vnico flatu contraria effutire non erubescunt, despicias. In lineis immediatè antecedentibus, illa erat apud eos vera vocatio, *quæ successiuè ab Apostolis recepta, vsque ad præsentem diem retenta est, & nullam aliam illud mereri nomen.* Et modò eodem quasi spiritu, negant continuam successionem ad veræ vocationis definitionem pertinere. Nonne ista manifestè sibi inuicem aduersantur? Sed videamus sequentia, si fortè ea conciliare queant.

Sibi ipsis contradicunt Ministri.

Ministri.

Nihil huiusmodi ex vllo sacræ Scripturæ loco colligi potest, (nimirum successionem ad legitimam vocationem ordinariam pertinere)

tinere) *non quidem ibi, vbi huius muneris expressa sit mentio, nec tandem in tota Scriptura sacra vlla inuenitur huius rei promissio.*

Si hoc verum sit, falsum necessario erit, quod modo dixerunt, *illam legitimã esse vocationem, quæ regulis in sacra Scriptura traditis conformis est, & quæ in omnibus veris Ecclesiis ab Apostolorum temporibus retenta, & successiuè ab Apostolis recepta fuit.* Sed frustra arguuntur contradictionis illi, qui caussas perditissimas obstinata peruicacia defendunt. Vnum enim affirmabunt, & idem statim (prout occasio fert) absque rubore negabunt. Videamus tamen, si dictorum suorum memores, ea concordare fecerint.

Ministri.

Si istas Christi promissiones, quod futurus sit cum suis, vsque ad consummationem sæculi: quod portæ inferi contra Ecclesiam non præualebunt: nobis allegauerint: negamus ista ad successionem personarum, quæ ita perpetua futura sit, vt vsque ad secundum Christi aduentum nunquam interrumpatur, pertinere.

Destruunt quod iam ædificauerãt. Nõne ergo præuaricatores se constituunt?

Tantum abest, vt vocationem, quam ipsimet solam veram ac legitimam expressis verbis affirmârunt, habere se pro-

bent, vt nullam talem esse in Ecclesia, neque à *Christo* promissam fuisse, ostendere laborent: Tanta nimirum vertigine occæcati, vt nesciant neque quò vadant, neque quid dicant. Quæ manifestior demonstratio esse potest, quod isti veram vocationem non habeant, quã vt eam quam solam veram liberè, & ingenuè agnoscunt, adeo directè impugnẽt, vt nullam de ea in sacra Scriptura fieri mentionem, fateantur? Sed accipiamus, quod, post maturiorem status sui considerationem libenter dant, nimirũ quod illam vocationem, quę perpetuã, & non interruptam ab Apostolis vsque ad præsens successionem importat, non habeant (quod reuera adeo manifestum est, vt sibilis & cachinnis ab omnibus exciperentur, si contrarium astruere auderent) & hanc eandem vocationem, quam ipsi à se voluntariè reijciũt, quia eam sibi propriam facere penitus desperant, in sacris Scripturis expressè traditam esse contra eos conuincamus. *Data est mihi* (ait Dominus *Iesus*) *omnis potestas in cælo & in terra, euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti,*

Matth. 28. 18. 19. 20.

docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus (omnibus diebus dicit: Ergo perpetuo: Ergo absque interruptione) *vsque ad consummationem seculi.* Hic loquitur *Christus* Apostolis suis vt prædicatoribus & pastoribus, vt ex ipso textu clarè constat, & vt talibus, se promittit eis adesse omnibus diebus vsque ad secundum suum aduentum. S. etiam *Paulus* verbis non minus claris eandem testatur veritatem, scribens: *Alios autem dedit Pastores & doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatē fidei, & agnitionis filij Dei.* Adeo vt eum, qui sacrosancto *Christi* Euangelio fidem abrogare nolit, continuam Pastorum in Ecclesia successionem (adeo clarè in eo expressam) indubitanter credere necesse sit. Sed videamus, quid isti ad testimonia in veritatis *Catholicæ* confirmationem sibi obiecta respondeant.

Ephes. 4 12.

Ministri.

Dicimus cum S. Augustino ista intelligi de Ecclesia electorum.

Atqui manifestè *S. Augustino* imponunt, qui Ecclesiam electorū ab Ecclesia

S. Augustino imponunt.

vocatorum, quantum ad fidei prædicationem, sacramentorum communionē, & Pastorum curam & vigilantiam, (de quibus tantum quæstio hîc est) nusquā separat, neque distinguit, ne somniādo quidem, sicut nec alius quisquam ex antiquis. Quis enim vnquam somniauit electos alios Pastores aliáque Sacramenta habere, alios vero vocatos? Quapropter si isti cum *S. Augustino* agnoscant cōtinuam Christi præsentiam cum Pastoribus Ecclesiæ electorum, & eiusdē Ecclesiæ perpetuam contra inferorum portas victoriam, eandem etiam non solum cum eodem *S. Augustino*, sed etiam cum omnibus planè *Christianis* de Ecclesia vocatorum (quæ alia non est ab Ecclesia electorum, quantum ad prædictas rationes) agnoscere coguntur.

Ministri.

Absurdissima argumētatio & professioni fidei suæ contraria.

Quam Deus per viam extraordinariā conseruare potest; etiam absque Pastoribus pro aliquo tempore.

Insulsa planè argumentatio, & huic non absimilis, Deus potuit per potentiam suam absolutam & extraordinariā mundum absque filij sui morte saluare. Ergo *Christus* non fuit incarnatus. Quod

vero Ecclesia per potentiam Dei ordinariam, & voluntatis suæ decreto regulatam, non possit absque pastoribus cõseruari, Ecclesiæ *Gallicanæ* tanquam fidei suæ articulum profitentur his verbis. *Credimus ordinem Ecclesiæ, quem sua authoritate Christus stabiliuit, sacrosanctũ ac inuiolabilem debere esse; ac proinde quod Ecclesia absque Pastoribus, qui munus docendi habeant, consistere non possit.* Omitto *S. Pauli* expressum testimoniũ, quo docet, *Deum Pastores & Doctores in Ecclesia sua posuisse. ad consummationem Sanctorum, vt iam non simus paruuli fluctuãtes, & circumferamur omni vento doctrinæ.* Qualis, obsecro, est illa doctrina, quæ & sibimet, & diuinis etiam scripturis adeo clarè repugnat? Digna certè Ecclesijs reformatis.

Art. 25.

Ephes. 4.

Ministri.

Sicut Ecclesiæ Iudæorum non semel euenit, & speciatim septuaginta annorum spatio, durãte captiuitate Babylonica.

Mendacium luculentũ.

Vnde igitur obsecro omnes illi sacerdotes, quorum mentio habetur in libris *Esdræ?* Vide (Lector) si lubet, illos libros, & detestare istorũ aut intolerabilẽ scripturarum ignorantiam, aut Diabolicam in eis peruertendis ad multarũ ani-

Lib. 1. c. 1 & 3. 10. Lib. 2. c. 7. v. 39.

marum perniciem, malitiam. Isti nimirũ sunt, quos nihil quicquam scripturarũ latet, & qui nihil præter ipsas scripturas docere prætendunt.

Nouum mendacium.

Ministri.

Et antea, tempore scilicet Eliæ, qui apud Deũ de hoc conquestus est: Et postea sub pluribus Israelis & Iudæ regibus, vt Azarias Sacerdos Regi Aza testatur dicens, multos iam transiisse dies in Israel absque vero Deo, absque Sacerdote, absque Doctore, & absque lege.

Quod ad statum Ecclesię Iudaicæ tẽpore *Eliæ* spectat, legatur caput 22. lib. 3. Regum, & cap. 17. lib. 2. Paralipom. vbi describitur florentissimum regnum Religiosissimi *Iosaphat* Regis *Iudæ*: quod incidit cum regno iniquissimorum Regum *Israelis Achab*, & *Iesabelis*, qui tametsi Ecclesiam Dei expugnabant in *Israel*, & *Samaria*, florebat tamen non mediocriter eodem tempore in *Iuda*. Et, quis obsecro, nisi nimio stupore hebetatus ex defectione Ecclesiæ, vel Pastorum in vna ciuitate vel prouincia, tametsi talis foret, vt nullum veræ religionis relinqueretur in ea vestigium, (quod in *Samaria* non euenisse constat, ex eo, quod *septem millia in ea reliquisset sibi*

Deus, qui genua coram Baal non curuaſſent) illius in omni alio loco abſolutam defectionem inferret? Sicuti quis, obſecro, ſenſu communi nō priuatus, ex eo quod *Elizabetha Angliæ* Regina, Eccleſiam *Catholicam*, & *Romanam* in ſuo regno vehemēter oppreſſit diceret, quod eam omnino vbique deleuerat, vel quod Eccleſia *Romana* tēpore *Elizabethæ* penitus defecerat? Quod ad *Azariæ* Prophetiā ſpectat (quā iſti miniſtri nimiū ſtupidi poſt *Eliæ* tempora prolatam dicunt, cū tamen *Elias* filio, *Azarias* vero patre regnante, vixit) loquitur clarè de perſecutione facta ſub *Achab* & Ie*ſabele* in Regno *Iſrael.* Sic enim dicit: *Tranſibunt autem multi dies in Iſrael* (non dicit in *Iuda*) *abſque Deo vero, & abſque Sacerdote, Doctore, & abſque lege.* Qui cum & *verum Deum*, & veram legem defuturam prædicat, nō minus quā veros Sacerdotes: de Eccleſia vniuerſali non poteſt intelligi, niſi forte Eccleſiam veram abſque vero Deo, veraque lege poſſe eſſe exiſtiment iſti.

Miniſtri.

Idem dicimus de Eccleſia Chriſtiana, in qua nonnullæ interruptiones videntur, præſertim ſub Arianis, *paulo poſt Conſtātini Magni*

Pergunt adhuc mentiri.

tempora, sub filijs eius Constante, Constantino, & Constantio, deficientibus omnibus Episcopis, Liberio & Athanasio exceptis.

Voluantur illorum temporum historiæ Ecclesiasticæ & prȩsertim Concilij *Sardicensis* sub *Constantio*, & *Alexandrini* sub *Iuliano*, in quibus quamplurimi cōuenerunt *Catholici* Pastores & Episcopi, & tenebrionum istorum intolerabilis despiciatur impostura. Quin & ipsi se cōfundunt, & confutant, dum *Liberium Romanum* Pontificem, supremum Ecclesiæ Pastorem, & *Athanasium* Patriarchā *Alexandrinū* in fide constanter permāsisse agnoscant. Quis enim Ecclesiā, quamdiu supremus eius Pastor viuit & valet, viduatam esse dicere non erubesceret?

Ministri.

Nō minus in hoc mētiuntur.

Neque legitur alios à Liberio & Athanasio vocationem suam ad reparandam Ecclesiam recepisse: Sed quod Deus ab Arianis ipsis homines qui veram restituerunt doctrinam, suscitauit.

Ex apertissimis mendaciis totum hoc istorum ministrorum constructum est ædificium: & si ita non sit, producatur vnica tantum instantia alicuius

Episcopi seu pastoris, qui doctrinam Orthodoxam vsquam vel vnquam prædicauit, absque vocatione sua à *Liberio*, & *Athanasio*, vel ab eorum prædecessoribus, successoribus, vel cum eis in vnitate fidei, & communicatione sacramentorum coniunctis, & vnitis accepta, & causam obtinebunt. Quod nonnulli in Ecclesia *Catholica* ordinati, & ad *Arianos* ex errore, vel infirmitate deficientes, post debitam pœnitentiam & lapsus sui reparationem, ad Ecclesiæ vnitatẽ, & muneris sui exercitium admissi fuerint, apertum est tum ex prædicto Concilio *Alexandrino*, tum ex perpetua totius Ecclesiæ praxi. Et si hoc intelligant isti ministri cum dicant *Deum homines ex Arianis suscitasse, qui veram doctrinam restaurarent*, libenter id damus. Sed tantum abest, vt hoc vocationem extraordinariam, quam ipsi stabilire contendunt, astruat, vt eam planè destruat, vt per se constat.

Vide Ruffinũ l. 1. c. 27. 28. 29.

Ministri.

Schismata, quæ plura extiterunt in Ecclesia Romana, faciunt successionem pastorum in eadem dubiam. Et præsertim in concilijs Constantiensi & Basileensi, vbi depositis Antipapis,

alij electi fuerunt, quod arguit priores non habuisse veram vocationem, & consequenter neque alijs, qui ab illis ordinati fuerunt, & à quibus descendunt plurimi eorum, qui hodie viuunt, eam conferre potuisse.

Si hoc verũ sit male se res habet cum reformistis vt ex dicendis constabit.

Nulla schismata, quæ in Ecclesia *Romana* aliquando extiterunt, perpetuam sacri ordinis, & legitimæ vocationis successionem impedire potuerunt. Non fuerunt enim huiusmodi schismata circa sedis Apostolicæ potestatem & iurisdictionem (aliàs hæreses fuissent, & non schismata) sed tantum circa personam illius, qui in illa cathedra sedere debebat. In quo casu tametsi vna pars necessariò in errore fuit (alicui tanquam *S. Petri* successori adhærens, qui reuera talis non erat) ille tamen error sacri ordinis successionem impedire non potuit: neque respectu sacramenti, quod à potestate iurisdictionis in ordinante non dependet, neque respectu iurisdictionis requisitæ ad legitimum sacramenti ordinis vsum. Quia vtraque pars bona fide iudicabat se potestatem hanc à sede Apostolica reuera recipere. Et quamuis istud iudicium non fuerit absque errore in vna parte circa perso-

nam, per quam illam poteſtatem rece-
perat, fuit tamen ille error à peccato pro-
pter ignorantiam inuincibilem excuſa-
tus, & poſtea penitus per actualem cum
vero Papa agnito vnionem, ablatus.
Quod dicunt Concilium *Conſtantienſe*
depoſuiſſe Antipapas (eos nimirum,
quorum ſinguli à nonnullis veri Pontifi-
ces habebantur) mentiuntur, vt ſæpè ſo-
lent. Illi enim omnes, ius, quod in Pon-
tificatu habere potuerunt, in manibus
Concilii depoſuerunt, quod poſtea aliũ
ab illis tribus elegit. Concilium *Baſileen-
ſe* legitimum, nullum depoſuit: quod
autem poſtea, diſſoluto iam legitimo
Concilio, ibi factum fuit, nihil noſtrâ
refert.

Miniſtri.

Sed maximè in tempore Philippi Pulchri, quando Eccleſia Gallicana à Romana ſeparata fuit, vbi erat tunc perſonalis & localis ſucceſſio? Dicentne patres noſtros fuiſſe tunc Paganos & hæreticos?

Ridiculum argumẽtũ.

Ridicula capita! Interciſane fuit in to-
ta Eccleſia ſucceſſio perſonalis pro-
pter Regni vnius cenſuram? Si Eccle-
ſia *Geneuenſis* vnam quamuis Paro-
chiam, à ſua communione per inter-

dicti censuram & separaret, concludeturne inde, quod actum erit de Ecclesia *Geneuensi*, & successione personali, nihil quidem absurdius: & tamen hanc maximè vrgent instantiam. Sed nunquid in Ecclesia *Gallicana* tunc forte successio pastorum perijt? Haudquaquam. Sed si censura iusta fuerit aut valida (de qua re non est nostrum disputare) cessauit pro tempore legitimus sacri ordinis vsus, & exercitium, quantum ad actus per censuram prohibitos; potestas tamen ordinis nunquam cessauit, quin immo post sublatam censuram, quæ diu non durauit, suum legitimum vsum sortita est. Illi vero, qui tempore interdicti vixerunt, neque Pagani, neque hæretici ex hoc capite fuerunt, vt isti ignoranter obijciunt: sed (si censura valida extiterit) erant pro illo tempore membra etsi non omnino præcisa à capite, & reliquo Ecclesiæ corpore; ita tamen ligata, vt actualem spiritualis vitæ influxum ex sacramentorum vsu non receperint, sed citò ad illius vnionem seu communionem restaurata & restituta.

Ministri.

Porro impium est, legem seu modum adim-

plendi promissa sua absque verbi sui authoritate, Deo præscribere, atque dicere: quod ea præstare nequeat, nisi Ecclesia à patre ad filium, siue ab Episcopo ad Episcopum, absque interruptione floreat: non magis enim hoc licitum est, quam cum Ecclesia defecerit, dicere illum mendacem, ac infidelem esse in suis promissis: quod est omnino execrabile.

Paralogismus ineptus.

Quasi vero quæstio nobis esset de modo implendi promissiones, & non de ipsismet promissionibus. Deus per prophetam suum dicit: *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes tota die, & tota nocte, non tacebunt in perpetuum. Christus* ipse. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Quamobrem aut negent isti Ministelli Prophetas & Euangelium Scripturam diuinam esse, aut fateantur necesse est, Deum promisisse perpetuam & non interruptam pastorũ in Ecclesia continuationem & successionem. Vnde vlterius necessario sequitur, aut Deum fidem suam fefellisse promissa sua non implendo, aut pastores Ecclesiæ nunquam defecisse. Et quia prius affirmare horrenda est blasphemia, posterius defendere est veritati maximè consonum, cui tamen ex diametro pu-

Isaiæ 62. 6.

Expressis scripturis aduersantur ministrorũ dogmata.

gnat ministrorum istorum doctrina.

Ministri.

Fundamentum mendacissimũ.

Quandoquidem igitur ex Dei verbo non apparet, promissiones istas ad perpetuam successionem localem & visibilem pertinere, & experiẽtia etiã contrarium ostendat, concludimus, quod hæc, scilicet successio continua, ad veram vocationem non sit necessaria. Et consequenter quod illius defectus non potest impedire quominus nostri, qui iuxta Dei verbum & traditiones Apostolicas ad munus pastorale vocantur, sint verè Apostolorum successores: præsertim cum vocationem suam, ad verbum Dei sincerè denunciandum, & sacramenta ritè ministranda (proprius illius finis) exerceant.

Hic incipiunt telam, quam hactenus texuerunt, recolligere. Et quã obsecro, veritatem ab istis sperare possumus, qui visibilem pastorum successionem nusquam in scripturis inueniri, & experientiam docere contrarium, contra clarissimam veritatẽ, affirmare non erubescũt? Qualis, obsecro, potest esse eorum vocatio extraordinaria fundata super hunc legitimorum pastorum defectum, quem contra clarissima sacræ Scripturæ testimonia, fuisse vel futurum esse hæreticâ peruicaciâ præsumunt? Quid responde-

bunt ipsi *Arianis*, *Seruetianis Anabaptistis*, *Libertinis*, & quibusuis alijs *Christiani* orbis pestibus, qui eandem vocationē extraordinariam eadem probabilitate, qua ipsi, prætendunt? Nihil planè, quod contra ipsosmet totidē verbis obijci nequeat. Neque pellis illa ouina, qua lupina sua pectora obtegere cupiunt, nudus scilicet & friuolus verbum Dei sincerè prædicā-di, & sacramenta ritè administrandi prætextus, fumū vel fucū illis facere potest, qui ex seipsis obcœcati non sunt. Non enim nobis cum illis præcipua controuersia est, de vero vocationis vsu, sed de ipsamet vocationis veritate, & substātia. Ostendant igitur primùm se legitimam habere vocationem, & postea de vero eius vsu quæstio erit. Vsus enim rectissimus cuiusuis vsurpatæ potestatis, vsurpatorem à crimine excusare nequit.

Quæstionem fugiunt.

Ministri.

Quantum ad primos nostros pastores (à quibus illi, qui modo sunt, vocationem suam verè ordinariam, & pristinæ suæ puritati restitutam successiuè receperunt) dicimus eorum vocationē partim ordinariam, partim extraordinariā esse. Si tamen dici possit, quod ab illis eam acceperint qui eā non habuerint; saltem purā & legitimā.

Chimerica ministrorū vocatio.

Hinc patet istos aliquam vocationis ordinariæ speciem libenter sibi arrogare velle, & successionem etiam eiusdem, sed non meliori quidem iure quam *Anabaptistæ*, quos ipsi hæreticos existimant, vel quiuis alij, qui ab ipsis etiam *Anabaptistis* habentur hæretici, eandem sibi vendicare possint. Illud vocationis genus, quod dicunt primos suos pastores habuisse (quam partim ordinariam partim verò extraordinariam fuisse dicunt) merè Chimæricum: ac proinde nullum esse inde constat, quod neque in Scriptura sacra, veteri vel noua, neque in traditione, neque in aliquo Concilio, Patre, vel historia ab ipsomet *Adamo* vsque ad præsentem diem, talis vocationis minimum inuenitur vestigium. Scio equidem aliquos sub vtraque lege habuisse vocationem merè extraordinariã, *Moysen* scilicet, *Aaronem*, & Apostolos; alios vero habuisse puram ordinariam, vt *Aaronis* filios, & Apostolorum successores; alios denique habuisse vtramque integrè, & perfectè, vti *Hieremiam* & *Isaiã*, & *S Paulum*. Sed quod aliquis vnquam in vna vel altera Ecclesia, vocationem habuerit partim ordinariã, partim extraordinariam,

ordinariam, nuſquam inuenitur. Fuerũt igitur abſq; dubio iſti primi reformiſtarũ prodromi de eorum numero, de quibus queritur Deus, dicens: *Currebant, & ego eos non mittebam.*

Hierem. 23. 21.

Miniſtri.

Quod fuerint aliquando homines in Eccleſia, qui vocationem extraordinariam habuerint, præſertim ſub lege veteri negari non poteſt.

Verum. Sed quid hoc ad præſens inſtitutum? Oſtendi debet aliquos, vel aliquem ſaltem ſub aliqua lege, habuiſſe vocationem partim extraordinariam, partim vero ordinariam, alioqui operam ludunt. Illuſtrauit hanc rem egregie Illuſtriſſimus Cardinalis *Perroneus*. In lege (inquit) *Moyſi*, duo vocationis extraordinariæ genera fuerunt. Vnum fundamentale, quale fuit illud *Aaronis*, de quo ſcribit Apoſtolus. *Tranſlato Sacerdotio, neceſſe eſt vt & legis tranſlatio fiat:* Adeo vt tametſi vocatio iſta extraordinaria eſſet in *Aarone*, fuit tamen radix, & origo vocationis ordinariæ in illo Sacerdotio, quod ante legis ipſius abolitionẽ, neque ceſſare, neq; interrũpi debebat, vt *S. Paulus* in verbis allatis teſtatur. Aliud dici poteſt collaterale, quod etiãſi à priori non procedebat,

Hebr. 7. 12.

Duplex vocatio extraordinaria.

Q

illud tamen neque improbabat,neq; impugnabat, sed roborabat& sustentabat: negligentiã, aliaque vitia tã Sacerdotũ, quã populi acriter reprehẽdens, omnesq; officij sui admonens. Huius generis fuit vocatio Prophetarũ à Deo missorum, vt cũ Sacerdotibus ordinarijs, ad salutem populi cooperarẽtur ac laborarẽt: successores tamen post se iure ordinario nõ relinquerent. Iam neutra istarum vocationum primis reformistis, (de quibus hîc est quæstio) conuenire potest. Nõ prima quidem, nisi nouæ fidei,& religionis fundatores esse velint, quales fuerũt *Moyses*, & *Christus*. Solis enim nouis legislatoribus competit talis vocatio, vt per se patet. Neque secunda, illa enim non destruebat vocationem fundamentalem & ordinariam, sed eam confirmabat, & corroborabat, vt iam diximus; cùm isti Reformatores non tantùm pastorum ordinariorum negligentiam, & vitia reprehendant, sed eorum munera & vocationem vituperent,& penitùs extirpare cõtendant,ac nouam vocationis seriem, ac lineam stabilire, & introducere laborẽt. seipsos solos veros ac legitimos pastores [illegible]ntes. Istud vero absque defectu &

translatione prioris vocationis, & Sacerdotij fieri nō posse, ex regula *S. Pauli* iam allata constat: translationem autem veteris legis, & Sacerdotij absque introductione nouæ, vel nouæ introductionem absque nouo legislatore fieri non posse per se patet. Idcirco si nouæ Religionis & fidei fundatores esse velint, nouique legislatores, vt *Moyses* & *Christus*, nouam & extraordinariam vocationem sibi vendicare possunt; si vero *Christianæ* fidei & religionis doctores existimare cupiant, pastores, & Episcopos (quos ipse *posuit regere Ecclesiam suā*, & cū quibus promisit *adesse* omnibus *diebus vsque ad consummationem sæculi*) audire, & ab eorum impugnatione cessare necessariò debent.

Act. 20. Math. 28.

Ministri.

Petimus idcirco ab aduersarijs, per quodnam sacræ Scripturæ testimonium probare possunt, istud in Ecclesia Christi accidere non posse: Quandoquidē eadē motiua, quibus illi, qui in Ecclesia Iudaica seipsos ad dicta munera promouebant, vocatione tantum interiori diuini Spiritus, ad id impulsi, scilicet negligentia, malitia, & apostasia pastorū ordinariorū, & status Ecclesiastici totalis corruptio, in Ecclesia Christi non desint.

Illorum est probare, non vero nostrum in hac quæstione.

Cum debeant ipsi eandem vocationem extraordinariam in Ecclesia *Christi* probare, quæ extitit in Ecclesia *Iudaica*, iubent nos probare illam esse non posse. Quasi vero nobis, qui partem negantem in hac controuersia sustinemus, probatio incumberet, & illi, qui affirmantem defendunt, ab ea exempti essent. Quàm ineptum istud? Sed hoc etiam illis concedamus, & dicamus primò, disparem esse Ecclesiæ *Christianæ & Iudaicæ* statum & perfectionem. Quippe cum illa tanto melius sortita sit ministerium, *quanto & melioris testamenti mediatorem habet, quod melioribus sancitum est promissionibus*: (vt nos docet *S. Paulus*) quam ista. Deinde *Christus* promisit se Pastoribus Ecclesiæ adesse *omnibus diebus vsque ad cõsummationem sæculi. Et non solum Apostolis, sed etiam omnibus Ecclesiæ Præpositis, qui vicaria ordinatione Apostolis succedunt, dixit; Qui vos audit, me audit*; ait *S. Cyprianus*. Non igitur oportet Ecclesiam *Christi* ad normam Ecclesiæ *Iudaicæ* reuocare, quarum tãta est disparitas. Secundò dicimus, quod etiamsi gratuitò illis daremus vocationem extraordinariam possibilem esse in Ecclesia Christi, quæ fuit in

Heb. 8. 6.

Math. 28.

Epist. ad Florentium.

Ecclesia *Iudaica*, nihil tamen inde lucrãtur; cum vocatio extraordinaria, quam isti sibi vendicãt, longe diuersæ sit rationis ab illa, quam veteres Prophetæ habuerunt, vti iam ostendimus. Tertio denique dicimus Ecclesiam *Christi* non carere vocatione extraordinaria, quæ in pluribus persimilis est vocationi Prophetarum, licet non sit omnium eadem, & hanc dicimus esse institutionem diuersorum ordinum religiosorum per Ecclesiam approbatam.

Quod dicunt Prophetas veteres solo motu interno impulsos ad prophetandum & prædicandum, ex semetipsis prosiliisse, falsum est: nisi loquantur de illis, de quibus conqueritur Deus per *Hieremiam*, dicens: *Non misi eos, neque loquutus sum ad eos, & tamen currebant & prophetabant.* Qualia vero signa & testimonia requirebantur ad hoc vt Propheta tanquam Propheta reciperetur, inferiùs videbimus. Interim id quod dicunt de pastorum ordinariorum apostasia, & status Ecclesiastici corruptione, non aliud est, quam id quod omnes hæretici, omnesque contra statum ciuilem rebelles eadem facilitate prætendere

Hiere. 23. 21. 32.

Prætextus omnibus rebellibus communis: & præterea ex se inanis.

possint. Et quod, etiamsi verum esset, eorum tamen vsurpationem nullo pacto validam redderet.

Ministri.

Dicimus preterea originem Ecclesiæ Christianæ extraordinariam fuisse. Ergo & finis, & medium potest etiam tale esse.

Argumentũ stolidissimum.

Solida mehercle argumentatio, & huic similis. Origo seu initium humani generis fuit extraordinarium. Ergo & mediũ & finis. Quis, obsecro, huiusmodi ineptias in re maximè seria patienter audire valet?

Ministri.

Hucusque concludimus possibilitatem saltem & contingentiam vocationis extraordinariæ, donec per expressam scripturam contrarium nobis demonstratur.

Non formârunt hucusque vnũ solum probabile argumentũ, in sui instituti probationẽ, vt luce clarius apparebit, si cuiuis lubeat, totam hanc istorum ratiocinationẽ ad legitimã argumẽtandi formã reducere. Hoc tamẽ non obstante, per expressam scripturã contrariũ sibi probari impudẽter exigũt, cũ ipsi nec vmbrã quidẽ sacræ Scripturæ, in nouæ suæ doctrinæ probationẽ hactenus adducere potue-

rint; at hoc in posterũ forsan præstabũt.

Ministri.

Sed vlterius progredimur, & per sacræ Scripturæ textum, vocationem extraordinariam in nouo testamento probamus. Apostolus Paulus in 2. ad Thessalonicenses 2. nobis reliquit clarissimam prophetiam de generali discessione sub Antichristo, qui in templo Dei sedebit, hoc est, in medio Ecclesiæ dominabitur: sed Dominus Spiritu oris sui, hoc est, verbi sui prædicatione eum interficiet. Si autem futuri sint prædicatores contra Antichristum, sequitur quod vocationem suam aliunde, quam ab illo, & ab eius sectatoribus (qui tamen omnem in terra authoritatem habituri sunt) vel saltem si aliquam vocationem ab illis aliquando acceperint, illam extraordinariè exercebunt. Antichristi tyrannidem destruentes & regnũ Christi restituẽtes.

Argumẽtatio tenebricosissima & nouantibus digna.

Hoc idem colligitur ex præclaris Apocalypseos prophetijs, quæ de duobus testibus specialibus & particularibus à Deo ad prophetandum contra bestiam missis loquuntur: quod vocationem extraordinariam apertè innuit, quæ testimoniũ de terra, quæ tota post bestiam abibit non recipiet. Neque existimari debet Antichristum authoritatem illis administraturum, qui eum destruere debent. Atque ita vocationem extraordinariã possibilẽ esse hucusque demonstrauimus.

Discursum istum ad formam aliquam argumenti, vt tota eius vis & energia omnibus clariùs appareat, reducamus hoc pacto. Prædicatores, qui verbũ Dei annunciando *Antichristum* interficient, aliundè quam ab ipso *Antichristo* vocationem suam recipient: sperandum enim non est, quod ipse potestatem, qua destrui debet alijs subministrabit: Sed si ab illo non recipiatur, erit extraordinaria, quia omnem ordinariam potestatem in terra ipse occupabit. Ergo illa vocatio, quam ipsi habent, vel habituri sunt, qui *Antichristum* destruent, erit extraordinaria. Totam prioris discursus vim, quæ ad præsens institutum quicquam facit, in hoc concludi argumento, omnibus clarum esse puto. Quamuis enim alia in priori discursu contineantur, quæ in hoc argumento non concluduntur, talia tamen sunt, quæ vel non sunt controuersa, vt *Antichristum* esse venturum, discessionem faciendam, & alia quæ exprimuntur in sacra Scriptura, vel etiã si controuertãtur, ad præsens tamen institutum quo extraordinariam vocationem stabilire solum contenditur, nihil faciunt: qualia sunt

natura & conditio discessionis, locus sedis *Antichristi*, qualitas personæ, vel personarum, quæ eum destruere debent, & etiam testium, qui contra eum prophetabunt. Singulas igitur argumenti propositi propositiones discutiamus, vt videamus si aliquid contra veritatem *Catholicam* legitimè concludat.

Quantum ergo ad primam, non est dubium quin illi prędicatores qui *Antichristum* impugnabunt, vocationem suā aliunde quam ab ipso accepturi sint. Ac proinde prima propositio (si illam quæstionem, nimirum, vtrum *Antichristus* à prædicatoribus, vel ab ipso *Christo* destruendus sit, quæ ad præsens institutū minimè spectat, non inuoluamus) conceditur. Secunda vero propositio, cum sua probatione, non solum gratuitò asseritur, ac proinde gratuitò quoque negari possit, sed & plusquam falsa est, vtpote directè opposita omnibus illis sacrę Scripturæ testimonijs, quibus Deus promittit, *Quod portæ inferi non præualebūt aduersus Ecclesiam: quod ipse omnibus diebus adfuturus sit Pastoribus Ecclesiæ vsque ad cōsummationem sæculi: Quod ipse constituerit in Ecclesia Pastores & Doctores, donec occurramus*

Matth. 16.
Matth. 28.
Ephes. 4.

omnes in vnitatem fidei, & agnitionem Filij Dei, & nonnulla similia. Si dicant istas scripturas intelligendas esse de Ecclesia electorum, non vero de Ecclesia vocatorum, sicuti supra vidimus eos exposuisse: Quæro ab eis, vtrum Ecclesia electorum habeat alios Pastores & Doctores ab Ecclesia vocatorum. Dicere quod habeat, est delirium inauditum, & plusquam chimæricũ, neque magis probabile quam quod habeat aliam fidem, aliud baptisma, alium *Christum*, alium Deũ, ac dominum. Dicere autẽ quod nõ habeat quidem alios Pastores & Doctores, quã Ecclesia vocatorum, sed istos omnes in tẽpore *Antichristi* simul deficere, & apostatare debere, non solum absurdum & imaginarium esse conuincitur, sed etiam expresse contra fidei istorum professionem, qua profitentur se credere; *ordinem Ecclesiæ authoritate Christi stabilitum, sacrum ac inuiolabilem esse debere, ac propterea Ecclesiam, absque Pastoribus consistere non posse.* Si dicant articulum istum intelligi debere, de Ecclesia vocatorum tantùm, non verò electorum, quia hæc absque Pastoribus consistere possit: fateantur quoque necesse est se Pasto-

Ministris vndiq; angustia.

Confess. Gallic. art. 25.

res esse Ecclesiæ vocatorum tantum, hoc est damnandorum, non vero electorum: Nam cum Ecclesia electorum non solum possit absque Pastoribus subsistere, iuxta hanc responsionem, sed etiam de facto à multis sæculis, nempe à tempore quo ipsi somniant Ecclesiam *Romanam* à fide apostatâsse absque Pastoribus extiterit: quis non omnino insanus diceret, Deum, qui nihil facit frustra, iam tandem in fine sæculorum Pastores Ecclesiæ electorum suorum excitâsse, quam tamen absque illis hucusq; conseruauit, potius quam Ecclesiæ vocatorum, quę absque illis consistere nequit? Ad ista præcipitia ineuitabiliter rapiuntur illi, qui in tenebris ambulantes, nesciunt penitus quò vadant. Facessant igitur ab omni corde non fideli modo, sed etiam sensu cõmuni prædito huiusmodi deliria, de õnimoda legitimorũ Pastorũ defectione, & absoluta totius potestatis ordinarię in Ecclesia per *Antichristũ* vsurpatione, quæ nõ tantũ cũ sacra Scriptura manifeste pugnant, sed etiam cum fide & doctrina illorum, qui ea inuenerunt, constare nequeunt. Cum ergo cõstet de euidenti falsitate minoris, conclusionem, quæ in omni argumẽtatione

partem deteriorem sequitur, falsissimam esse necesse est. Qualis iam debet esse ministrorum istorum vocatio extraordinaria, quæ huiusmodi nititur fundamẽtis, qualis etiam Ecclesia, quæ ab huiusmodi regitur Pastoribus iudicet quilibet, qui animam suam non desperatè negligit.

Ministri.

Modò dicimus quod si quibusdam vocatio extraordinaria competere debeat, illis certe cõpetit, qui in his vltimis temporibus per gladiũ verbi Dei, quod est spiritus oris eius, Antichristum (quem Pontificem Romanum & sequaces eius esse defendimus) non solum detexerũt, sed ita etiam impugnârunt, vt speremus citò expugnaturos. Tales defendimus: & defendemus nostros in initio reformationis extitisse.

Christi vicarius Caluini. stis Antichristus.

Frustrà ac ineptè omnino laborant, vocationem extraordinariam sibi peculiarem facere, quam nondum probarunt possibilem esse. Sed non dedecet nouarum fabularum fictores, iacto vno fundamento fictitio alia statim figmenta superædificare. Si Pontifex Romanus esset *Antichristus*, vt hæretico furore perciti & occæcati defendere profitentur,

(procaciores verbis quam mente ſtupidi, vt reor: neminem enim viuere, qui ita ſenſu priuatur, vt tam claram falſitatem pro veritate ſibi perſuadere poſſit, exiſtimo) vocationem tamen extraordinariam ad A*ntichriſti* deſtructionem non fore neceſſariam ex eorummet doctrina demonſtratur. Docent enim illi, alias Eccleſias ſeparatas à *Romana*, nimirum *Æthiopicam*, *Græcam*, *Ruſsianam*, *Syriacam*, & alias ſimiles, quæ vocationem ordinariam Paſtorum adhuc retinent, veras Eccleſias eſſe, atque idcirco veram vocationem, quæ A*ntichriſtum* expugnet, ſubminiſtrare poſſe. Quæ ergo neceſſitas, illis vocationem extraordinariam quærendi, & ordinem, authoritate *Chriſti* in Eccleſia ſtabilitum, (quem ſacratũ ac inuiolabilem eſſe debere profitentur) ſacrilegè violandi? Si enim ROMANUS Põtifex ſit A*ntichriſtus*, vt iſti pluſquam abſurdè affirmant, cum ſint nonnullæ Eccleſiæ, quas ipſi veras exiſtimant, ab ipſo ſeparatæ, falſum eſt quod dixerunt A*ntichriſtum* omnem authoritatem ordinariam in terris occupare, ac proinde friuolus omnino & fictus eſt prætextus, quo ſub ſpecie neceſſitatis, vocationem

extraordinariã inducere contendunt: *Si* vero nõ sit *Antichristus* (vt certo certius non est) hęresis apertissimæ cõuincũtur, qui cum obstinatia eum *Antichristum* esse asserunt, aliamq; hæresim priori addũt, quando dicunt, omnes Pastores ordinarios Ecclesiæ, ad *Antichristum* defecisse, ac proindè noua atq; extraordinaria vocatione opus esse, vt *Antichristus* destruatur. Adeo vt quacunq; se vertunt, vocationem suam extraordinariã, ex suis ipsorum principiis penitus euersam fateãtur necesse est.

Nullum patet Ministris effugium.

Ministri.

Si pro vocationis huius extraordinariæ cõfirmatione miracula quærant, respondemus primo hoc iure fieri posse, si nouam doctrinam protulissent. Sed cum aliam non prædicarint doctrinã, quam quæ in scripturis veteris & noui Testamenti prius tradita fuit, illa eadem miracula, quæ per Prophetas & Apostolos in cõfirmationem illius doctrinæ ab initio perpetrata fuerunt abundè sufficiunt, neque alia omninò requiruntur.

Quæstionem quæ est de vocatione nõ de doctrina subdole inuertũt

Isti interrogati de vocatione sua respondent, doctrinam suam non esse nouam, ac proinde miracula non requiri ad eius confirmationem, quo nihil ineptius dici potest; sed miseri homines subter-

fugia quærunt. Nam si extra controuersiam esset, doctrinam suam non esse nouam (quod ipsimet non audebunt asserere) quid hoc ad præsentem, quæ est de vocatione, quæstionem? *Coré*, nonne eãdem cum *Aarone* tenuit doctrinam, & tamen, quia eius functionem & vocationẽ vsurpauit, miserè periit. Prophetæ veteres, nonne eandem, quam docuerat *Moyses*, doctrinã ipsi docebant, & tamen vocationem suam miraculis demonstrabant, idq; necessario, vt viam aliis obstruerẽt, qui eandem doctrinam cum *Moyse* sectãtes ad prophetãdum se missos iactitabãt, cum tamen missi non erant, vt Deus per Prophetam non semel questus est? Idem dici potest de duobus testibus, quorum mentio fit in libro *Apocalypsis*, de quibus etiam Ministri isti supra loquuti fuerũt; illi enim eandem cum *Christo* & Apostolis doctrinam tradituri sunt, & tamen in probationem missionis suæ à Deo, prodigia magna, & multa perpetraturi sũt, vt sacer textus expresse testatur. Et quod caput est, Christus ipse qui eandẽ cum *Moyse* tradidit doctrinam; missionem suam nihilominus probauit dicens: *Ipsa opera quæ ego facio testimonium perhibent*

Hierem. 23.

Et sæpissime testatur se missũ esse à patre.

de me quia pater misit me. Quamobrem vt ministri isti primos suos magistros vocatos à Deo fuisse ostendant, vel eandem cum Apostolis vocationem (quæ in illis per miracula confirmata fuit) eos habere (quod absque non interrupta successione præstari nequit) vel per noua miracula ab ipsismet patrata, illos immediatè à Deo fuisse missos probare debent. Et quia neutrum horum hucusque præstiterint, neque imposterum vnquam præstituri sint, de illorum numero eos esse, qui non missi currunt, nimis clarum est, quam vt à quoquam mediocri tantũ iudicio prædito dubitari possit.

Ministros absque missione currere conuincitur.

Ministri.

Rursus omnis vocatio extraordinaria non semper confirmata fuit per miracula, vt patet ex vocatione multorum Prophetarum:

Falsum.

Voluntaria hæc est assertio, & absque omni fundamento, vt cœtera sunt omnia, quæ proferunt isti. Si singula miracula, quæ patrarunt Prophetæ in missionis suæ probationem non sint expressa in Scriptura sacra, indenè legitimè concluditur aliquem Prophetam fuisse vnquam admissum & agnitum tanquam à Deo missum, absque miraculis vocationem

tionem suam extraordinariam testificãtibus, præsertim cum præcipuorum omnium Prophetarum (qui cæterorum regula esse debent) miracula scriptura exprimat? Certe ex sacra Scriptura habemus regulam generalem non recipiẽdi Prophetas, hoc est homines à Deo extraordinariè missos; absque extraordinaria missionis suæ probatione. Sic enim Deus dicit; *Propheta qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi vt diceret, aut ex nomine aliorum Deorum, interficietur. Quod si tacita cogitatione responderis, quomodo possim intelligere verbum quod Dominus non est locutus? hoc habebis signum, quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non euenerit. Hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit, & idcirco non timebis eum.* Hinc clarum est Prophetas veteres non fuisse recipiendos, nisi missionis suę probationem extraordinariam adhibuissent. Quandoquidem Deus ex vna parte grauem vltionẽ eis minatur, qui Prophetam ab eo missum non reciperent, dixerat enim verbis immediatè præcedentibus. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba*

Deut. 18 20.

Si ista regula diuina obseruaretur, nõ exurgerent tot in dies falsi Prophetæ & Prædicatores.

mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi: qui autẽ verba eius, quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego vltor existã: (quæ verba licet intelligantur præcipue ac principaliter de *Christo*, non tamen ita ſingulariter, vt alios omnes Prophetas excludant, vt ex verbis ſequentibus clarè conſtat) & ex alia parte, eum qui non miſſus prophetare præſumpſerit, interfici præcipiat, neceſſe erat vt aliquã certam rationem & regulam, qua vtrumq; periculum euitari poſſet (quod abſque miraculo fieri nequibat) populo ſuo relinqueret. Et quia eadem vel ſimilia ſaltem pericula in recipiendis falſis, vel reiiciendis veris prædicatoribus populo *Christiano* imminere cõſtet, (de Paſtorib. enim & prædicatoribus à *Christo* miſſis dictũ eſt, ex vna parte: *Qui vos ſpernit, me ſpernit:* & ex altera parte: *Cauete à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos,* (certa aliqua regula dignoſcẽdi falſos à veris prædicatorib. nõ minus, ne dicã magis neceſſaria eſt in Eccleſia *Christiana*, quã in *Iudaica*. Hanc autem regulam, aliam in ordinariis quam ſucceſſionem; in extraordinariis vero quam miracula eſſe, neque ex Scriptura ſacra, neque alia authoritate, aut ratione vſpiam apparet.

Porro hãc veritatem *Christus* Dominus singulariter confirmat suo ipsius exẽplo, tametsi enim Dei filius esset, & doctrinã antiquis scripturis omnino cõformẽ doceret, dixit tamẽ, vt iã vidimus: *Ipsa opera quæ ego facio testimoniũ perhibent de me, quia Pater misit me*. Obserua (Lector) quod missionẽ suã à patre probat, nõ quidẽ per doctrinæ suæ veritatẽ, sed per opera mirabilia & supernaturalia quę fecit. Et adhuc in alio loco magis clarè: *Si opera nõ fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum nõ haberent*. Si *Iudæi* non recipiendo *Christũ* nequaquã peccâssent, nisi per talia opera & miracula, qualia nemo alius vnquã operatus est, missionẽ suam à patre probâsset, vt *Christus* ipse testatur, tametsi doctrinam tradidit, Scripturis sacris (quæ etiam de ipso loquebãtur) maximè conformem: quis adeo demens esse potest, vt Prophetam, vel Prædicatorem alium quemcunque, extraordinariã missionem prætendentem, absque alia missionis suæ testificatione, quam leui doctrinæ suæ cum Scripturis sacris conformitatis prætextu, audiendum, credendũ, atque vti legitimũ Magistrũ auscultandum esse, effutire non erubescat? Sed

Christus missionem suã probat.

Io. 5. 36.

Irrefragabile contra nouatores argumentum.

is sane multo magis esset absurdus, qui hoc in aduersariorum nostrorum casu assereret, quos non minorem de veritate doctrinæ suæ, quam de valore & veritate missionis habere Controuersiam omnes nôrunt.

Vide quomodò cōtra seipsos argumētantur.

Ministri.

Et de S. Ioanne Baptista, qui nullum miraculum fecit, vt Euangelium Ioannis testatur, & S. Ioannes Chrysostomus optimè obseruauit.

Si eadem vel similia miracula in testimonium vocationis *Lutheri*, & cæterorū suorū Cōministrorum afferri posset quæ de *S. Ioanne Baptista* in scriptura referuntur, alia ab eis non quæreremus. Cum igitur ista non habeant, nōne clarè per hanc instantiā intrusionis, & rebellionis cōtra Deū & Ecclesiā, vt olim *Coré* & Cōplices eius, condēnantur. Præter clarissimas *Esaiæ* & *Malachiæ* Prophetias, (per Euangelistas & Angelū ipsum de *S. Ioanne* pronunciatas) præter illustrissima miracula in illius Conceptione, Natiuitate, & Circōcisione edita, (ita vt *factus sit timor super omnes vicinos, & diuulgabatur res illa super omnia montana Iudeæ*, per vitæ suæ sanctitatē, tantā adeptus est apud *Iudæos*,

Marc.1.

Luc.1. 65.

non vulgares, ſed Principes authoritatẽ & fidem, vt eum tanquam notiſſimum Prophetã haberent, adeo vt vtrũ *Chriſtus* ipſe eſſet, ab ipſomet quærerẽt. Et peſſimus *Herodes* eum reuerebatur *ſciens eum hominem iuſtum & ſanctum.* Producãt iam nobis aliquid huiuſmodi de ijs, de quorum vocatione hîc diſputamus, & causã illis dabimus: Sed non eſt nobis timẽdũ, quod aliquid huius generis aliquando præſtent. Nam preterquam quod neq; Prophetias de eorum aduentu habeant, niſi illam Apoſtoli, (*Scio quoniam intrabũt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos non parcentes gregi*) neque miracula vlla vel ante vel poſt eorum natiuitatem, quis *Chriſtianorum* eſt qui vitas turpiſſimas & ſceleratiſſimas illorum, præſertim *Lutheri* (qui cœterorum pater & præcurſor extitit) ignorat?

Io.1. 25.
Marci 6 20.
Act. 20. 29.

Et hîc te admonere velim (Lector prudens) quod tametſi Miniſtri iſti quibuſcum hîc diſputamus, multo maiorẽ diſcurſus ſui partem, ne dicam totum, à *Mornæo* mutuati fuerint, adeo tamẽ miraculorum, quæ ipſe in confirmationem vocationis extraordinariæ noui miniſterij affert, eos pudet, vt elegerint

potius vocationem suam extraordinariã absque omni miraculo asserere, quã miracula ab illo allegata, in causæ suæ defẽsionem adducere. Et quamuis ad istorũ imitationem, ea, vti reiectitia, prætermittere iure possem, ne tamen aliquid quod aduersariorum causæ quoquo modo fauere videatur dissimulasse existimer, ea hîc describere non pigebit.

Mornæus pag. 524. & 525 edit. Lat.

Primum est quod Monachulus (*Lutherum* sine dubio intelligit) *cum paucis Symmistis maximam Reipublicæ Christianæ partem Põtificis Romani tyrannidi eripuerit, & verbi Dei splendore, infinitis hominum myriadibus iam à natiuitate cæcis, visum* (spiritualem scilicet) *restituerit. Quod tantum miraculum absque miraculis perfici, omnia miracula longissimo interuallo superat.*

Pulchra miracula à Mornæo allata.

Non miror equidem quod ministri nostri istius miraculi non meminerint. Sed miror *Mornæum* adeo omni iudicio priuatum, vt vel de illo somniare quidem posset. Si enim hoc miraculum vel ad vocationem, vel doctrinam probandam & confirmandã idoneum foret, necesse erit credere, omnes plane hæreticos, sed inter cœteros, & præ cœteris *Arianos*, & veram doctrinam, & veram vocationem

habuisse. Quis enim ignorat eos multo plures à Sedis *Romanæ* obedientia, & cõmunione abstraxisse, quam nouos istos reformatores? Sed certe istud non magis est miraculosum, tametsi omnes eorũ sectæ (quæ tamen se mutuò tanquã hæreticos condemnant) in vnũ coniiciãtur, quam si ruptis aggeribus, regiones mari circumiacentes inundarentur aquis, aut quod graue põdus sublato fulcro deorsum caderet. Quandoquidem enim *Lutherus* cum sua viperina progenie, latam largámque libertatis viam, (perquã multos sua sponte intrare Veritas testatur) prædicatione sua repanderit, docens neminem quantumuis enormem peccatorem perire posse, si credat se saluandum fore; & necessitatem bonorum operum, vitæque rectè ac piè institutæ tollens, cum nonnullis aliis ad perditam ac dissolutam libertatem ducentibus; multò magis mirum, maiusque diuinæ prouidentiæ de humana salute argumentum est, quod non plures, quam quod tot in larga hac libertatis via sectatores habuerit.

2. *Mornæi miraculum*

Non contentus ergo *Mornæus* isto miraculo miraculorum, & tamen volens

vocationem extraordinariam suorum Symmistarum miraculo aliquo confirmare, aliud adinuenit, quod *Pharisæos* ipsos, qui signa de cœlo petierunt, conuincere posse existimat. Istud vero est; Quod *eo tempore quo per totam Galliam tanquam lanienam strages illæ ederentur, fulgere cæpit è cœlo nouum illud sydus, quo non aliud simile à mundi creatione ad natum vsque Christum visum fuerat, omnium oculis totos tres annos subiectum fuit. Et quid obsecro, nobis portendat, nisi renascentem in mundo verbi prædicatione, Christum?*

Hinc manifestè constat, quam miserè egeni & inopes sint nouæ reformationis magistri, qui in tanta miraculorum necessitate, nec vnicum quidem verum, immo nec aliquid vero miraculo simile producere queant: Siquidem minimum illorum, quæ nostris tantummodo diebus, ad Beatissimæ Virginis *Mariæ* imaginem dictam de *Monte Acuto*, in fidei Catholicæ confirmationem, & hæresis istorum confutationem facta fuerunt, haberent, (Deus bone, quantum triumphum agerent! Sed ponderemus tantisper ingens istud *Mornæi*

miraculum, & videamus si non magis infirmet, quam confirmet Reformistarum tam doctrinam, quam vocationem.

Primò, tantum abest quod certum sit, sydus illud fuisse miraculosum, hoc est supernaturaliter productum, vt illud vix probabile sit. Secũdò, esto miraculosum, nulla apparet probabilis ratio, vel minimum signum, quod prætẽsam Religionẽ, & reformationẽ ita respiciebat, vt in illius approbationem editũ fuisse verisimiliter saltem credi possit. Neque enim prædictum vel prçuisum fuit ab aliquo eorum, neque ex precibus eorum à Deo impetratum, neque per aliquem effectum externum ad illum finem applicatum, vel accommodatum. Qua ergo ratione dici possit, reformationem istam quoquò modo spectasse? Tertiò, tardius editum fuit quam necessarium erat, *vt renascentem Christum, verbi sui prædicatione, per nouos reformatores*, præmõstraret. *Lutherus* enim apostasiam suam (quæ noui Euangelij natalis erat) anno 1517. incepit: stella autem prædicta, non apparuit ante annum 1572. nimirum quinquaginta & quinque annos post *Lutheri* ab Ecclesia discessum, cum tamen signa præfigura-

tiua alicuius rei, illam præcedere necesse sit. Quod verò *Mornæus* dicit, *sydus illud apparuisse tempore, quo strages in Gallia ederentur*, tantum abest vt causam suam iuuet, vt eam penitùs euertat. Posito enim quod astrum illud miraculosum extiterit, & quod strages illas quoquo modo respexerit, nemo iudicio tātū mediocri præditus negabit, quin diuinā approbationem potius, quā improbationē earū præmonstrarit. Quia Deus quoties aliquam actionem sibi displicere ostendere intendit, per fulgura & tempestates, terræmotus, ignē, sulphur, & huiusmodi signa id præstare solet, non vero per nouorum astrorum creationem: Noua enim sydera non iram Dei, sed complacentiam potius demonstrant, vt de illa stella constat, quæ *Christum* Dominum tribus Magis ostendit & reuelauit. Atque idcirco *Mornæus* miraculum adduxit (si tamen miraculum sit) non ad comprobandam, sed improbandam Religionem suam, & prædicatorum suorum vocationem extraordinariam.

Miraculum hoc Mornæi causam penitus euertit.

Et hîc (satis oportunè quidem) venit mihi in mentem de mirandis quibusdam ad præsens institutum, non tamen ad

mentem *Mornæi* ſpectantibus, quorum *Oſiander* inter *Proteſtantes* non exigui nominis ſcriptor) mentionem facit his verbis. *Friburgi in Miſnia natus eſt vitulus qui monachi cucullati formam gerebat. Hallæ Saxoniæ porcus è ſcropha prodijt, qui Sacerdotis caput habebat,*

Oſiander in Epit. Centur. ſub finẽ anni 1523.

Quæ quidem monſtra brutalem *Lutheri* apoſtaſiã portendiſſe videntur. Is enim Sacerdos & monachus exiſtẽs, anno poſt turpiſſima hæc monſtra edita, nẽpe anno 1524. habitum religioſum exuens, non multo poſt *Catherinam Borrham* monialẽ in turpitudinis & ſacrilegij ſui conſortiũ duxit. Et cum antea caſtam vitã egiſſet, in tam horrendam luxuriã lapſus eſt, vt de ſeipſo ſic teſtetur, (adeo omnẽ frontem cum fide & religione exuerat:) *Vror ingenti flamma indomitæ carnis meæ, ego qui Spiritu Dei feruere deberẽ, carnis libidine exæſtuo.* Et iterũ in alio loco: *Vt non eſt in mea poteſtate, vt non ſim vir, tam non eſt in mea poteſtate vt muliere caream;* & alia nonnulla huiuſmodi. Ex quibus apertiſſime cõſtat, quod ex caſto Monacho & Sacerdote factus ſit porcus laſciuus. Nã ſi bruta animalia appetitus ſuos naturales loquendo poſſent exprimere, alijs terminis (vt exiſtimo) non vterentur. Iudicet idcirco

Monſtruoſa Lutherana apoſtaſia portenta.

Tom. 1. epiſt. ad Philippum.

Tom. 5. Sermone de Matrimonio.

æquus Lector, num prodigiosa illa monstra, quorum meminerit *Osiander* (loci ac temporis circunstantijs ponderatis) *Lutheri* apostasiam, &c. de Sacerdote & Monacho in turpissimum porcum mutationem non portenderint. Sed iam ad Ministros nostros reuertamur.

Ministri.

Ergo Papa non est Antichristus si vocationem legitimam conferat.

Quantum attinet ad vocationem ordinariam primorum nostrorum pastorum dicimus, quod si vlla tunc temporis in papatu extitit, ex illorum parte stetit, quia rectum illius vsum habuerunt, loco quo alij eadem abutebantur. Et si obijciatur, quod à vocatione ab Episcopis recepta ceciderint, quia aliam doctrinam tradebant, respondemus quod si illud ita sit, controuersia de doctrina, non vero de vocatione futura erit.

Vide sect. quintam praecedentem.

Quæ misera cœcitas, & plusquam cœca peruicacia. Isti iam iam Papam *Antichristum*, & omnes qui ei obediunt illius esse asseclas defendere voluerunt, indeque vlterius arguerunt (quia ipse in sua manu omnem ordinariam vocationẽ haberet, neque expectandũ esset, quod potestatẽ qua ipsemet destrueretur subministraret) vocationẽ extraordinariã necessariã esse: iã vero vocationẽ ordinariã

ab ipso recepisse prætendūt. Sed sinamus contra omne ius fasque miseros istos ministeriū suū ab illo mutuari, cuius potestatem virulentissimis dicterijs insectātur ac vituperant, & videamus quomodo, quaue ratione vel arte à manifesto sacrilegio & rebellione seipsos purgare queāt.

Equidem si legitimam aliquam prædicandi, & sacramenta administrandi potestatem à Pontifice *Romano* recipi posse existiment, vnum horum necessaria sequela concedere cogentur, nimirum aut pontificem *Romanum* non esse *Antichristum* (quod tamen ipsi mordicùs defendere statuerunt, vel *Antichristum* legitimam authoritatem in Ecclesia *Christi* ministrandi conferre posse, immo & reipsa contulisse, ac proinde potestatem, qua ipse destruatur (quod vt ipsimet superiùs argumentati sunt, incredibile est) subministrâsse. Certam aliquam rationem ac viam vtrumque horum euitandi, (posito quod vocationem aliquam legitimam à Pontifice *Romano* vel eius subditis recepisse se fateantur) nunquam inuenient. Aut igitur Pontificem *Romanum* non *Antichristum*, sed legitimum *Christi* Vicarium cum Ecclesia

Ex proprys dictis cōuincūtur ministri.

Catholica agnoſcant, aut certè ſe nullam legitimam vocationem ordinariam habere fateantur neceſſe eſt.

Ex alio capite falſi coarguuntur nouatores.

Præterea ex alio doctrinæ Reformiſtarum Capite euidenter concluditur eos nullam vocationem legitimam à Pontifice *Romano*, vel alijs *Catholicis* Epiſcopis recipere poſſe. Nam cum ipſi negent ſacrum ordinem eſſe ſacramentum, & characterem vllum indelebilem, in anima recipientis relinquere, cuius virtute actiones illius ad ordinationem ſpectantes veræ, reales, & validæ, ac proinde nunquam reiterandæ ſint (vt *Catholici* omnes docent) & conſequenter aſſerant moralem ſeu extrinſecam tantummodo eſſe alicuius perſonæ, ad tale munus fungendum deputationem, vel delegationem: hac quidem amiſſa, impedita, dempta, vel ſuſpenſa, omnem poteſtatem ordinandi ſimili modo amitti, ac deperdi neceſſe eſt fateantur, ac conſequenter eum, qui in tali caſu alium ordinare preſumeret, nihil omnino efficeret. Præterea cũ per hæreſim & apoſtaſiã tollatur omnis extrinſeca delegatio ſeu moralis deputatio, qua obſecro, ratione vocationẽ vllã à Papa vel Epiſcopis *Catho-*

Ex proprijs principijs cõuincuntur aduerſarij.

licis recipere possint reformatores, cum illi iuxta doctrinã iam explicatam, omnẽ ordinandi potestatẽ à lõgo antea tẽpore, nempe à quo ad *Antichristum* apostatâsse finguntur, amiserint? Certe si in hac maneamus doctrina, nulla valida ordinatio ab eis recipi potest. Nã si nihil remaneat aliud in Episcopo ordinato, (ratione cuius actiones quas virtute suę ordinationis exercet, reales sint ac validæ) quam moralis deputatio (vt isti negantes characterẽ necessario dicere debent) impossibile est imaginari, quomodo Episcopus in hæresim & apostasiã lapsus, ordinationẽ vel vocationẽ validã conferre possit. Episcopus enim in hæresim vel apostasiã lapsus, omnem delegationem seu moralem deputationẽ (quæ ab vnione cum Ecclesia & eius capite necessario depẽdet) amittit; proindeque non maiorẽ ordinandi potestatem (iuxta Reformistarũ doctrinã) habebit, quã quiuis alius, qui nunquã ordinatus fuit Episcopus: quẽadmodũ enim Prætor, Vicegerens, aut quiuis alius magistratus libera voluntate Principis constitutus, in manifestam rebellionem lapsus, ac proinde à magistratu non tam sententia Iudicis, quam ipsa re decidens, & talis declaratus, non maio-

rem illo munere fungendi potestatem habet, quam si nunquam ad talem magistratum euectus fuisset: Et magistratus inferiores ab eo in rebellione persistente creati, vel constituti, & virtute creationis illius munus aliquod exercentes, tantum abest vt legitimi magistratus sint, vt rebellionis illius participes fiant, & iniusti vsurpatores ab omnibus habeantur, quantumuis fideles Principis sui ministros se deprædicent. Neq; illos quicquã iuuaret, quod magistratum suum ad rebelles exterminandos ac debellandos, non vero stabiliendos roborandosue se exercere prætenderent: nam impræsentiarum quæstio non est de vsu & exercitio magistratus vel potestatis, sed de ipsamet potestate & magistratu, qui nullus esse potest omnino, nisi à Principe recipiatur: sed si ab eius hoste petatur, nõ modo nullus est legitimus magistratus, sed etiam rebellis ac tyrannica erit vsurpatio. Iam vtrum in hoc eodem statu, quãtum ad vocationem quam ab Episcopis *Catholicis* se recepisse prætendunt, nouæ reformationis ministri non sint, supposita eorum doctrina de sacro ordine (quẽ docent, neque sacramentum esse, neque

characterem

characterem vllum in ordinato relinquere) & de Ecclesiæ *Romanæ* à *Christo* defectione, iudicium esto cuiusuis prudentis, licet minus æqui lectoris.

Præripitur illis omnis euadẽdi copia.

Si obijciant quod in *Catholica* doctrina, (quæ docet sacrũ ordinẽ indelebilẽ characterem animæ ordinati imprimere, ratione cuius vniuersæ actiones, quæ virtute talis ordinis exercentur, validæ fiunt, non obstante quacunq; hæresi, apostasia, vel etiam degradatione) eandem veram vocationem & ordinationẽ habere possunt, quam in Ecclesia *Romana* existere *Catholici* omnes credunt. Respondeo primo, contra omne ius fasque esse, vt à *Catholicæ* doctrinæ veritate, quam tanto impetu & vehementia vti falsam impugnant, causæ suæ patrocinium recipiant. Cũ enim falsitas veritati patrocinari nequeat, aut ipsi turpiter errant, doctrinæ *Catholicæ* falsitatem imputantes: aut gnauiter ineptiunt, cõfirmationem veritatis à falsitate emẽdicãtes. Sed permittamus eos *Catholicæ* veritatis clypeo etiam hic iterum se defendere, & videamus quid inde lucri causæ suæ acquirent. Certe illud idem, quod *Christus* Dominus dicit vesti veteri & tritæ à comissura

S

noua solere fieri, nimirum vt scissura maior reddatur.

Nam vnum horum fateantur necesse est, vel in Ecclesia *Romana* à qua vocationẽ suã se recipere modo contendunt, quando *Lutherum* ad gradum Sacerdotalem promouebat, legitimam vocationem extitisse, non solum quantum ad sacramentalem potestatem & characterem, sed etiam quantum ad legitimum eiusdẽ potestatis vsum: Et sic necesse est, vt ipsi hæretici sint & schismatici, qui Ecclesiam illam non deseruerũt modo, sed etiam omnibus modis impugnârunt, quę & legitimã vocationẽ, & vocationis vsũ, & consequẽter rectã verbi & sacramẽtorum administrationẽ, (solã verã veræ Ecclesiæ notam vt ipsi sentiunt) retinet: vel etiamsi sacramentalis potestas, & character in ea remanserit; legitimũ tamẽ illius vsum propter apostasiam suam à *Christo* non retinuit, & in hoc quoque nõ minus se vsurpationis condemnant. Nã si illi qui *Lutherum* ordinarũt, legitimũ characteris seu potestatis sacramentalis vsum non habuerint, vnde obsecro eã recipere potuit *Lutherus?* Ex concilijs enim *Niceno* & *Sardicensi* constat quòd ab hæreticis ordinati, nullũ sacramentalis potestatis (quã

per ordinationem suam receperunt) legitimum habeant vsum, vt infra latiùs videbitur. Quocirca reformatores isti, Ecclesiã *Romanã* plusquã hæreticã existimãtes, & nihilominus ordinationẽ suã ab ea recipere profitentes, vocationẽ aliam inde accipere nequeãt, quã à *Miletio* & *Arianis* ordinati, à concilijs iam dictis olim existimabuntur accepisse; id est omnino nullã.

Infra cap. 11.

Dicent fortasse se extraordinariè & immediatè à Deo rectum sacramentalis potestatis vsum recepisse: Sed imprimis hoc ineptum est, nam impræsentiarũ quæstio est de vocatione ordinaria tantum, quã ab Episcopis *Catholicis* primos suos prædicatores recepisse isti prætendũt. Deinde miserrimũ istud vocationis extraordinariæ effugium, & authoritate & exẽplo *Christi* Domini efficaciter iã refutatũ vidimus. Qui de seipso testatur, quod nisi opera quæ nullus alius vnquam fecit, in missionis suæ testificationẽ fecisset, *Iudæi* eum non recipiendo minimè peccassent, Et *Lutherus* ipse, de cuius missione & vocatione præcipuè hîc disputamus, expressè testatur, *quod Deus nunquam aliquem misit, nisi per hominem vocatum, aut per signa declaratum, ne ipsum quidem filium.*

Nõ euadunt.

Luther. in locis com. classe 4. c. 20.

Ad Milhousenses vt refert Sleidan l. 3.

Et itertim. *Si dicat* (Munsterus) *se à Deo & eius spiritu missum esse, quemadmodum Apostoli, probet hoc signis & miraculis, vel nolite ferre vt concionetur: nam vbicumque Deus ordinariam viam mutare vult, vbi semper miracula facit.* Idcirco neque *Lutherus* neque alius quisquam reformatorum, cum nec minimum in missionis suæ extraordinariæ confirmationem perpetrarint miraculum, iuxta hanc regulam recipi potest. Adeo vt quocunque se vertant isti, suismet ipsorum laqueis inextricabiliter irretiti iacent, tanquam sacri ministerij vsurpatores, *Christoque* & Ecclesiæ suæ rebelles manifestè probati.

Effugium consuetum.

Solent, vt superius ex *Mornæo* vidimus, necessitatem reformationis in defensionem suam prætendere. Sed ineptissimè. Nonne enim omnes tam hæretici, quam ciuilis status inimici, & perturbatores eandem reformationis necessitatem prætendere æquè possunt, immo & solent? Potestne vllus grauior vel in Ecclesiastico vel ciuili statu abusus, & corruptela esse, vel excogitari, quã vt aliquis absque authoritate ab illo, qui reformandi ius & potestatem habet, accepta, pacem & ordinem stabilitum, sub solo

Efficax contra nouatores argumentatio.

prætextu reformationis perturbare præſumat? Minimè quidem. Deus enim, qui per ſapientiam bonitati ſuæ æqualẽ, res humanas, ſed præcipuæ Eccleſiam ſuã regit & gubernat, longè aliter in ſua prouidentia diſponit, quam vt vni malo per aliud grauius malũ mederi ſoleat: quod faceret quidem, ſi Eccleſiæ ſuæ reformationem per homines qui nullum miſſionis ſuæ teſtimonium habent, operaretur. Ac proinde quando abuſus & corruptelas in Eccleſiam ſuam inuectas tollere & reformare proponit, miniſtros valida authoritate munitos, ad illud exequendũ, ſemper hucuſq; deſtinauit. Teſtes ſunt tot Concilia celebrata, tot ſacroſancti canones conſtituti, tot hæreſes condemnatæ, tot deniq; irrepentes in Eccleſiam prauæ conſuetudines, abuſus, & corruptelæ, extinctæ, exciſæ, & radicitùs euulſæ. Quid ergo dicemus? quod hac tandẽ vice in fine nimirũ ſæculi Deus conſuetam, ac firmiſſimis promiſſis ſtabilitam, & confirmatam prouidentiam inuerterit? Idq; abſq; omni vel ſacri eloquij teſtimonio, vel alia probabili authoritate niſi ex paucorum tantummodo perditiſſima vita ac moribus homuncionum nuda &

inani assertione? Absit.

Angulos quærit Mornæus. Pag. 489.

Mornæus qui omnes omnino quærit angulos, vt vocationem aliquam ministris suis excogitare, vel saltē affingere possit, hoc in eorum fauorem & defensionem adducit exemplum. *Sic finge tibi obsecro magistratum, qui sit ad Reipub. administrationem vocatus, isq; vel negligentia eorum qui præcesserunt, vel malitia deprauatas leges reperiat, oppletum iniustitia palatium & forum, venaliaque & omnibus modis corrupta munera: idem reformanda omnia, & ad examen legum reuocanda suscipiat, tum si quis roget quo iure id aggrediatur, annon plusquā ridiculus habeatur? Certe quidē ille hoc vnū agit vt vocationi pareat.*

Retorquetur in eius caput argumētum.

Hoc primis suis pastoribus, qui ordinati Sacerdotes in *Romana* Ecclesia, reformationi eiusdem (vt prætendit iste) inuigilabant, recte quadrare existimat. Sed vel fallit, vel egregie falsus est. Imprimis enim, admittatur eius exemplū, & vlterius ab eo quæramus, quid ipse *Arianis*, *Seruetianis*, *Anabaptistis*, *Libertinis*, alijsque similibus, quos ipse hæreticos fatetur, hoc idē argumentū contra ecclesias *Galliæ* & *Germaniæ* falso dictas reformatas obijcientibus, responderet? Diceret existimo, istum reformationis prætextū fucū tantū esse, sub cuius ementito colore, in

Ecclesiam semel ingressi, eius pacē turbare, hominesque in errores suos pertrahere faciliori negotio possent. Nihil enim tū ciuilium, quam Ecclesiasticarū rerū perturbatoribus, magis vsitatū esse norunt omnes, quam reformationē & vtilitatem status, quem subuertere cupiunt, prętendere. Quibus tametsi auscultandū esset, impossibile foret, ad breue aliquod tēporis spaciū pacē cōseruare. Ista sane respōsio clarissimā veritatē indicat, nec quisquā adeo omnino vecors esse potest, qui eam negare queat. Habebit ergo *Mornæus* ex hac responsione, argumentationis suæ (si tamē quæuis similitudo vel exēplū argumētatio dici debeat) plenissimā solutionē

Secundò, exēplū istud, nihil prorsus ad *Mornæi* institutum conducit, nisi ista duo prius probata fuerint. Primum, quod vera Dei Ecclesia ita deficere possit, vt nullus in ea relinquatur verus pastor, qui eā reformandi curam habet. Secundū, quod in eo statu fuerat, quando *Lutherus* eam deseruit. Nisi enim ista duo manifesta fiant, nulla probabilitatis species in isto *Mornæi* exemplo apparet. Sed non minus difficile, (immo impossibile est) ista duo probare, quam aut sacram Scripturam falsam esse aut Deum promissa sua

fefellisse demonstrare: ex superius enim dictis constat, Scripturam sacram testari, *Christum* promisisse se cũ pastoribus semper adfuturum. Rursus tametsi ista duo demonstrare possent, non tamen statim sequeretur eos inde probasse vocationẽ suam esse legitimam. Longe enim aliud est improbare aliquam speciem vocationis, & aliam probare. Sicut *Eutiches* verbi gratia, *Nestorianismum* improbando, & refutando, non eo ipso hæresim suam probauit. Tametsi enim veritas in vnaquaque re vnica sit, falsitas tamen potest esse multiplex.

Ratio diligẽter notãda.

Tertiò, *Lutherus* cum sequacibus suis non tantum corruptiones, quas falso in Ecclesia existere imaginãtur, reformare laborant, sed & legitimos pastores, à quibus vocationẽ suã recepisse fatẽtur, loco suo mouere, & seipsos rectores, doctores, & pastores non quidẽ Ecclesiæ Dei (hãc enim destructã cupiũt) sed congregationis per semetipsos collectę cõstituere cõtendunt. Quale facinus, si quis sub simili necessarię reformationis prętextu in statu politico attẽtare præsumeret, seditionis perduellionisq; reus factus, mercedẽ sceleris sui condignã citò reciperet. Exẽ-

plum igitur à *Mornæo* adductum si rectè consideretur, tantum abest vt *Luthero* eiusque viperinæ proli faueat, vt eum clarè condemnet. Sed ministros iam reuisamus.

Ministri.

Si dicatur maiorem partem eorum (primorum nimirum *Protestantium* Prædicatorum) *fuisse tantummodo Sacerdotes, ac proinde alios instituere non potuisse, eos ad Sanctum Hieronymum remittimus, qui docet potestatem alios ordinandi communem esse Episcopis & Presbyteris, sicut etiam S. Ambrosius. Constat igitur quod quomodocũque loquamur, absque vocatione non fuerint: & cum illã habuerint, alijs similiter illam conferre potuerint, qui eam fideliter exercentes, rectè iustéque eam possident.*

S. Hieronymo apertissimè imponunt.

Quam falso & iniuria doctrinã hanc *S. Hieronymo* attribuunt, qui disertissimè contrarium docet (dicens: *Quid facit excepta ordinatione Episcopus, quod non facit Presbyter?*) superius ostensum est. Idem quoque de *S. Ambrosio* sentiendum est, præsertim cum neque verba eius, neque locum citant. Et sic tandem ex eis, quæ hactenus ad tenuissimas dispertitæ voca-

Epist. ad Euagriũ

tionis, partim ordinariȩ, partim extraordinariæ probationes dicta sunt, satis clarè cōstat, quod nullam omnino habeant; ac proinde fures ac latrones, qui nōper ostiū in ouile ouiū intrant, sed aliundè ascendunt, esse conuincuntur, & tales, de quibus Deus per Prophetam suum conqueritur, quod in nomine suo prophetârint, absque eo quod illis locutus fuisset.

Io.10.1.

Hier.23

Quanquam ad nouum hoc, atque prętensum ministerium penitus reiiciendū abundè sufficiat, quod omnes eius probationes adeo clarè refutauerimus, eisque satisfecerimus, (quod vnicum nobis, negantē partem in hac controuersia defendentibus, incumbebat:) tamen ad veritatem hanc plenius conuincendam, continuatam, ac non interruptam personalem pastorum à *Christo* Domino (totius legitimæ potestatis pastoralis vero fonte & origine) successionem, in scripturis sacris promissam atque stabilitam, nec non à veteri, ac incorrupta Ecclesia agnitam, traditamq; esse, paucis hic demonstrabimus. Vnde prætensas nouæ reformationis Ecclesias (*Gallicanas* præsertim, aliásque quæ cum illis conueniunt) nullam prorsus veram ad pastorale mu-

Tertia pars huius Capitis.

nus vocationem habere, luce clarius apparebit. Ingenuè quippe, (vt ſuperius iã vidimus) fatentur, primorum prædicatorum ſuorum, à quibus cæteri inſtituti fuerint, vocationem, nõ ordinariam, hoc eſt, per ſucceſſionem perſonalem ab Apoſtolis ſuſceptam, ſed extraordinariã fuiſſe. Ab omni enim ſucceſſiua ordinatione, cuius in Scripturis ſanctis nullam penitus fieri mentionem conſtanter aſſerunt) vtpote ad legitimam vocationem nullatenus pertinente omnino abhorrẽt. Succeſſionem ergo hanc, ex Scripturis ſacris contra eos modo demonſtremus, quod in hunc locũ ſuperius reiecimus.

Primo ſucceſſionis perſonalis continuationem perpetuam in Eccleſia apertiſſimè prædixerũt, & promiſerunt Prophetæ. Regius pſaltes: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filÿ, conſtitues eos principes ſuper omnem terram.* Et *Eſaias*: *Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui, dicit Dominus à modo & vſque in ſempiternum.* Quæ clarior, certior, & continuatior ſucceſſio eſſe poteſt, quam quæ hîc per ſanctos Prophetas à Patre, ad filium

Pſal. 44. 17.

Vide egregiam S. Auguſtini in hæc verba elucidationem.

Eſaiæ. 59. 21.

in sempiternum continuanda describitur? Et *Christus* ipse: *Euntes baptizate omnes gentes: Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Vbi ponderanda occurrunt illa verba (*omnibus diebus*) vtpote omnem interruptionem clarè præscindentia. Et Apostolus non minus clarè, *Ipse dedit alios Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem filij Dei.*

Matth. 28.20.

Ephes.4 12.

Præterea Scriptura in nouo Testamento hanc vocationis successionem à *Christo* tanquam à fonte deducens, eius primò missionem ab æterno patre suo exprimit. *Christus* (inquit *S. Paulus*) *non semetipsum clarificauit vt Pontifex fieret. Sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et iterum. *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipsum audite.* Et ipsemet *Christus. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra;* præter nonnulla alia similia sacri Eloquij testimonia, quæ expressè testantur Christum à patre fuisse missum. Secundo, sacra Scriptura missionem Apostolorum per ipsum *Christũ* exprimit. *Euntes docete omnes gentes &c. Sicut misit me Pater, sic ego mitto vos.* Tertio, ex-

Heb.5.5

Matth. 7.5. 2.Pet-1.

Matth. 28.

Matth. 28.

primit etiam missionem discipulorũ per Apostolos. *Admoneo te* (dicit Apostolus) *vt suscites gratiam Dei quæ est in te, per impositionem manuũ mearum.* Quarto denique missionem aliorum per ipsos Apostolorum discipulos faciendam exprimit. *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt, corrigas, & constituas per ciuitates Presbyteros, sicut ego disposui tibi.* Adeo vt ex Scriptura sacra habeamus non tantum missionẽ Apostolorũ, sed eorum etiam discipulorum, atque aliorum etiam ab ipsis discipulis missorum, vno nimirum ab alio misso, tanquam filio à patre, donec ad *Christum* ipsum, fontem & caput omnis missionis legitimæ veniamus. Et quod eadem successionis & vocationis linea, vsque ad præsentem diem in Ecclesia absque interruptione perdurauit, clarum est tam ex personali Pastorum in sede Apostolica successione, quæ adeo euidenter omnibus innotuit, vt *Fulcus* noster (acerrimus Ecclesiæ *Romanæ* impugnator) fateatur quòd illam patrum sibi inuicem succedentium lineam, *digitis numerare poßimus*, quam ex doctrinalibus antiquissimorum patrũ testimonijs, quorum aliqua hîc recensebo. Doctri-

Io. 20. 21.

2. ad Timoth. 1.

Ad Titum. 1. 5.

In resp. ad fictum Catholicum, pag. 27.

nalia hæc dico testimonia, quia non solum testantur fidem & praxim Ecclesiæ pro tempore quo ipsi vixerunt, sed regulam, ac principia omni plane tempori cōmunia statuunt.

Lib. 4. c. 43.

S. Ireneus discipulus Apostolorum discipulis: *Eis qui sunt in Ecclesia Presbyteris obedire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, qui cum Episcopatus successione, charisma veritatis certum, secundũ placitum patris acceperunt. Reliquos vero, qui absistunt à principali successione, & quocunque loco colliguntur suspectos habere, vel quasi hæreticos, & malæ sententiæ, vel quasi scindentes & elatos, & sibi placentes, aut rursus, vt hypocritas quæstus gratia, & vanæ gloriæ hoc operantes.*

De præscript. c. 32.

Tantum abest vt Protestantes Episcoporum successionem habeãt, vt neq; Episcopos admittant.

Tertullianus non multo recẽtior *Irenæo. Edant origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquẽ ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerit, habuerit authorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt, Sicut Smyrnæorum* Ecclesia *habens Polycarpum à Ioanne collocatum refert, sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum.*

S. *Cyprianus* in ſequenti poſt *Tertullianum* centuria: *Hi ſunt qui, ſe vltrò apud temerarios conuenas ſine diuina diſpoſitione præficiunt, qui ſe præpoſitos ſine vlla ordinationis lege conſtituunt, qui nemine* Epiſcopatum *dante, Epiſcopi ſibi nomen aſſumunt: quos deſignat Spiritus ſanctus in Pſalmis ſedentes in peſtilētiæ Cathedra peſtes & lues fidei.* Et alio in loco. *Qui* (Chriſtus) *dicit Apoſtolis, & per eos ad omnes præpoſitos, qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt: Qui vos audit me audit.*

De vnitate Eccleſiæ.

Epiſt. 69. ad Florentium.

Optatus Mileuitanus proximo poſt *Cyprianum* ſæculo, cum Epiſcopos *Romæ* à *S. Petro*, quem caput Apoſtolorum vocat, vſque ad *Syricium*, qui tunc in Cathedra *Petri* ſedebat, enumerâſſet, *Parmenianum Donatiſtarum* Primatem, ita alloquitur. *Veſtræ* Cathedræ *vos originem reddite, qui vobis vultis ſanctam* Eccleſiam *vindicare.*

Lib. 2. contra Parmenianum.

S. *Hieronymus* de *Hilario* quodam hæretico ita ſcribit: C*um homine pariter interijt & ſecta, quia poſt ſe nullum clericū Diaconus potuit ordinare.* E*ccleſia autem non eſt quæ non habet ſacerdotem.*

Dial. cōt. Luciſer.

Et *S. Auguſtinus Donatiſtas* ita vrget. *Numerate Sacerdotes vel ab ipſa Petri ſede, & in illo ordine patrum quis cui ſucceſſit videte. Ipſa eſt petra, quam non*

In Pſal. con. partē Donati.

vincunt superbæ inferorum portæ. Vide eundem in Psal. 70. & 101. vbi demonstrat continuam Ecclesię durationem ex istis verbis Domini: *Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.*

His antiquissimorum; sanctissimorũq; patrũ testimoniis, liceat Pseudo-episcopi *VVintoniensis* inter Theologos *Anglos* celeberrimi sententiã subiungere. *Nulla* (inquit) *eis competere potest Apostolica iurisdictio, quibus deest Apostolica successio. Hinc fit vt Pastores ab Apostolis, & in eisdem potestatem, & munus verbum Dei & Sacramenta administrandi accepisse dicantur.*

De perpetuo Ecclesiæ regimine c. 9.

Res bene ponderanda

Iam prudentis Lectoris, siue noster sit, siue aduersariorum iudicium appellare ausim, vtrum isti antiqui Patres, prętatam tradentes doctrinam, de extraordinaria seu immediata à DEO vocatione, qualem nimirum Reformistæ nostri sibi confingunt, vel somniando cogitare possent. Nisi enim vocationem à *Christo* institutam, & in Ecclesia sua relictã, semper duraturam, & ab vno ad alium per non interruptam successionem tradendam, tanquam certum & infallibile fundamentum præsupposuissent, argumenta sua contra illorum temporum hæreti-

cos

cos obiecta, infirma, & inualida omnino esse, ignorare non potuissent, eorum aduersarij ad extraordinariam, & immediatè à Deo receptam vocationem, quæ inualida omninò redderet omnia istorum patrum argumenta, facilem habentes recursum. Sed hoc hæreticorum effugium, adeo euidenter est absurdum & inauditum, vt vsque ad nostrum sæculum, quod homines omni tum fidei, tum rationis lumine priuatos produxit, Diabolus neminẽ adeo insensatum & vecordem, qui illud in sua defensione prætendere voluerit, inuenire potuisse videatur.

Mornæus post plurima alia subterfugia, & tergiuersationes, quibus nouum suorum ministerium vtcunque defendere desudauit, perspiciens (vt videtur) omnia quæ dixerat ad eius confirmationem non sufficere, eò tandem venit, vt insinuet quæstionem de vocatione Pastorum superfluam esse, & ad verã Ecclesiam demonstrandam parum aut nihil conducere. Quod & ministri, quibuscum hactenus disputauimus, eum sequuti expressius docent, dicentes. *Quandoquidem controuersum hodie sit,*

quæ sit vera Ecclesia, vt in eam quisque se recipiat, ineptum est prorsus, à quæstione de vocatione disputationem ordiri. Et *Mornæus* hoc ex collatione *Carthaginensi* ostendere volens, ita scribit:

Quærebatur inter Catholicos & Donatistas, vbinā esset vera Ecclesia, & vt hæc quæstio discuteretur, disputatio Carthagine instituitur, Honorij Imperatoris authoritate, eiq; interfuit eiusdem Imperatoris nomine Marcellinus Tribunus. Augustinus, qui Catholicorum nomine loquebatur, examinandum esse censebat Scripturis: Petilianus verò, qui causam Donatistarum agebat, Episcoporum vocatione. Existimabat quippe, se eò redacturum Augustinum, vt se ordinatum fuisse à Cæciliano Episcopo Africano agnosceret. Imponebant autem illi quod libros sacros concremasset: eumque ideo priuandum Episcopatu censebant, & quotquot etiam ad eandem functionem ordinasset. Tu quis es? (*ait ille ad Augustinum*) Filius es *Cæciliani* annon? vnde tuum caput? si non habes: Ergo hæreticus, &c. *Quid ad hæc Augustinus? is qui omnia, vt par est, scrutatur sic respondet.* Hoc quid aliud est quam cauillari? quam, quoquo id modo fieri possit elabi? Hæc quæstio quid ad rem, & ad causam veri-

Pa. 492

Talis nō erat status controuersiæ, vt infra patebit.

Vtrumque falsum est, vt ex collatione ipsa statim constabit.

tatis? &c. Quid (*ait*) ad causam veritatis pertinet vniuscuiusque Episcopi ordinator, non satis agnoscimus. Ego in Ecclesia sum in quo *Cæcilianus* fuit. Dominus *Christus* asserit originem communionis meæ dicens: *Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die; & prædicari in nomine eius pænitentiam, & remissionem peccatorum, per omnes gentes; incipientibus ab Hierusalem*, &c. *Cæcilianus*, non est pater meus, si bonus est, frater meus est bonus, &c. Audio enim Dominum dicentem (Vnus est pater vester Deus &c.) nam & vbi se patrem dixit Apostolus, addidit: (per Euangelium ego vos genui) ne ipsius paternitatis velut basim, humanam infirmitatem putaremus. Semen ergo, & vena seminis mei de Euangelio ducitur. Habeo caput, sed *Christus* est &c. Ego cuius ordinatorem requiritis, homo sum, *Christianus*, fidelis, quod Deo teste loquor, *Catholicus*. Vnde adhuc ambigimus quis dignus hoc nomine vocitetur. Ego illam Ecclesiam defendo, hanc assero qualicunque voce; in qua quicquid fuero, illa Ecclesia est. Video quo

tendas, humanas calumnias confectatis. *Megalius* me ordinauit &c, prosequere, profer quæ præparas. *Marcellinus* concludit. Hæc quæ de personis sunt, cognitionem rei differre non debent. Hactenus ex collatione vt ipse refert, quibus addit.

Respondeamus igitur aduersarijs nostris, ex Augustino totidem verbis. Quæritis quænam esset eorum, qui primi vocationem susceperunt, vocatio, à quibus etiam dependet nostra: vestra illa erat, multis quidem modis vitiata: sed quæ à nobis restaurata, ad pristinas suas regulas reuocata, ad pristinum vsum redacta est. Hæc satis superque de vocatione dicta sunto. His enim positis, vtrique nostrum abunde debet esse satisfactum; veniamus ad examen quod Scripturis fiat.

Ista sunt Mornæi *non* Augustini.

Ista *Mornæi* conclusio satis indicat, quam lubenter ab hac quæstione de vocatione, se expedire cupiat. Sed tamen *Gallicana* editio id multo clarius ostendit. Sic enim se habet. *Non est amplius quæstio de vocatione, in ea pares sumus: veniamus ad doctrinam, & ad illius per scripturas examen.* Non ignorat enim homo magis cautus, quam candidus, quod

difficultatem iſtius queſtionis de vocatione miniſtrorum ſuorum nunquam enodare queat, & idcirco callidè eam tanquam impertinentem declinare cupit. Quam falſum verò ſit, quod ipſe atque etiam miniſtri diſcipuli eius dicunt, hanc quæſtionem ad indagationem veræ Eccleſiæ non pertinere, quis non videt? Poteſt-ne enim vera eſſe Eccleſia, abſque veris paſtoribus? Et veri paſtores poſſunt-ne vſpiam reperiri, abſque vera & legitima vocatione? Nullus certe hoc dicere audebit. Fateantur itaque, velint nolint, veram Eccleſiam dignoſci nunquam poſſe, abſque huius quæſtionis ſufficienti diſcuſſione, & certa deciſione. Sed videamus iam quid ad *Mornæi* inſtitutum facit collatio *Carthaginenſis*, cuius tam prolixam mentionem hîc inſeruit.

Verum quidem eſt collationem hanc celebratam fuiſſe ex mandato *Honorij* Imperatoris, ſed ad inſtantiam & petitionem *Catholicorum* Epiſcoporum, vt conſtat ex literis Imperatoris. *Studio pacis* (inquit) *& gratiæ venerabilium virorum Epiſcoporum legationem, libenter admiſimus, quæ congregari Donatiſtas Epiſcopos ad cœtum*

Collat. 1. *art.* 4.

celeberrimæ desiderat ciuitatis, vt electis etiam Sacerdotibus, quos pars vtraque delegerit, habitis disputationibus, superstitionem ratio manifesta confutet.

Causa vero, quæ Episcopos *Catholicos* ad supplicandum Imperatori impulit, hæc erat; *Donatistæ*, non obstante, quod tam Ecclesiastico, quam imperiali iudicio condemnati fuerant, obstinati in suo errore persistebant. Vt ergo sententiam, quæ cõtra eos denuo ferenda erat, executioni mandare cogerentur, potestatis sæcularis opem & auxilium quæsierunt *Catholici.*

Vide ibidem Epist. Catholicorũ ad initium, art. 54.

Hoc notare volui, ne quis rerum Ecclesiasticarum minus peritus existimaret, vel *Catholicum* Imperatorem iudicia Ecclesiastica, sibi vsurpâsse, vel *Catholicos* Episcopos aliud ab eo petiisse, quam vt iudicium Ecclesiæ, effectum & executionem per illius authoritatem sortiri posset. Optarem quidem, vt integram collationem euolueres (Lector) in qua præter nonnulla ad fidei *Catholicæ* contra nostros hæreticos confirmationem spectantia, obstinatam omnium hæreticorum peruicaciam, tãquam in speculo expressam inuenies. Edita est cũ *Optato Mile-*

-uitano ex Bibliopolio C*ommeliniano* anno 1599. Sed ad obiectionem ipſam veniamus, in qua proponēda *Mornæus* antiquū ſuum falſificandi morem obſeruat.

Verus totius cōtrouerſiæ in collatione illa diſcutienda ſtatus, in duobus poſitus erat. Primum, vtrum propter C*æciliani* Epiſcopi, & Collegarum, aut ſociorum eius crimina (poſito quod alicuius criminis vere eſſent rei) Eccleſia illa, quæ cum illis communicabat, & cuius illi membra eſſent, ita deſineret eſſe vera & C*atholica* Eccleſia, vt facta iam eſſet falſa ac corrupta prauorum hominū Synagoga & Congregatio, adeo vt iure merito à *Donatiſtis* euitanda, & baptiſmus ipſe in ea collatus inualidus eſſet ac nullus. Secundum, vtrum *Cæcilianus*, & eius ſocij delicti alicuius quod condemnatione, & cenſura grauiore dignum erat, reuera eſſent rei. Iſtum fuiſſe verū controuerſiæ ſtatum, ex *Catholicorum* Epiſcoporum mandato vel ſcripto, quod in primæ diei collatione expreſſum habetur, clarè conſtat. Conſulat illud Lector, ſi lubet, nimis enim prolixum eſt, vt hic inſeratur. *Catholici* negantem vtriuſque quæſtionis partem,

Art. 54

quam tuebantur, euidenter euincebant, vti ex tota collatione, & iudicis etiam sententia in fine prolata apertissime colligitur.

Donatistæ itaque videntes, quod causam suam contra manifestam veritatem strenuè à *Catholicis* Episcopis defensam, & declaratam sustinere nequibant, omnes possibiles tergiuersandi rationes quærebant, cauillationibus tempus eludere volentes, vt (si possibile esset) sententiã, quam contra se ferendam perspiciebant, quoquo modo euitare possent.

Collat. 3. art. 226.

Tertio itaque collationis die, cum *S. Augustin.* dixisset: *Cæciliani causam, vel collegarum eius solent ipsi Ecclesiæ Catholicæ obÿcere, vel (vt sine controuersia loquar) ipsi Ecclesiæ quam tenemus. Proinde vt video magnum volunt adferre compendium. Si hanc causam non obiiciunt Ecclesiæ quam tenemus, quid ei obyciant? Si enim nihil, quare separamur? Si aliquid præter causam Cæciliani, idipsum offerant, id ostendant.*

Art. 227.

His *Petilianus. Tu quis es? filius Cæciliani, annon? tenet te crimen Cæciliani, annon?*

Aduerte Lector, quam extra rem, quæ erat in cõtrouersia hæ quæstiones mouẽ-

tur, & facile perspicies, quã rectè iusteq; ab Episcopis *Catholicis* tanquam superfluæ & impertinentes reijciebantur.

S. Augustinus respondit. *Ego in Ecclesia sum, in qua Cæcilianus fuit.*

Cui *Petilianus. Vnde cœpisti? quem habes patrem? alioquin si patrem tuum damnaueris, hæreticum te esse profiteris, qui nec originem habere vis, nec patrem.*

Augustinus. *In Ecclesia sumus in qua Cæcilianus Episcopatum gessit, & diem obijt. Eius nomen ad altare recitamus, eius memoriæ communicamus, tanquam memoriæ fratris, nõ tanquam patris aut matris. Quæris autem à me vnde communio mea sumat exordium. Dominus ipse Christus asserit exordium meæ communionis, dicens. Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pænitentiã & remissionẽ peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem. Inde cœpit ista prædicatio, inde se ab illustrissimo exordio diffudit, diffundens Ecclesiam quam tenemus primo, per vicinia, deinde per longinqua, etiam in Africam venit. In hanc oculos aperuimus, hanc in diuinis eloquijs, sicut ipsum Dominum Christum & redemptorem nostrum comperimus: ab illo Deo patre, ab hac ecclesia matre, nullius me hominis crimina,*

Art. 228. Art. 229. Art. 230.

Altaria & oratio pro defunctis in tempore S. Augustin.

Aduerte hîc Ecclesiæ vniuersalitatẽ.

Nullius crimen nos debet separare ab Ecclesiæ vnitate.

Sicut Deus pater noster, ita & Ecclesia mater nostra est.

nullius calumniæ separabunt.

Art. 231. Petilianus. *Cæcilianus tibi pater aut mater est, vt dixisti.*

Art. 232. Augustinus. *Iam audisti quia frater erat.*

Art. 233. Petilianus. *Frater non est qui generat filios.*

Art. 234. Augustinus. *Cæcilianus non est pater meus. Si bonus est, frater meus bonus est; si malus est, frater est malus. Tamen propter sacramenta, frater est, siue bonus siue malus.* Et subnectens, dicit:

Art. 235. *Si autem iudicium de illo meum vis audire, etiam innocentem credo, appetitum falsis criminationibus existimo, sed tanquam homo de homine existimans, non tanquam certum aliquid credens. Tu si obijcis Ecclesiæ crimina Cæciliani, adsto, defendo tanquam fratris, ostendens non pertinere ad Ecclesiam, nec ad eius causam, nec ei præiudicare, & sic demonstro, nihil te obijcere Ecclesiæ Catholicæ, etiamsi vera fortasse, quòd nullo modo poteris demonstrare, sint crimina Cæciliani. Si autem nec ipsa vera potueris demonstrare, etiam te iudice, vides vbi remanseris, & quid, reiecta tandem animositate erroris, eligere debeas, vt nobiscum teneas veritatem; nobiscum amplectaris damnato errore charitatem.*

Iste status controuersiæ.

Ex his clarè vides, Lector, & statum

controuersiæ agitatæ, & impertinentiam quæstionis motæ de ordinatore *Augustini*. Tametsi enim à Cœciliano ordinatus fuisset, tamen priusquã aliquid inde inferre *Donatistæ* potuerant, duæ illæ quæstiones, in quibus summa controuersiæ posita erat, definiendæ erant, ac determinandæ: ac proindè illis nondum decisis & determinatis, importunè omnino & impertinenter excitata est illa de ordinatore *Augustini* quæstio, & rectè ab ipso *Augustino*, & cœteris eius Collegis, vt talis reiecta.

Petilianus. *Tandem aliquando expressiùs dicat vtrum patris loco habeant Cæcilianum, ex quo deducta est ista progenies. Non enim potest aliqua res sine generatione nasci, aut sine capite incipere, aut sine radice sua crescere. Si igitur originem non habet, ipse est magis hæreticus, qui non habet patrem, qui habitum patrem iudicio suo damnauit. Astipuletur igitur, vt si criminosum patrem eius constituerit, eum crimina teneant, si autem innocentem, necesse habeat esse filius innocentis.*

Art. 236.

Augustinus. *Habeo caput, sed Christus est.*

Art. 2:7. Art. 238.

Petilianus. *Quis te ordinauit vt Episcopus esses?* Hic strepitu facto per hæreticos *Marcellinus Tribunus* iussit, vt responderet ad quæsita.

Augustinus itaque. *Habeo caput, sed Christus est, cuius Apostolum audio dicentem: Omnia vestra, vos autem Christi, Christus vero Dei.* Et deinde satis prolixe ostendit, quomodo vnum tantum patrem ad salutem, plures vero ob alios respectus habeamus, & ita concludit. *Patres igitur quoscunque agnosco in terra, honorificentiæ causa agnosco. Patrem salutis meæ non teneo nisi Deum, de quo mihi Dominus dixit, Ne vobis patrem dicatis in terra, & cui quotidie dicimus, Pater noster qui es in cælis.*

Art. 242.

Petilianus. *Quis dicitur qui eum ordinauit? dicat, quis eum ordinauit.*

Art. 243. Art. 244.

Fortunatus vnus ex *Augustini* collegis. *Quid ad causam pertineat veritatis* (scilicet quæ modo agitatur) *vniuscuiusque Episcopi ordinator, non satis agnoscimus, testimonijs diuinis pater Deus est edoctus.*

Petilianus. *Qui vocatur qui eum ordinauit, edicat.*

Art.

Alipius, Augustini collega alius. *Ordinauit quem? multi astamus, multi assertionem*

causæ secundum tenorem mandati suscepimus, cuius ordinatorem quærit, aut quare quærit, exponat pars aduersa vt videamus, vtrum dignum sit ad hæc respondere?

Adeodatus Donatista. *Augustinus hæc dixit. Dicat quis eum ordinauit.*

Possidius alius ex *Augustini* Collegis. *Non modo Augustini causam qualemcunque ipse habet, defendendam suscepimus.*

Art. 246.

Art. 247.

Adeodatus Donatista. *Hoc est inditium causæ desperatæ, vt cum nos flagitemus alia, alia respondeantur: & quoniam obiectis respondere non possunt, quærant alia, quibus nebulas innectant. Dicat igitur Augustinus, quis eum ordinauerit.*

Vide hîc (Lector) consuetam omnium hęreticorum impudentem peruicaciam, qui omnem occasionem controuersiarum præ manibus positarum discussionẽ diuęrtendi ac declinandi arripere solent. His tamen Augustinus. *Superflua quæri video à fratribus nostris à diuerso sistentibus, & ad ipsa superflua non denego responsionem, dum tamen Ecclesiæ causa, cui responderi nihil potest, in fundamento tutissimo collocetur. Ego cuius ordinatorem requiris, homo sum Christianus, fidelis, quod Deo teste loquor, Catholicus.*

Art. 248.

Vnde adhuc ambigimus quis dignus hoc nomine vocitetur. Ego illam Ecclesiam defendo; hanc assero qualicunque voce, in qua quicquid fuero, illa Ecclesia est. Video quo tendas, humanas calumnias consectaris, & quæ soletis iactare & dicere non est alienum ab auribus & cordibus nostris. Megalius me ordinauit (Primas Ecclesiæ Numidiæ Catholicæ) illo tempore quo ille me potuit ordinare. Ecce respondi. Prosequere, profer quæ præparas, ibi etiam calumniosus appareas. Ecce dixi ordinatorem meum. Profer iam calumnias.

Hucusque producta fuit contestatio de ordinatore *S. Augustini*, quam ad verbum describere volui, vt obiectioni, quã ex ea format *Mornæus* clariùs satisfiat: quæ quidem non minus impertinenter contra *Catholicos* in reformatorum vocationem inquirentes: objicitur, quam à *Donatistis* olim proponebatur. Illi peccârunt, quod in ordinatorem *Augustini* inquirebant, controuersia existente de *Cæciliano*, non quidem de illius ordinatore aut ordinatione, sed de alijs criminibus illi obiectis. Qui tametsi *Augustinum* ordinâsset (vt verisimile est ordinâsse alios) quid inde inferre potuissent *Donatistæ* contra *Catholicos*?

Nihil penitus, nisi ostendissent primo *Cæcilianum* à sua ordinatione & reliqua Ecclesia, cum qua illius ordinator communicabat apostatâsse, & præterea *Augustinum* & cœteros Episcopos *Catholicos* eius Collegas, cum *Cæciliano* in illa separatione communicâsse: sed tantum aberat, vt ista illi probarent, vt ipsimet de separatione, & diuortio conuincerentur. Deinde non dubitabant *Donatistæ Augustinum* verè ordinatum fuisse; sed conficta crimina *Cæciliani*, quam existimabant ordinatorem illius fuisse, illi stultè imputare voluerunt, quæ tametsi vera fuissent (erant autem solummodo calumniæ) ad *Augustinum* nullo modo pertinere potuerunt, nisi in illa consensisset. Iam vero res longe aliter se habet in nostra quæstione de reformatorum vocatione. Nam illi neque sunt omnino ordinati, sed sacræ ordinis munera absque omni ordinatione sacrilegè vsurpant, neque in communione viuunt cum illis, qui primos suos magistros vtcunque ordinârunt: ac proinde manifestę intrusioni, vsurpationis, & rebelliomis conuincuntur.

Probet itaq; nobis primo *Mornæus*, vel quiuis alius primos ministros suos & nominatim Caluinũ, vere ordinatos esse, deinde in cõmunione cum illis, qui eos ordinârunt, permansisse (quorũ vtrumque constabat *Donatistis*, tam de *Cæciliano*, quam de *Augustino*) & amplius illis de hac re molesti nõ erimus. Sed donec vel ista nobis demonstrando, legitimos pastores se comprobent (quod præstabunt nunquam) vel veritatis euidentia victi, ad vnitatem & charitatem Ecclesiæ *Catholicæ* se recipiant, quod si velint facile præstare possunt, sacrarum Scripturarum (quæ à falsis Prophetis nobis cauere diligenter admonent sanctorumque patrũ, & nominatim *S. Augustini* contra ipsos *Donatistas* (vt supra vidimus) qui hoc eodem argumenti genere suorum temporum hæreticos debellarunt, authoritate instructi, ab hac in vocationem suam inquisitione, quæ hæresis & rebellionis in Deum & Ecclesiam suam manifeste cõuincuntur, desistere nullo modo possumus neque debemus. Hactenus de omni vocationis specie quæ absque impositione manuum Episcopalium possibilis est, & qua omnes Ecclesiæ falso dictæ reformatæ

Aug. in psal. contra partem Donati

matæ extra *Angliam* neceſſario nituntur, dictum eſto.

Capvt Nonvm.

Vtrum omnis ordinatio, vel conſecratio facta per eos, qui ſe dicunt Epiſcopos, ſit vera ac valida ad munus paſtorale vocatio?

REfutatis ſuperioribus capitibus, ſingulis vocationum generibus, quæ vel à nonnullis *Proteſtantibus* tanquam legitimę afferuntur, vel quoquo modo poſſibiles animo concipi queant, reſtat vt quæſtionem propoſitam, quæ ſolam Eccleſiam nouam *Anglicanam* concernit, diſcutiamus. Vbi imprimis obſeruandum occurrit quod ordinationes ab Epiſcopis Eccleſiæ *Romanæ* factæ, validæ & ſufficientes ab aduerſarijs illis, quibuſcum hic congreſſuri ſumus, æſtimantur. Idque neceſſario. Nam vocationem ordinariã, quam (vt ſtatim videbimus) habere prætendunt aliundè quam ab Epiſcopis

Catholicis recipere, impossibile esse nõrunt. Quæstio idcirco præsens non de ordinationibus *Romanæ* Ecclesiæ, quæ sufficientes saltem ab aduersarijs agnoscuntur, sed de ijs tantummodo ordinationibus, quæ ab illis, qui hodie in *Anglia* vocantur Episcopi fiunt, instituitur. *Protestantes* enim *Angli*, vt habent maiorem vocationis ordinariæ speciem seu vmbram, quam reliquæ nouæ reformationis congregationes, ita multo magis de ea gloriantur, & se iactitant. Audi *Masonum* nostrum (qui quinque libros de consecratione Episcoporum *Angliæ*, anno 1613. edidit) ita laudantem & admirantem suauem atque singularem Dei erga Ecclesiam nouellam *Angliæ* prouidentiam: *quod tametsi aliæ Ecclesiæ reformatæ, necessitate coactæ, extraordinarios patres admiserint; hoc est ordinationem à Presbyteris, inferioribus tantum ministris acceperint, potius quam Iesu Christi fabricam* (Ecclesiam) *labi permitterent; Ecclesia tamen Anglicana semper Episcopos habuit, qui iuxta ordinarium, & maximè securum Ecclesiæ Christianæ morem sacros conferrent ordines*. Cum istis itaque in posterum nobis congrediendum erit, qui si

In Epist. dedicat.

Ecclesiæ in plurali, vt omnes sciũt non sunt vnica illa vera Dei Ecclesia.

absque omni legitima vocatione inueniantur; de eodem defectu in alijs cuiusque prætensæ reformationis Ecclesijs nullatenus dubitari potest.

Præfatus *Masonus*, qui plus laboris & industriæ in propugnanda Episcoporum suorum vocatione & ordinatione locauit, quam cæteri omnes, quos adhuc videre potui, hoc vnicum totius disputationis suæ ponit fundamentum; Episcopi, qui hodie in *Anglia* viuunt, ab alijs Episcopis prædecessoribus suis ordinati fuerunt, & illi ab alijs, donec ad *Thomam Cranmerum* Archiepiscopum olim *Cantuariensem* deueniamus, qui ab Episcopis Ecclesiæ *Romanæ*, & ritu etiam *Romano* ordinatus fuerat. Sunt ergo Episcopi modo viuentes in *Anglia* veri Episcopi, & consequenter veram & validam alios tam Episcopos, quam inferiores ministros ordinandi habent potestatem.

Istum discursum habet pa. 10. & est vnicũ fundamentum totius eius disputationis.

Si ista, quæ tam facile dicuntur satis firmiter probentur, plurimum debebũt *Masono* omnes tam Episcopi, quam Ministri *Angli*, qui se à tam difficili ac fastidiosa, & hactenus insuperabili de vocatione sua quæstione liberatos magnoperè absque dubio exultabunt. Tantæ enim

Grande Masoni inceptũ.

difficultatis fuit semper ista quæstio, etiã apud ipsos Episcopos, vt sibijpsis, nedum aduersarijs de illa plenè satisfacere non potuerint. Nã à paucis annis quidam non minimi nominis inter Episcopos, in colloquio priuato cum quibusdam sui ordinis, & alijs probatis suis amicis ingenuè (vt ex relatione cuiusdam testis auriti, viri fide dignissimi accepi) hanc confessionem emisit: *Clarum est, ministros Ecclesiæ Gallicanæ vocationem suam nullo modo probare posse, & nos magna cum difficultate nostram probare possumus.* Quapropter si *Masonus* id quod in se susceperit recte præstiterit, immortalibus Encomijs ab eis iure merito celebrandus erit.

Ingenua confessio aduersarij.

Et quia ordinatio vel sacri ordinis collatio, quâ vera ac legitima vocatio confertur, triplici ex capite inualida esse possit, nimirum vel ex parte ordinatoris, vel ex parte ordinati, vel denique ex parte ordinationis, *Masono* incumbit ostendere ordinationes Episcoporum in *Anglia* à *Crannero* in nullo horum deficere. Nam si in vno tantummodo horum defectuosæ inueniantur, inualidæ omnino erunt: multo vero magis, si in omni-

Ordinatio tripliciter defectuosa esse potest.

bus istis deficiant, vti eas reuera deficere satis clarè (ni mea me fallit opinio) in sequentibus ostendemus. Priusquam vero harum quæstionum discussionem cum *Masono* ingrediamur, vnum vel alterum, quæ obseruanda hîc occurrunt ponderabimus, supponendo interim dictas ordinationes in omnibus præfatis capitibus integras validasque esse.

Quædam multa obseruatione digna.

Obseruandum itaque primo, quod si ordinationes modernorum *Angliæ* Episcoporum canonicæ sint, quia successiuè ab Archiepiscopo *Cranmero* suscipiantur, ac deriuentur, necessariò consequetur, nullā aliā prætensæ reformationis Ecclesiam, neque *Gallicanam*, *Augustanā*, *Geneuēsem*, *Scoticam*, neque quamuis aliam, quæ simili successione caret, legitimam habere ministrorum suorum vocationem. Sed dictæ ordinationes sunt canonicæ, quia per successionem deriuantur à *Cranmero*. Ergo, &c. Minor propositio supponitur ex *Masono*. Maior vel sequela maioris probatur, quia aliæ Ecclesiæ legitimos pastores habere non possunt, nisi vel eandem vocationem cum Episcopis, & Ministris *Angliæ* habeant, vel plura legitimæ vocationis genera in Eccle-

ſia reperiantur. Sed neutrum horum dici poteſt. Non quidem poſterius (vt de illo primò dicamus) quia nullibi legitur in ſacra Scriptura, vel *Chriſtum* Dominum inſtituiſſe, vel Apoſtolos exercuiſſe diuerſa ordinationum genera. Et cum iſta res ſit præcipui momenti, vtpote quaſi initium, & primum fundamentum Eccleſiæ, quæ eſt domus Dei, nihil in ea affirmari debet abſque certa verbi diuini authoritate, præſertim in Reformiſtarum doctrina, qui omnia ita ad præciſam Scripturarum normam reducere contendunt, vt nihil omnino credi velint, quod in eis expreſſum non habeatur. Nihilominus magis liberaliter cum illis agemus, quam vt eos ad ſuas ipſorum regulas, & præſcripta aſtringamus, contenti vna ſola inſtantia, non quidem intra primos poſt *Chriſtum* quingentos annos (vt ipſi à nobis in alijs quæſtionibus aliquando exigunt,) ſed intra totos mille & quingentos annos, vna tantum dico probata inſtantia, alterius generis vel rationis ordinandi Eccleſiæ paſtores, quam per manuum Epiſcopalium impoſitionem, quam

Liberaliter cũ aduerſarÿs agitur.

tamen ſcio illos nunquam producere poſſe. Falſum idcirco & abſurdum eſt, plura & diuerſa vocationis ordinariæ genera, (de qua ſola hic quæſtio eſt refutata abundè ſuperius extraordinaria) in Eccleſia reperiri. Cui enim bono multiplicanda eſſent diuerſa huiuſmodi ordinationis genera, abſque vlla neceſſitate?

Non ſunt in Eccleſia plura vocationis ordinariæ genera.

Neque minus falſum eſt, præfatas illas nouæ reformationis Eccleſias, eandem ordinationem & vocationem cum Epiſcopis & miniſtris *Angliæ* habere, poſito quod iſti ordinationem à *Cranmero* ſucceſſiuè receperint, vt *Maſonus* prætendit (quod alterum erat probationis noſtræ membrum:) nam illæ Eccleſiæ, quæ proximè accedunt ad formam ſeu modum ordinationis Eccleſiæ *Anglicanæ*, ordinationes habent à presbyteris tantum, qui non modo non eandem cum Epiſcopis conferunt ordinationem, ſed etiam nullam omninò conferunt, vt conſtat ex doctrina Eccleſiæ antiquæ, quæ mille & ducentis abhinc annis *Aerium* hæreticum presbyteros Epiſcopis etiam in poteſtate ordinandi æqui-

Eccleſia Anglicana aliã vocationem habet quã reliquæ reformatę cõgregationes.

parantem condemnauit, vt superius ostendimus. Neque quicquam iuuat reformistas; quod quidam scholastici, Presbyteros & Episcopos eundem habere characterem doceant: Nam illi ijdem scholastici, qui hanc sequuntur sententiam, docent characterem Episcopalem extendi ad certas actiones, & speciatim ad sacrorum ordinum collationes, ad quas character sacerdotalis pertingere nequit: hancque characteris extensionem non fieri per Ecclesiæ authoritatem, aut moralem aliquam designationem aut delegationem, sed per realem & sacramentalem ex *Christi* institutione consecrationem. Adeo vt isti scholastici, si totam & integram eorum doctrinam de hac quæstione recipiamus (vt necesse est recipiamus, si aliquid ex eorum authoritate concludere velimus) resuscitatam hanc per reformistas nostros ab inferis *Aerianam* hæresim euidenter impugnent, & destruant. Sed de his latiùs superiùs capite septimo dictum est.

Præcluditur effugium.

Deinde *Caluinus*, qui Ecclesias Gallicanas & *Geneuensem* infœliciter deformauit,

& à quo cœteri omnes illarum congregationum ministri & pseudo-pastores missi & instituti sunt, & fuerunt, nec presbyter quidem erat, vt supra notauimus: Ac proinde tantum abest vt istarum Ecclesiarum ministri eandem cum *Anglis* ordinationem, quæ ab Episcopis recipi prætenditur, se habere existiment, vt omnem talem ordinationem, signum & characterem bestiæ indigitare soleant, & eos, qui tali ordinatione in Ecclesia *Catholica* aliquando insigniti fuerint, & ad sectam suam miseri defecerint, ordines suos abiurare, & denuo iuxta ritum & morem illorum ordinari compellant, priusquam munere pastorali apud illos fungi possint. Et non solum *Caluinistæ* in *Gallia*, sed etiam *Puritani* in *Anglia* Episcopalem gradum, & ordinem, & à fortiori, ordinationes ab illo desumptas abominari, & summo despectui habere noscuntur. Quid de ordinationibus, quæ à *Catholicis* Episcopis conferuntur, & à quibus, *Masonus* patres suos deriuare contendit, senserunt, & scripserunt *VVhitakerus* & *Fulkus*, Theologorum *Anglorum Protestantium* primipili, supra retulimus, & inferius

Pa. 145.

iterum fortaſſe repetemus.

Qualem vero de Eccleſiæ Catholicæ ordinatione opinionem finxerunt ſibi principes nouæ Reformationis Magiſtri, Lutherus ſcilicet, Caluinus, Beza, & VVitakerus; ex eorum ſcriptis hic paucis exponendum duxi: vt nimirum inde intelligat Maſonus, & quotquot eius Apologiam pro Epiſcopis Anglis tãquam legitimam recipiunt, quàm toto cœlo à præceptoribus & Patribus ſuis in hâc ſuâ doctrinâ diſcrepet atque diſſentiat.

Tom. 2. de Miſſa priuata fol. 249.

Epiſt. 190.

De vera Eccleſiæ reformatione pag. 322.

Cathechiſmo tit. de Eccleſ. c. 5. ſect. 28.

Epiſt. 5. pag. 39.

Epiſt. 81.

Papiſtæ, (inquit Lutherus) *ſuſtulerunt de Eccleſiâ verum verbi miniſterium. Quia Papæ tyrannide* (ait Caluinus) *abrupta fuit vera ordinationis ſeries, nouo ſubſidio nunc opus eſt ad Eccleſiæ reſtaurationem.* Et alibi: *Non abs re contendimus ita ſæculis aliquot laceratam & diſſipatam fuiſſe Dei Eccleſiam, vt deſtituta fuit veris Paſtoribus.* Et Beza: *Noſtro tẽpore accidit rebus ita collapſis, vt ordinariæ vocationi nullus eſſet locus relictus*. Et alio loco: *Noſtris tẽporib. expectari ordinaria vocatio, quæ nuſquam erat, neq; debuit neq; potuit.* Atque iterum: *Eò res deuenit, vt Eccleſiaſticus ordo manentibus tantum inanibus nominibus, ab ipſis fundamentis totus cõuel-*

leretur. Et alibi: *Ordinem legitimum prorſus abolitum in* Eccleſia *aliquot iam ſæculis per* E-*piſcopi Rom. tyrannidem fuiſſe liquet, nullâ ne tenuiſſimâ quidem vmbrâ præcipuarum* Eccle-*ſiaſticæ vocationis partium relictâ*. Et VVhitakerus: *Noſtrorum hominum vocationem extraordinariam dicimus: quia ordinaria vocatio penitus corrupta erat*. Et iterum: *Cum ordinaria ſucceſsio corrupta eſſet, viam inuenit Deus extraordinariam, quâ* Eccleſia *reſtitueretur. Voluit enim Deus non in veteri fundamento*, (obſeruet iſta Maſonus) *hoc eſt, in ſucceſsione* Epiſcoporum, *ſed nouo quodã extraordinario modo illam reſtitutionẽ fieri*. Hæc & innumera penè alia habent iſti, & alij etiã primarij Reformationis prætenſæ magiſtri de antiquâ Eccleſiæ ordinatione, & vocatione; non tam quod illam reuerà illicitam aut nullam exiſtimârint; (nullibi enim argumentis, quibuſcunque eam impugnant) ſed quia quùm illam ſibi ſuiſve Conuentibus vendicari nullo modo poſſe perſpiciant, eam tanquam illicitam vituperare ſtatuerunt. Quicquid verò ſit, ſaltem ex hâc manifeſtâ eorum inter ſe diſcrepantia duo neceſſaria ſequela ſequuntur.

De notis Eccleſ. pag. 86.

Controuerſ. 2. q. 5. Pag. 512.

Primo ſolam Eccleſiam *Anglicanam*

Duo corollaria ex dictis.

iuxta doctrinam *Masoni* veros habere pastores, & consequenter ibi veram esse Ecclesiam. Nam absque veris Pastoribus vera Ecclesia esse nequit, vt aduersarij libenter agnoscunt, & per se etiam cõstat. Quemadmodum enim neq; Respublica politica absque vero magistratu, neq; familia temporalis absque patrefamilias constare, ita neque Ecclesia, quæ Respublica & familia est spiritualis, absque veris pastoribus esse vel existere potest. Celebre est illud *S. Cypriani*, *Ecclesia in Episcopo est, & Episcopus in Ecclesia.* Et iterum. *Ecclesia est populus Pastori suo coniũctus.*

Epist. ad Florentium.

Cum itaque ex dictis clare constet, omnes alias nouæ reformationis Ecclesias præter *Anglicanam* veris Pastoribus carere (si doctrina *Masoni* de Episcoporum *Anglorum* ordinatione legitima sit) veras etiam Ecclesias non esse, ex eadem hypothesi necessario sequitur. Vnde vlterius adhuc cõcluditur, inter omnes Ecclesias reformatas solam *Anglicanam* iuxta præsuppositam *Masoni* doctrinam veram esse Ecclesiam. Vnde clarè videre potest *Masonus*, (si tamen oculos habeat vt videat,) quam male meretur de tota Ecclesia reformata, qui cum *Anglicanam*

ſuam ſartam tectam eſſe cupiat, reliquos omnes ſchiſmatis, factionis, & falſitatis euidenter condemnat: Immo quod peius eſt, ipſam ſuam Eccleſiam *Anglicanã*, quam ab omni næuo, & macula liberare ſtudet, hac eadem ſua doctrina penitus deſtruit.

Peſsime operam ſuam locauit Maſonus.

Si enim ipſa ſola inter omnes reformatas vera ſit Eccleſia (quod ex ipſius doctrina ſatis iam clarè deduximus) illã nullam eſſe Eccleſiam, ſed viliſſimam factionem luce clarius concluditur. Et hoc eſt ſecundum corollarium, quod ex dictis colligi iam diximus. Eccleſia enim *Anglicana* ſeparata à cœteris reformatis Eccleſijs (quæ hactenus ſorores in reformatione æſtimabantur) non poteſt eſſe Eccleſia *Christi*, quam *Maſonus* ipſe ex clariſſima illa Prophetia. (*Dabo tibi gentes in hæreditatem tuam, & poſſeßionem tuã terminos terræ*) Catholicam & vniuerſalem eſſe debere recte probat. Certe non ſolum abſurdum, ſed ſupra modum ridiculum eſt exiſtimare, ampliſſimam filij Dei hæreditatem & poſſeſſionem inter anguſtiſſimos *Anglicani* regni limites cõtineri, cui damnati antiquitus *Donatiſtæ*, multo ampliorem ac illuſtriorem latitu-

2. Corollariũ.

Pag. 45.

Pſal. 2.

dinem olim præbuerunt. Sed somnij huius leuitas, multo clarior reddetur, si exiguum numerum ipsorum *Anglorum*, qui Episcoporum suorum ordinationem legitimam existimant, consideremus. Separatis enim primo *Catholicis*, qui *Protestantium* ordinationes ridiculas *Catholicarum* consecrationum vmbras, & imagines existimant, demptis etiam *Puritanis*, *Brovvnistis*, *Anabaptistis*, cæterisq; qui tanquam Papisticæ superstitionis quisquilias eas despuunt, pusillus admodum remanebit filio Dei subditorum numerus, vnde & parum illustris futura sit illius possessio, cui tamen pater æternus terminos terræ in hæreditatem suam, vt *Masonus* ipse agnoscit in præfata Prophetia, atque etiam alibi clarè promisit.

Præoccupatur obiectio.

Dicet hîc fortasse quispiam diuersitatem seu multiplicitatem vocationis Pastorum, vnitatem Ecclesiæ non impedire vel destruere, proindeque Ecclesias reformatas vnam constituere posse, non obstante quod diuersa vocatione instituantur earum pastores. Respondeo diuersas vocationes subordinatas, nõ quidem constituere diuersas Ecclesias, vt constat in Diaconatu, Presbyterio, &

Ordine Episcopali, sed omnes rite concurrunt ad vnius Ecclesiæ constitutionem: sed diuersas ordinationes, non sibi inuicem subordinatas, quales esse ordinationes Ecclesiarum prætensæ reformationis ex supra dictis, & reipsa clarius est, quam vt probatione egeat, diuersas constituere Ecclesias manifestũ est, ex distinctione Ecclesiæ *Iudaicæ*, & *Christianæ*. Expirante enim, vel vt loquitur *Sanctus Paulus*, *translato Sacerdotio Aaronico*, quod Ecclesiam *Iudaicam* constituit; expirauit, seu *translata est etiam lex*, idque necessario, vt arguit idem Apostolus. Cum itaque omnes aliæ Ecclesiæ nouę reformationis adeo distinctum habeant Sacerdotium ab illo Ecclesiæ *Anglicanæ*, vt istud omnino despiciant, ac detestentur (vt supra ostẽdimus) quis dubitare potest, quin diuersas constituant Ecclesias, nisi forte diuersa Sacerdotia non subordinata *Christũ* in Ecclesia sua instituisse, dicere quis velit, quod plusquam absurdum esse nullus *Christianorum* inficias ibit.

Diuersæ ordinationes diuersas constituunt Ecclesias.

Secundo obseruandum est, eos, qui docent Papam illum esse specialem *Antichristum* in Scripturis sacris prædictum,

2. Obseruandum

& consequenter omnes Ecclesiæ *Romanæ* Episcopos, Vicarios, & Ministros *Antichristi* esse, credunt, *Cranmerum* ab illis ordinatum legitimum Episcopum non esse, necessario docere debere. Cum enim insignis ille *Antichristus* ex omnium consensu sit, vel futurus sit *Christi* inimicissimus; nemo cordatus nec quidem somniando cogitare potest, quod ipse potestatem adeo necessariam, adeoque directe ad gloriam *Christi* magnificandam, suamque propriam confusionem, & ignominiam augendam tendentem (qualis est vera ac legitima Pastorum ordinatio, & prædicatorum missio) administrare velit, vti tam *Mornæus*, quam Ministri *Galli* superius non male aduerterunt: tametsi vocationis extraordinariæ necessitatē inde fūdare ineptissime cogitârunt: multo vero minus imaginari quis potest, *Christum* Dominum (æterni patris sapientiam) potestatem, necessarios Ecclesiæ suæ tanto pretio sibi acquisitæ Pastores ordinandi, in manibus iurati sui inimici taliter relinquere voluisse, vt veri Euangelij sui prædicatores, & diuinorum

Hoc docuerunt morn. & ministri cap. superiori.

Validū omnino argumētum.

norum myſteriorum diſpenſatores, ad illam vel ad eius procuratores recurrere neceſſe haberent, vt Euangelium ſuũ prædicandi, & Sacramẽta illius populo *Chriſtiano*, quem pretioſiſſimo ſuo ſanguine redemit, adminiſtrandi, authoritatem legitimam recipere poſſent. Qualem itaque obſecro vocationem ab Eccleſiæ *Romanæ* Epiſcopis in iſtorum hominum fide & doctrina (qui tamen ſpiritu Dei ita ſe duci autumant, vt ad mũdum vniuerſum reformandum miſſos ſe glorientur) recipere potuit *Cranmerus?* Nullam certe legitimam verbi Dei, & Sacramentorum eius adminiſtrandi authoritatem, ſed potius beſtiæ characterem ad veram *Chriſti* Eccleſiam demoliendam poteſtatem accipere ab illis potuit.

Quod quidem adeo firmiter ſibi perſuaſerunt Eccleſiæ *Gallicanæ* aliæque nouæ reformationis cõgregationes, vt omnem *Romanæ* Eccleſiæ ordinationem, tãquam *Antichriſtianam* ſuperſtitionem nõ modo penitus reiiciant, ſed etiam dicteriis & execrationibus proſequantur. Hinc fit quod *Caluiniſtæ Galli* non à prædeceſſoribus Eccleſiæ *Catholicæ* Epiſ-

X

copis, sed à semetipsis vocationem suam deriuent, in fidei suæ confessione se extraordinariè vocatos profitentes; & conformiter ad hanc doctrinam Sacerdotes, qui ab Ecclesia *Catholica* deficientes ad suam sectam recurrunt, post ordinum antea in Ecclesia *Romana* receptorum, tanquam *Antichristi* characteris abiurationem, iuxta instituti sui normā reordinant. Hinc etiam *Sacramentarij Basileenses Oecolampadium* primum populi illius seductorem, primū suum Episcopum & Pastorem vocant. Hinc etiam *VVhitakerus* noster: *Nolo vos existimare nostræ fidei homines tanti facere ordinationes vestras, vt suam vocationem absque iis illicitam reputent, proinde vobismetipsis vestros habete ordines.* Et *Fulcus* etiam nostras clarius. *Toto erratis cælo si credatis nobis alia esse officia Episcoporum vestrorum, & Presbyterorum, quam merè laicorum.* Et iterum. *Ex toto corde abominamur, detestamur, & conspicimus Antichristianos vestros olidos & fœtidos ordines.* Longum esset *Lutheri, Caluini, Bezæ*, & aliorum nouarum Ecclesiarum magistrorum vituperia in sacros Ecclesię *Catholicæ* ordines coniecta recensere. Ex istis, quæ iam

Art. 31.

Cō. Duræum pag. 821.

In resp. ons. ad fictum Catholicū p. 50.

In retētina p. 67.

retulimus, iudicare facile poterit Lector prudens, quam nulla conuenientia sit inter prædictas Ecclesias, & *Anglicanam*, quæ tam longæ diuersæ institutionis Pastores habent, & consequenter, quam sola & solitaria existat *Anglicana*; tam à reliquis falso dictis reformatis, quam à *Catholica* reuera separata.

Aduersariorũ egregia tergiuersatio.

Et hîc obiter dubiam ac misere fluctuantem nouatorum istorum doctrinam, & voluntariam ipsorum cœcitatem notari velim. Cum enim ex vna parte huiusmodi interrogationibus premuntur, vnde venistis? quis vos misit? ne videantur non missi cucurrisse (furum ac falsorum Prophetarum infallibile argumentum) respondent se ab eadem stirpe descendisse, ab eodem fonte emanâsse, quo & *Catholicæ* Ecclesiæ pastores prouenerunt: quia nimirum primi sui magistri ab illis ordinati fuerunt Presbyteri. Ita quidem *Mornæus*, & Ministri *Galli*, vt supra vidimus. Immo etiam *VVhitakerus*, non obstante quod ordinationes *Catholicas* longissimæ à suæ fidei hominibus abiicere alibi videatur. *La-*

therus (inquit) *Vestro iam ritu Presbyter, atque Doctor erat, &c. Et talem fuisse Zuinglium, Bucerum, Oecolampadium, aliosque innumerabiles cōstat.* Interrogati ex altera parte, quomodo à Papa quem *Antichristum* esse credunt, vel ab Episcopis *Catholicis*, quos *Antichristi* procuratores esse docent, vocationem legitimam recipere queant, respondent se adeo nullam ab illis vocationem habere, vt omnes eorum ordinationes detestentur, & conspuant, se verò extraordinariè esse vocatos, & immediatè à Deo ad Dei Verbum, & Sacramenta administranda missos, ita vt nunc vocationem suam ab Episcopis *Catholicis* receptam agnoscant, nunc vero illam tanquam *Antichristianam* detestentur, & longissime à se reiiciant.

Cō. Durāū, l. 9

Iuxta hanc secundam responsionem, quæ à multo maiori Ecclesiarum reformatarum parte astruitur, tantum abest vt *Masoni*, (qui eorum causæ patrocinium suscepit) instituto prosit, quod eorum Episcopi successiuè descendant ab Episcopis *Catholicis*, vt plurimum illi obsit, nisi forte

fratrum suorum reformatorum amicitiæ, & societati valedicere velit.

Dicet fortasse *Masonus*, istos fratres suos nimium rigidos esse in isto articulo. Et ego accipio eius responsum, nolens Apologistam pro eis agere; scio tamen illos minime ei acquiescere; eos præsertim, qui inter fidei suę articulos ponunt, Papam esse *Antichristum*, quorum non est inter reformatores exiguus numerus. Piget mehercle insana verba *Povvelli* cuiusdam *Angli*, hac de re referre, qui in hunc sensum scribere non horruit. *Deum sanctè testor, me tam certò scire Pontificem Romanum esse Antichristum, quam Deum ipsum esse creatorem Cœli, & Iesum Christum esse verum Messiam.* His quid dicet *Masonus*? Certè si cum eis conueniat in hoc articulo, plusquam demens est, Episcopos suos, ab Episcopis *Romanæ* Ecclesiæ ordinatos, tanquam legitimos Pastores defendere: Si vero ab eis in hoc articulo dissentiat, pro fratribus illos habere nequit, cum non tantum in vocatione Pastorum suorum

Premitur vndique Masonus.

ſed etiam in articulis fidei inter ſe digladientur.

Sed tertio denique obſeruandum eſt, quod *Maſonus* credens Papam eſſe *Antichriſtum*, ſaltem in generali illo ac latiori ſenſu, quo omnes Hæretici *Antichriſti* ſunt, & conſequenter omnes Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos qui cum eo communicant, Hæreticos quoque eſſe in eodem ſenſu; *Cranmerum* ab eis ordinatum, legitimum eſſe Epiſcopum nulla probabili ratione defendere poteſt vi talis ordinationis. Dixi *Vi talis ordinationis*: quia poteſt quis malè ſeu illicitè ordinatus recipere aliundè, id quod ei deeſt (vt ſtatim dicetur) hic vero loquimur de ordinatione præciſè.

3. Obſeruandum.

Duo ad legitimā ordinationem conferēdam requiruntur in ordinãte.

Sciendum eſt igitur, ad legitimam ordinationem duo neceſſariò requiri in ipſo ordinante, ſiue in eo qui ordines confert, (taceo in præſenti ea, quæ ex parte ordinati, & ipſius ordinationis requiruntur) Primum poteſtas Sacramentalis ordinis Epiſcopalis, quæ iuxta veram, & *Catholicam* doctrinam,

est character ſpiritualis, indelebilis & incorruptibilis, animæ illius impreſſus dum ipſe ordinaretur, vi ac virtute ſimilis characteris in eo, qui illum ordinauit. Alterum legitima poteſtas, ius, ſiue authoritas exercendi dictam Sacramentalem poteſtatem. Sine iſtis duobus nemo poteſt legitimam ordinationem alteri conferre. Eſt tamen inter iſta duo latum diſcrimen. Primum enim adeo abſolutè eſt neceſſarium, vt abſque eo, ordinatio nulla ſit, ſed ordinatus laicus manet ſicut prius. Vterque tamen & ordinator & ordinatus, graue ſacrilegium committit. Secundum vero, non eſt neceſſarium, vt ordinatus characterem, ſeu Sacramentalem poteſtatem recipiat, ſed tantum vt legitimum illius vſum accipere poſſit, vel vt alij loquuntur, non eſt neceſſarium, vt ordinatio valida ſit, ſed ſolum vt licita ſit. Hinc fit, vt qui abſque primo, ordines ſacros recipere tentat, iterum ordinari debeat, quia nihil in priori ordinatione recepit, qui vero abſque ſecundo ordinatus ſit, non iterum quidem ordinari, ſed id tantum, quod illi deeſt, ſuppleri debet.

Præuenitur obiectio. Non te terreant (prudens Lector, tametsi *Catholicam* doctrinam de sacro ordine non amplectaris) istæ voces, *Character*, & *Potestas Sacramentalis*, neque existimes nostrum discursum, ita illis innixum, vt nisi nobis concedantur, ille necessario corruat. Tametsi enim verissimum sit, sacrum ordinem verum propriumque noui testamenti Sacramentum esse, characteremque indelebilem animis ordinatorũ imprimere, non aliter tamen ad præsentis quæstionis tractationem spectat ista doctrina, quam vt inde ostendatur, certam potestatem in eo, qui alium ordinat, quæ in aliis non reperitur hominibus, requiri; quod ab omnibus vtique conceditur. Vtrum vero hæc potestas sit proprium Sacramentum, vel in anima ordinati indelebile aliquod sigillum relinquat, ad præsentem controuersiam nullo modo spectat. Nihilominus doctrinam *Catholicam*, quę docet sacrum ordinem Sacramentum esse, atque characterem indelebilem imprimere, aduersariorum causam in hac præsenti quæstione nonnihil iuuare statim apparebit, tantum abest vt in

nostrę doctrinæ fauorem contra veritatem confingatur. Si enim cum *Protestantibus* dicamus, sacrum ordinem nullam potestatem permanentem in ordinato relinquere, cuius virtute actiones quas in munere suo exercet, maioris sint valoris, quam quæ fiunt ab alio, qui nunquam fuit ordinatus, impossibile planè est intelligere, quomodo hæreticus Episcopus veram validamque ordinationem conferre possit. Nam cum per lapsum in hæresim, ab vnitate Ecclesiæ præscindatur, & consequenter delegationem omnem vel deputationem, quã ab Ecclesia recipere potuit, amittat, si cum *Protestantibus* dicamus, nullum in eo permanere characterem, maiorem potestatem alios ordinandi habere nequit, quam alius qui nunquam fuerat ordinatus: Sed de hoc latiùs forte infra dicemus. Interim in fauorem aduersariorum *Catholicam* doctrinam in hoc particulari supponamus, & nihilominus *Cranmerum* iuxta doctrinam *Masoni*, cœterorumque *Protestantium*, qui dicunt Papam reliquosque Ecclesiæ *Catholicæ Romanæ* Episcopos hæreticos esse, nullam canonicã ordinationẽ habere potuisse ostẽdemus.

Aduertat Lector, quod si Cranmeri ordinatio illegitima ostendatur, tota Masoni fabrica corruit.

Tametsi enim Episcopalem characterem, ad legitimam ordinationem & vocationem necessariò requisitum, ab Episcopis *Catholicis* recipere potuit *Cranmerus*, legitimum tamē vsum eiusdem characteris, quem ad legitimam vocationem necessarium quoque esse iam ostensum est, ab eis accipere nequibat. Nam cum illi iuxta *Masoni* doctrinam hæretici fuerint illum habere non potuerint, ac proindè neque alijs conferre. Vt istud clarè ostendatur, duo sunt probanda. Primum, quod ad legitimam vocationem conferendam, non tantum potestas ordinis, sed etiam legitimus illius vsus in ordinante necessariò requiratur. Secundum, quod legitimus vsus potestatis sacri ordinis, per lapsum in hæresim tollatur. His enim duobus probatis, necessariò ex *Masoni* sententia, qui docet Papam, & reliquos Ecclesiæ *Romanæ* Episcopos hæreticos esse, sequetur, *Cranmerum* nullam habuisse legitimam ordinationem, vel vocationem.

Duo à nobis probanda.

Primum probatur.

Primum horum probatur ex ipso *Christi* Domini facto, qui potestatem ordinis Apostolis suis tradidit priusquam illa potestate vtendi authoritatem illis

concessit. Hinc enim clarè constat, & ista duo esse inter se distincta, & ad legitimam pastoralem vocationem necessariò esse requisita. In vltima cœna Apostolis potestatem diuina mysteria celebrandi dedit, (non dico sacrificandi; quãuis & hoc verum sit, quia controuersiam illã, quæ præsentis quæstionis discussioni necessaria non est inuoluere nolo) cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem;* cui etiam post resurrectionem suam potestatem remittendi peccata adiunxit, quando dixit: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis:* non tamen ius & authoritatem illà potestate vtendi, saltem vniuersaliter, & vbique illis contulit, nisi immediatè ante ascensionem suam, quando illis dixit: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Et similiter. *Euntes in vniuersum mundum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Hinc manifestum est potestatem ordinis & potestatem legitimè eâdem vtendi, quæ potestas iurisdictionis dicitur, adeo distincta esse, vt prior

Luc. 22. 19.

Io. 20. 23.

Mat. 28. 18. 19

Marci 16. 15.

Act. 11. 3. absque posteriori esse possit. Quod etiã constat ex illą contestatione, quam discipuli cum *S. Petro* de euangelizandis & baptizandis gentilibus habuerunt. Priusquam enim ab eo didicerant, quòd talem authoritatem à Deo recepisset, non existimârunt eum illam potestatem habuisse, vtcunque Apostolatum eius benè nouerant.

Math. 10. 5. 6. 7. Marci 6. 7. 8. Luc. 9. 1. Idem confirmatur ex authoritate, quã Apostoli habuerunt, prædicandi *Iudæis* ante passionem *Christi*, cum prohibitione prædicandi alijs nationibus. Hoc enim clarè indicat, quod tametsi potestas ordinis sit semper eadem, potestas tamen iurisdictionis potest aut restringi, suspẽdi, aut penitus tolli, prout illi placuerit, qui eam instituit, aut largitus fuit.

Potestas ordinis distincta à potestate iurisdictionis.

Hinc fit, quod potestas Ordinis tradita in cõsecratione rectè dicitur à scholasticis potestas in actu primo, hoc est potestas quæ apta est (concessa libertate eâ vtendi) has vel illas actiones exercere, & producere, & non aliter. Et huius rei exempla non desunt in ipsamet natura, quæ quamuis potestatem comburendi, & calefaciendi igni largita fuerit, illam tamen potestatem exercendi,

facultatem ei non tribuit, nisi illud debita distantia applicetur, quod comburere vel calefacere debet.

Ex quibus omnibus euidenter concluditur, solam potestatem ordinis in quocunque Episcopo absque legitima authoritate ea vtendi, ad legitimam & canonicam alterius ordinationem non sufficere. Dixi notanter (*legitimam & canonicam ordinationem*) nam quod sufficiat ad realem, sacramentalem, ac validam ordinationem, in hoc sensu vt nō sit necesse, neque debeat re ordinari, nulla est inter nos controuersia. Sed hoc non satis esse ad veram legitimamque pastoralem vocationem constituendam, ex iam dictis satis constat & ex dicendis clariùs apparebit. Restat igitur vt examinemus alterum membrum propositum, nimirum vtrum illi, qui *Cranmerum* ordinârunt, simul cum potestate ordinis, legitimum illius habuerint vsum & exercitium. Et certum est, quod iuxta *Masoni* & omnium *Protestantium* doctrinam, qui docent illos esse, vel fuisse hæreticos, omnem potestatem iurisdictionis, & legitimum ordinis sui vsum, amiserint, vt patet ex do-

Secundū probatur.

ctrina & praxi Ecclesiæ antiquæ, scilicet in tempore Concilij *Nyceni*.

Hæretici, Episcopi non sunt. *In epist. de Concilijs Arim. & Seleuc. §. Quæautem, post mediũ. Apolog. 2. in epist. Iulij Iogius ab initio. De Synodis contra Arianos. Con. Luciferianos.*

Ariani enim *Catholicos* Episcopos, à quibus ipsi ordinati fuerunt, hæresis insimulantes, vt hodie *Protestantes* Episcopos Ecclesiæ *Romanæ*, qui etiam eos ordinarunt, ita à *S. Athanasio* redarguuntur: *Quo iure ipsi Episcopi esse poterint, si ab hæreticis, quos ipsi criminantur, constituti sunt?* Et iterum in alio loco loquens in persona *Iulij* Pontificis *Romani*, vel potius eius verba referens: *Impossibile est Secundi ordinationem vtpote Ariani, vim vllam in Catholica Ecclesia habere.* Et *S. Hilarius. Quid de nobis erit, qui rem eò deducimus, vt quia Episcopi non fuerunt, nos quoque nec cæperimus? Ordinati enim ab his sumus, & eorum sumus successores. Renunciamus Episcopatis, quia Officium eius ab Anathemate sumpserimus.* Hoc dicit quibusdam, qui hęresim Episcopis Concilij *Nyceni* obijciebant. Et *S. Hieronymus* protestatur: *nullum in mundo iam esse Episcopum, nisi quos Synodus Nycena ordinauit.* Quo clarè docet hæreticos non esse Episcopos, scilicet legitimos.

Deinde hæretici cogniti & declarati, excommunicati & præcisi sunt ab vnione,

& communione Ecclesiæ, Apoſtolo contra illos ſententiam pronunciante his verbis. *Hæreticum hominem poſt vnam vel alteram admonitionem deuita.* Et *Chriſtus* ipſe. *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.* Sed excommunicatus & ab Eccleſia eiectus, nullam poteſtatem miniſtrandi in Eccleſia habere poteſt, vt per ſe patet, & ab antiquiſſimo *Tertulliano* ita deducitur. *Hæretici ſunt? Chriſtiani eſſe non poſſunt, &c. Ita non Chriſtiani, nullum ius capiunt Chriſtianarum literarum: ad quos meritò dicendum eſt. Qui eſtis? Quandò, & vnde veniſtis? quid in meo agitis non mei?* Hoc idem à fortiori illis dicere poſſumus, de poteſtate ordinandi in Eccleſia. *S.* etiam *Hieronymus* dicit, *eodem modo loquendum eſſe de hæreticis, quo de gentilibus.* Quibus omnibus conſtat, hæreticos ius ordinandi non habere. Vnde vlterius etiam ſequitur, *Cranmerum*, qui ab eis, quos *Maſonus* hæreticos æſtimat, ordinationem ſuam habuit, iuxta eius doctrinam legitimè ordinatum non fuiſſe. Si *Maſonus* huic argumento ſatisfecerit, erit mihi magnus magiſter.

Sed vnum ei adhuc reſtat effugium. Dicet enim, quod quantumuis *Cranme-*

Ad Titum 3. 10.
Math. 18. 17
Tertul. de præſcrip.
Con. Luciferianos.
Præcluditur Maſono effugiũ.

rus ab eis, quos ipse existimat hæreticos, reuera ordinatus fuerit, ac proinde nullam legitimam alios ordinandi potestatẽ recipere potuerit; cùm tamen potestatem ordinis per eorum ordinationem habuerit, vti iam concessum est, potuit etiam reconciliatus ad veram Ecclesiam, legitimum eiusdem potestatis vsum (qui solus ei deerat) facilè recuperare, vt cõstat ex perpetua Ecclesiæ tam veteris, quam modernæ praxi, in reconciliandis, & restituendis communioni Ecclesiasticæ Episcopis, qui per excommunicationem ab ea separati fuerunt, sed istud effugium ei facile præcluditur.

Nam imprimis, cum iuxta doctrinam *Protestantum* nullus per sacrum ordinem imprimatur character, ratione cuius potestas ordinis in eo, qui *Cranmerum* ordinauit (non obstante eius in hæresim lapsu) permaneret, ista *Masoni* responsio nullam in se probabilitatis speciem habere potest. Perdita enim semel per excommunicationem potestate in ordinatione recepta (quod nisi supponamus *Catholicam* de charactere doctrinam, necesse est euenire) impossibile est, eam absque noua ordinatione recuperari.

Sed

Sed *Masono* iam supra concessimus, vt se ex his angustijs, per *Catholicæ* doctrinæ veritatem eriperet, iuxta quam vnicuique facillimum est intelligere, quomodo Episcopus excommunicatus, ad legitimum ordinis sui vsum, absque noua ordinatione restitui possit: Et nihilominus semper in eodem hærebit luto. Nam, defectus ille, qui *Cranmero* necessariò inerat, propter hæresim in suo ordinatore (vt *Masonus* existimat) nulla ratione suppleri potest, nisi per vnionem & reconciliationem veræ Ecclesiæ, verisque pastoribus. Sed ista vnio in casu *Crămeri* erat omnino impossibilis: quia præter Ecclesiam *Romanam*, & præter eiusdem Ecclesiæ Episcopos & pastores, nulla erat in toto orbe vel Ecclesia, vel pastores, quibus reconciliatus, vocationis suæ defectum supplere poterat. Nam si effugere existimet dicendo, alias *Protestantum* Ecclesias iam ante *Cranmeri* ordinationem fundatas fuisse, quibus is vnitus & coniunctus, id, quod ad legitimam vocationem ei deerat, recipere potuit, hallucinatur. Illæ enim Ecclesiæ (si tamen Ecclesiæ dicendæ sint) eandem, immo & maiorem difficultatem in probanda vo-

Non effugit.

catione sua, quam Ecclesia *Anglicana* patiuntur, vt supra iam vidimus: ac proinde ad illas in ista necessitate recurrere, aliud non est, quam hominem spoliatum, à nudo vestimentũ petere, aut cœcum ab alio cœco etiam & claudo ducatum quęrere. Aliæ quidem erant Ecclesiæ diu ante *Lutheri* apostasiam à *Romana* per schismata & hęreses separatæ, nimirum *Æthiopica*, *Græca*, *Russiana*, & aliæ huiusmodi: sed tamẽ à nulla istarum noui nostri reformatores vocationem suam recipere prætendunt, neque quidem prætendere possunt: quãdoquidem non minus ab illis, quam à *Catholica Romana*, tam in dogmatibus fidei, quam in pastorum suorum ordinatione, discrepare noscantur. Vnde tandem inevitabiliter concluditur nullam plane extare vel extitisse Ecclesiam præter *Romanã*, cui *Cranmerus* vnitus, ordinationis suæ supplementum recipere poterat.

Ecclesiã Anglicanam destruit doctrina Masoni.

Hactenus satis clarè (vt existimo) ostẽdimus, quod tametsi *Protestantes Angliæ* Episcopos ordinationem suam ab Episcopis *Catholicis* recepisse cõcedamus, eos tamen iuxta propriam eorum doctrinam veram legitimamque vocationem non habere. Præterea, quod etiãsi concede-

retur illis, propter prætensam suam à *Catholicis* Episcopis successionem, legitima vocatio, hoc tamen potius destrueret quam ædificaret illorum Ecclesiam, quia nimirum eam euidenter separat ab omni alia, tam vera quam prætensa Ecclesia, & consequenter eam schismaticũ conuenticulum manifestè constituit.

His ita probatis quæ totam *Masoni* operam, quam in vocatione Episcoporum suorum stabilienda, & Ecclesia sua à tãta macula, quanta est legitimorum pastorum carentia, purganda, in totis quinque libris suis impendit, inutilem & inanem prorsus reddunt, disceptationi nostræ, hîc finem imponerem, nisi ipse cupiens se, suosque patres ab his laqueis expedire, vocationem & ordinationem eorum legitimam canonicamque esse, (non obstante, quod ab Episcopis *Catholicis*, & ritu *Romano*, quem *Antichristianum* existimat desumatur) summo conatu contendens ostendere, me ad producendam hanc conflictationem prouocaret. Et quia congressio nostra aliquantulum prolixior futura sit, ne nimio lectorem tędio afficiat, ea quæ restant huius disputationis, sub sequẽti titulo tractabimus,

CAPVT DECIMVM.

Vtrum conſecratio ſeu ordinatio Epiſcoporum Proteſtantium *in* Angliæ *legitima & Canonica eſſe poſſit, poſito, ordinationem Epiſcoporum Eccleſiæ* Romanæ, *unde illa deſumitur,* Antichriſtianam, *hæreticam, vel illegitimam eſſe.*

HAnc quæſtionem in fine quinti ſui libri tractat *Maſonus* ſub iſto titulo. *In hoc capite declaratur, quod tametſi vocationem noſtram ab Epiſcopis, qui Sacerdotes Papiſtici fuerunt, recipiamus, vocatio tamen noſtra legitima eſt, & illorum illegitima.* Et quia doctrinam ſuam per modum dialogi inter *Philodoxum Catholici Romani* perſonam gerentem, & *Orthodoxum Proteſtantis Angli* (ſi dijs placuerit) perſonã referentẽ exponit: Vt clarior dilucidiorq; euadat noſtra concertatio,

Maſon. l.5.c.12.

ab illius loquendi forma in hac quęstione non recedam, tantum pro illius Dialogo, Trialogum constituam. In quo ementitū & iniustè sibi vsurpatum *Orthodoxi* nomē, illi pro præsenti relinquens, (quia de vocibus pugnam hîc instituerę nolo (*Philodoxus* & *Orthodoxus*, vt à *Masono* instituuntur, *Didimus* vero, tertius interlocutor, vt veritas eum docebit, loquetur. Sic autem Dialogum suum orditur.

Vide quæ de morte Cranmeri dicuntur capite sequenti ad finē. Sub Hērico 8. creatus fuit Archiepiscopus. Post Hēricum octauū, qui primus ab vnitate Ecclesiæ recessit, regnauit Eduardus eius filius, puer nouem annorum sub quo

Philodoxus.

Hoc vnum benè perspicio, quod quantumuis Sacerdotes Papisticos vituperetis, eos sacrilegos, & abominandos vocitantes: tamen quando vocationem vestram probare oportet, ab illis Episcopis, qui sacerdotes Papistici fuerunt, illam libenter deducitis, quos nihilominus cum contemptu, & detestatione sacrilegos & abominandos toties indigitatis.

Orthodoxus.

Et ego quoque vnum aliud benè percipio, quod quantumuis contra Cranmerum, tanquam schismaticum, vociferemini, immo & tanquam hæreticum concremâstis, nihilominus cum gloriosa Episcoporum vestrorum tempore Reginæ Mariæ ordinatorum succcessio ostendi debeat, ab illo, quam dedignanter schismati-

cum & hæreticum dicitis, illam deriuare necesse habetis.

Didimus.

Haudquaquam *Orthodoxe* poteris tu contra *Philodoxum* inferre, quod ipse cõtra te vrget, longe enim dispar est ratio illius argumentationis, & tuæ. Nam ipse non existimat sacerdotium & Episcopatum *Cranmeri* sacrilegum & abominandum, vt tu de sacerdotio & Episcopatu Catholicorũ æstimas, sed illud sacrosanctum agnoscit, & idẽ prorsus cum sacerdotio Episcoporum Ecclesiæ *Romanæ*, ac proinde nihil penitus incõmodi cõtra illum sequitur, etiamsi Episcopi *Catholici* tempore Reginæ *Mariæ* creati, successionem suam à *Cranmero*, vel (melius loquendo) per *Cranmerum* deducant. Tametsi enim *Cranmerus* in hæresim lapsus legitimum ordinis sui vsum amiserit, atque idcirco legitimam ordinationem seu vocationem, (quæ & potestatem ordinis & Iurisdictionis in ordinante requirit, vt supra iam vidimus) conferre nequiuerit, potuit tamen ille defectus in illis, quos iuxta *Catholicum* ritum ordinauit, facilè suppleri per reconciliationem, ad Ecclesiam *Catholicam*, & absolutionem ab om-

in hæresim Lutheranã & Zuinglianam prolabitur regnum. Illi successit in regno Maria Regina Catholica, quæ ad fidẽ orthodoxam regnum reduxit. De continuatione successionis Episcoporum sub istis tribus Regibus quærit Masonus.

ni censura: Quod factum fuisse sub initio regni *Mariæ* tu ipse *Orthodoxe* ex *Sandero* agnoscis. Non adeo te tam veteris, quam modernæ Ecclesiæ praxis, & doctrinæ ignarum existimabo, vt de huius doctrinæ veritate quoquo modo dubitare possis, ac proinde in illa demonstranda non amplius morabor. Dixi (*quos iuxta Catholicum ritum ordinauit*) quia de alijs, qui nouo ritu tempore *Eduardi* per illum ordinati dicuntur, longe alia est ratio, vt posteà videbimus.

Mason. pa. 79.

Tu autem *Orthodoxe* in defensione vestræ consecrationis, seu vocationis idem dicere nequis. Primò enim ipsum Sacerdotium *Romanæ* Ecclesiæ Sacrilegum & Idololatricū dicitis, quale igitur vestrum erit, quod ab eo deriuatur? Deinde nullā Ecclesiam priorem, primisque vestris pastoribus præexistentem habuistis, cui *Cranmerus* & cœteri, vniti, vel recōciliati, illud quod de sua ordinatione eis deerat, recuperare possent; sed tales omninò necesse est vt sint, de quibus *S. Ioannes* dicit: *Exierunt à nobis*: quales vero isti sunt, tu *Orthodoxe* non ignoras. Ex quibus tandem habes duas manifestas diffe-

1. Io. 2. 19.

rentias, quarum vtraque obstat, ne argumentum *Philodoxi* in eum retorquere possis. Ergo nisi melius satisfacias, patres tuos Episcopos, aut sacrilegos Sacerdotes, (quales tu dicis sacerdotes *Romanos* esse aut mere laicos fateri te oportet.

Orthodoxus.

Sed si patres nostri ordines ab Episcopis, qui Sacerdotes Papistici fuerunt, receperint, quid, obsecro, inde incommodi?

Didimus.

Quare loqueris sub hypothesi, & conditionaliter *Orthodoxe, si patres nostri*, quasi vero hoc non sit vnicum vocationis vestrę fundamẽtũ? Sed loquatur *Philodoxus*.

Philodoxus.

Tunc aut vocationem vestram illegitimam esse, aut nostram, ex qua desumitur, legitimam confiteamini necesse est. Nam ex tribulis ficus, vel vuas ex spinis colligere non potestis, neque possibile est vt rosa ex vrtica nascatur.

Orthodoxus.

Ridiculus Masoni discursus.

Sed hortus consitus rosis, vrticis oppleri potest. Nam ministerium à Christo plantatum suauiolens rosa erat, absque omni vrticæ mixtura, & sic per aliquot sæcula in Ecclesia permãsit: sed postquã Antichristus seipsum in tẽplo Dei tã-

quam si esset Deus, se ostendere cœpit, Romanum Sacerdotium proles monstruosa facta est, prodigiose composita, semi-rosa, semique vrtica. Ecclesia Anglicana initio reformationis ab Ec*clesia Romana rosam mutuata est, vrticam vero reiecit.*

Didimus.

Apagesis, mehercle *Orthodoxe*, pudet me tui. Effutijtne vnquam aliquis tam inania verba in re tam graui? Nonne vides obiectionem *Philodoxi* tanti esse momenti, vt nisi vel ex sacra Scriptura, vel saltem Ecclesiæ authoritate plenè ei satisfiat, totum illud quod quinque tuis libris in cleri vestri vocatione purganda, & propugnanda congessisti, vanum vapidumque reddatur, & in fumum euanescat? Si istud videas, cur tam insulsè ratiocinaris? Si istud non perspicias, permitte tibi ostendatur, vt inde quoq; percipias, quam nihil ad tuum institutum protuleris? Scopus, finisque totius tuæ in his quinque libris disputationis nõne ille est, vt Episcoporum, & reliqui cleri vestri vocationem legitimam, canonicãque esse demonstres? Et medium quod ad hoc probandum tibi elegisti, nonne

hoc est, nimirum eorum successio ab Episcopis *Catholicis*? Ista certe negari nequeunt. Cum itaque obiectio à *Philodoxo* allata, (nempe quomodo Episcopi vestri legitimam habeant vocationem, quãdoquidem ab ijs desumatur, quos sacrilegos iudicatis) hinc sponte nascatur, nisi sufficienter illi satisfacias, tantum aberit vt cleri vestri vocationem canonicam esse probaueris, vt illam aut sacrilegam & abominabilem, (qualem dicis illam esse vnde desumitur) aut prorsus nullam probatam relinques. Certe non solum inaniter, sed pessimè operã tuam in scribendis his quinque libris impendisti: quandoquidem rem illuc perduxeris, vt Episcopos vestros vel sacrilegos Sacerdotes (ad tuam mentem loquor) aut merè laicos esse necesse sit. Quantum enim ad somnium illud tuum de prodigiosa prole, quam partim rosaceam, partim vrticeam fingis, quâ vocationem vestram solidê defensam existimas, ægri somnium, & figmentum *Chimæricum* esse me ostensurum promitto.

Pessime Ecclesię suæ operam suã locauit Masonus

Discutitur Masoni discursus.

Primum, omnibus qui primoribus tãtum labris dialecticam delibârunt, satis constat, argumentum ductum à simili,

quale eſt hoc tuum de Sacerdotij *Romanæ* Eccleſiæ compoſitione, inter omnia argumentationum genera, lõge eſſe inualidiſſimum.

Secundò ſimilitudo deſumpta à rebus naturalibus, & recte applicata, in concipiendis rebus ſupernaturalibus, (quæ propter eminentiam ſuam, & altitudinem captum noſtrum excedunt, atque ita aliter à nobis concipi nequeunt) aliquando nos iuuat, ſed tunc nihil probat, ſed rem tantum elucidat.

Tertiò ſimilitudines, quæ in ratiocinationibus formãdis nobis vſui eſſe poſſunt, ad aliquid probandum, à rebus vel verè exiſtentibus, vel ſaltem poſſibilibus deſumi debent. Nam qui aliquid per ſimilitudinem ductam à re impoſſibili probare contenderet, tantum abeſt, vt quod intendit probaret, vt illud penitus improbaret. Exempli gratia, ſi quis te *Orthodoxe* ita prodigioſè iam compoſitum probare contenderet, vt partim homo, partim aſinus eſſes (ne excandeſcas *Orthodoxe*, experiêris quod iniuriam tibi inferre non intendam) per hoc ipſum exẽplum prolis monſtruoſæ, ſemiroſaceæ, ſemique vrticeæ, quod tu affers; dice-

retque, quod tametsi natus esses purus & perfectus homo, talisque ad aliquot annos permaneres, postquam tamē misit te pater ad Academiam, vt ibi in liberalibus disciplinis instruereris, factus es monstruosa proles, prodigiose compositus, partim scilicet homo partim vero asinus, nonne diceres tu, (idq; verissimè meo quidem iudicio) eum, qui huiusmodi formaret argumentum, non dimidiatum, sed totum esse asinum, & quod tantum absit vt probet quod intendebat, vt omnino contrarium inferat.

Capitur Masonus neque effugere potest.

Quartò, cum tota vis responsionis tuæ ad obiectionem *Philodoxi* dependeat ex veritate prodigiosæ compositionis in sacerdotio *Romanæ* Ecclesiæ (ita vt si cōpositio illa imaginaria tantum sit, responsio tua imaginaria tantum quoque erit) illam nō supponere, sed probare debebas, si non per scripturam sacram, neque per antiquorum patrum aut cōciliorum authoritatem, neque per claram aliquam rationem naturalem, saltem per aliquod exemplum, in rerū natura verè existēs, aut saltem possibile existere, & non per *Chimæricam* prolis monstruosæ compositionem, qualem natura in omnibus suis

operibus nunquam vidit, neque intendere potuit. Sed vis dicam quod sentio? Ista similitudo ministerij vestri vocationi non disconuenit, quæ non magis est legitima, quam ista tua compositio in natura est possibilis.

Quinto, tametsi existimem te non adeo Orthodoxum, vt sacrum ordinem verum esse sacramentum credas, certam tamen verborum formam, ad conferendos sacros ordines necessariam esse agnoscis. Quo posito, quæro à te, vtrum ista verba ita per additionem aliorũ immutari possint, vt veram ordinandi formam non amplius retineant, necne? Si respondeas negatiuè, omnes *Christianos*, qui semper docuerunt istam formã baptismi, *Ego te baptizo in nomine Patris maioris, & Filij minoris* &c. nullam esse, neq; Sacramentum conficere, erroris condẽnas: si vero affirmatiuè respondeas, quæro vlterius, quare verba illa, quæ tu dicis *Catholicos* (quos *Papistas* vocas) sacri ordinis formæ addidisse, & quæ ex sacro ritu sacrilegam & superstitiosam cæremoniam faciunt (vt tute tecum fingis) non reddant ordinationem inualidam & nullam, præsertim cum non ignores (nisi

Pa. 264

prorsus ignarus sis) omnem additionem cuique essentiæ vel naturæ rei factam, eam mutare in aliam essentiam & naturam, sicut quælibet additio numeri cuiuis numero adiecta, alterum numerum à priori constituit? Essentiæ enim rerum iuxta veram Philosophiam, sunt sicut numeri qui in indiuisibili cõsistentes, per quamlibet additionem illis factam, mutantur in alios. Et tametsi discrimen non exiguum sit quantum ad hanc considerationem, inter res physicas seu naturales & morales, adeo vt multo minor additio vel diuisio tollat vnitatem in illis, quam in istis: est tamen in eis necessaria proportio, vt constat in exemplo allato in forma Baptismi.

Cum igitur *Papistæ* (vt tu loqueris) tot, taliaq; sacri ordinis formæ adiiciãt, quæ eam sacrilegam (vt tu vis) reddunt, necesse est totam formam corrumpant, & in aliam transmutent, ita vt fiat tota vrticea, & consequenter nihil rosæ remaneat, quod vestris Episcopis applicari possit. Aliundè idcirco, quam à *Catholicis* Episcopis clerus vester vocationem suam quærere debet. Ex quibus omnibus perspicis; obiectionem *Philodoxi* in

integra sua vi adhuc manere, teque eò manifestè redactum, vt vel *Romanum* Sacerdotium legitimam constituere pastoralem vocationem, vel clerum vestrum nullam talem habere, fatearis necesse sit.

Denique cum ministerium à *Christo* institutũ perfectam delectabilemq; fuisse rosam agnoscas, talemque per aliquot sæcula perdurâsse: cur tempus, locum, vel personas, quando, vbi, & per quos genita fuit monstruosa illa proles, quam in *Romana* Ecclesia modo inueniri asseris, non designas? Si probabilem aliquam vnius saltem trium harum circumstantiarum probationem producere possis, pro solutione competenti eorum omnium, quæ hactenus contra te obiecta sunt, admittam. Si hoc præstare nequeas (vti certissimè scio te non posse) pudeat te contra Ecclesiam *Catholicam*, matrem tuam, si verus esses *Christianus*, talem tantamque turpitudinem & nequitiam eructare. Sed audiamus iam *Philodoxum*.

Philodoxus.

Quid de nobis sentis? sumus nos Sacerdo-

tes aut laici? ſi Sacerdotes, tales nos agnoſcas; ſi verò laici, quid, obſecro, Cranmerus, qui in noſtra Eccleſia, & non alibi fuit ordinatus? Quid Parkerus, Grindallus, Sandeus, Hornus, qui Sacerdotes in eadem conſecrati fuerūt? erantne omnes laici? Quid omnes hodierni Miniſtri Angliæ, qui ab illis deſcendunt, omnesne laici ſunt?

Fuerunt iſti ex primis Epiſcopis Proteſtantibus, ſed Sacerdotes veri, Catholico ritu ordinati.

Orthodoxus.

Pontificij veſtri Sacerdotes, neque veri Miniſtri Euangelij, neque merè laici ſunt. Nam ordinatio veſtra duabus conſtat partibus. Prior his verbis perficitur (accipe poteſtatem offerēdi ſacrificium, miſſamque celebrandi, pro viuis & pro defunctis) quam præcipuam Chriſtiani Sacerdotij functionem iudicatis, ſed reuera Miniſtros Antichriſti, non Chriſti vos facit. Poſterior his conſiſtit verbis (accipe Spiritum ſanctū, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis: & quorum retinueris retenta ſunt) quibus Euangelicis verbis, poteſtas ſpiritualis Miniſterialis remittendi peccata traditur, quæ iuxta verum Chriſti ſenſum, per Miniſterium reconciliationis completur. Quicunque itaque iſtam acceperit poteſtatem, Miniſterium reconciliationis quod in debita verbi Diuini, & Sacramentorū adminiſtratione conſiſtit, pariter accepit.

Inſulſa omnino argumētatio, imo vana & voluntaria aſſertio.

Didimus.

Didimus.

Egregie tu abuteris terminis *Orthodoxe*; dicendo ordinationem Sacerdotum Ecclesiæ *Romanæ* duabus constare partibus, si per ordinationem intelligas ordinem receptum, vt in paragrapho sequenti. Quemadmodum enim anima hominis vna est simplex atque indiuisibilis substantia, diuersis tamen prædita facultatibus: sic etiã ordo Sacerdotalis vna est simplex, atque indiuisibilis potestas animæ ordinati impressa, diuersis licet ditata functionibus. Et quanquam diuersæ istæ Sacerdotij functiones diuersis temporibus, diuersisque conferuntur verbis (vt dicis) non inde tamen concluditur, Sacerdotium ipsum diuersis cõstare partibus: sicut neq; ex eo quod anima primo det viuere, deinde sentire, ac tandem intelligere, probatur illam diuersas habere partes. Deindè etiamsi tibi concederetur Sacerdotium *Romanum* duas habere partes, vt tu philosopharis, nihil quicquam indè lucrareris, nisi & priorem (qua vestros carere sponte concedis) ad Sacerdotium non pertinere, & secundam absque prima existere posse, atque etiam completã ordinatio-

nem, & vocationem constituere ostendas. Ista verò, immo nec vnum aliquod istorum vnquam probare poteris. Vides igitur quam inepta sit tua interrogationi *Philodoxi* responsio.

De præcipua Sacerdotij fũctione, quã in potestate sacrificandi pro viuis & defunctis *Catholicos* collocare rectè dicis, opportunior occurret locus disputandi inferius. Interea autẽ intelligas velim, non solum infirmum, sed nullum prorsus esse noui vestri Ministerij fundamentum, quod in nuda, voluntaria, & simplici reiectione potestatis sacrificandi (sub inani prætextu quod *Antichristiana* sit) tu collocas. Certè si *Antichristiana* sit, alium authorem & institutorem habuit quam *Christum*, & post *Christum*. Istum profer, & causam obtinuisti. Si vero neque personam, neque locum, neque tempus, à quo iste ritus inter *Christianos* incepit, designare possis, à *Christo* ipso inceptum esse, cum *Sancto Augustino* credere debes. Sed de hoc latius infra.

Nullum noui ministerij fundamentum

Pro doctrina tua de secunda Sacerdotij parte (verbis tuis vtor, vt melius quæ dico capias) illi, quos *Pontificios* in

Anglia dicitis, plurimum tibi debent. Eos enim liberas à turpissima, perinde, ac falsissima criminis læsæ maiestatis impositione, de qua nonnulli accusati, condemnati, & necati noscuntur, quod nimirum homines Deo per reconciliationis potestatem, quam tu à *Christo* institutã esse agnoscis, reconciliauerint. Certe si in Sacerdotio *Romanæ* Ecclesiæ legitima potestas reconciliationis includatur (vt tu verè dicis) legem illam contra eiusdem potestatis exercitium 23. anno *Elizabethæ* Reginæ editam, & à *Iacobo* Rege confirmatam, iustam esse nemo dicere potest; quippe quę potestati à *Christo* institutæ, & ministris suis collatæ, directè aduersetur & cõtradicat. Et si forte prædictæ legis, & aliarum similium cõtra religionem *Romanam* conditarum rigorem & seueritatem timens, dicas istos abusos esse potestate reconciliationis, ac proinde læsæ maiestatis reos esse potuisse; pro eis respondeo, quod si per abusum intelligas illius potestatis vsum, mediante cõfessione sacramentali, fateor quidem eos aliter illa non vsos fuisse, immo neque vti debere; nego tamen istum esse abusum. Deinde etiãsi abusus esset, nul-

Scias Lector, sub Elizabetha Regina legẽ esse conditã quâ decernitur, omnes qui vel recõciliati fuerint, vel alios reconciliauerint Ecclesiæ Romanæ, reos fore læsæ Maiestatis.

lam tamen læſæ Maieſtatis ſpeciem habere poteſt. Sed video te dicturum, eos reconciliare ſubditos regis Eccleſię *Romanæ*, & ſummi Pontificis obedientiæ, quod legibus regni perduellionis crimē redditur. Sed reſpondeo, eos reconciliare peccatores Deo, remittendo illis peccata ſua per poteſtatem illam, quam eos verè habere agnoſcis. Si inde vlterius ex conſequenti ſequatur, eorum reconciliatio Eccleſiæ *Romanæ*, tanquam ſponſæ *Chriſti*, qui hanc recōciliandi poteſtatem in Eccleſia ſua ſtabiliuit, & fiant etiam oues illius ouilis, cuius Pontifex *Romanus* Vicarius *Chriſti*, eſt ſupremus in terris paſtor; hoc non magis pro crimine læſæ Maieſtatis illis imputari debet, quā tibi (*Orthodoxe*) vnum quempiam ex Regis ſubditis baptizanti. Vnde neceſſaria ſequela, eadem Eccleſię *Catholicæ*, & viſibili illius paſtori reconciliatio in baptizato oritur. Sed loquatur *Philodoxus*.

Non minus baptiſmo quàm pœnitētia cōſtituuntur homines Eccleſiæ mēbra.

Philodoxus.

Si ita res ſe habeat, Sacerdotio Romano functionem Miniſterialem ineſſe, neceſſe eſt fateamini, quia iſta verba in ordinatione illa includuntur.

Orthodoxus.

Tametsi ista verba, vt à Christo prolata, & in Ecclesia Primitiua olim, & hodie in Ecclesia Anglica vsui applicata sunt, substantiam sacræ istius functionis inuoluant, vt tamen in Ecclesia Romana eis abutimini, ad confessionē auricularem stabiliendam, aurum retrimēto obtegitur, & flos delectabilis noxiis herbis corrumpitur. Idcirco, si Sacerdotium vestrum, vt est totum aggregatum consideremus, sacrificādi & absoluendi potestate constans, omnino illegitimum est, & sacris Scripturis contrarium. Si ad partes eius descendamus, missatio vestra & sacrificatio, totaliter abominabilis existens: altera pars in quantum verbis Christi vere intellectis nititur sacrosancta est, & potestatem ministerialem inuoluit, quæ vestra tamen constructione & praxi maximè deprauatur.

More omnium nouatorū plurima dicit, sed nihil penitus probat.

Didimus.

Et piget & pudet me *Orthodoxe*, verbosi & ventosi huius discursus, in quo plura quidem de rebus magni momenti dicuntur, sed nec vnum probatur. Cum enim incumbat tibi probare primò: Sacerdotium *Romanæ* Ecclesiæ sacrilegum,

& deinde ostendere ministerium vestrũ, (tametsià *Romano* Sacerdotio desumptũ) legitimũ canonicũq; esse, nihil quicquã affers, nisi imaginarias similitudines mõstruosæ prolis, semi-rosaceæ, semiq; vrticeæ, metaphoras ineptissimas de auro & florib. de scoria, & malis herbis, fictiones ineruditas, de toto aggregato & eius partibus, vbi vna est tantũ simplex potestas cũ distinctis suis fũctionib. quis vnquã tã inanẽ ratiocinationẽ audiuit? Si ista sufficiant ad sacerdotiũ *Romanum* euertẽdũ (quod adeo est antiquum, vt nullum post *Christum* inueniri potest illius initiũ) vestrũq; ministerium stabiliendum, vix adhuc sexagenarium; quid respondebis tu *Puritanis* vestris, & *Anabaptistis*, quos validioribus argumentis ministerium vestrum impugnare non ignoras?

Inanis discursus.

Attẽde, quæso, quid egregiũ illud Ecclesiæ Orientalis lumen & columen S. *Athanasius* contra *Arianos*, (qui non minus de errore prædecessorum suorum *Catholicorum* se olim iactitabant, quã vos hodie de Papistarum erroribus inaniter gloriamini) scribens ait: *Quid docebunt populos ab ipsis institutos? an patres suos lapsos esse? aut quomodo ipsi veraces apud discipulos suos habe-*

Epist. de Cõcilijs Arim. & Seleu §. Quis igitur.

buntur, quibus persuadēt præceptoribus credendum non esse? Quibus porro oculis intuebuntur monumenta patrū suorū, quos ipsi hæreticos nominant? aut quo iure Valentinū aut Manichæos culpabunt, cum eadem cum ipsis loquantur? aut quo iure ipsi Episcopi esse poterint, si ab hæreticis quos ipsi criminantur, constituti sunt? Nōne hęc est vera ac germana ratio, cur post apostasiam *Lutheri* patris vestri ab Ecclesia *Catholica*, in tot abiistis sectas, & diuisiones professionum & religionum, vt facile non sit eas omnes enumerare? Vos *Angli Euangelici dicitis Papistas*, seu *Pontificios* errasse, & eorum sacerdotium sacrilegum esse. Et *Puritani* nonne idem de vobis & vestro ministerio? *Anabaptistæ* etiam de *Puritanis*, aliique de illis dicunt? Neque iniuria id quidem. Dum enim patres vestros errasse affirmare audetis, discipulos & sectatores vestros idem de vobis dicere docetis, ac ita deinceps, donec tandem in execrandum *Atheismi* barathrum præcipites corruatis.

Egregiū plane dictum.

Atheismus finis ōnis hæresis.

Vnico verbo dicam; si Episcoporū, & Cleri vestri ordinationem & vocationem à sacrilega vsurpatione defendere cupias, ista probare debes. Primo sacerdo

Quæ Maſono ſunt probanda.

tium Eccleſiæ *Romanæ* ſuperſtitioſum, & illegitimum eſſe, oſtendēdo quādo, vbi, vel per quem poſt *Chriſti*, & Apoſtolorū eius tempora, corrumpi & deprauari cœpit, præſertim cum illud purum & ſincerum iuxta primam eius inſtitutionē, per aliquot ſæcula durâſſe agnoſcas. Deinde oſtendere debes ita eſſe coagmentatum, & ex diuerſis partibus aggregatum, vt pars vna integra maneat, etiamſi altera corrupta ſit, & deprauata. Denique hoc ad te pertinet probare, non ſolum partē illam integram vobis & Eccleſiæ veſtræ manere, ſed etiam perfectam, legitimam, & canonicam vocationem conſtituere. His quidem competenter probatis, miniſterium veſtrum, tametſi à Sacerdotio *Romano*, ſacrilego per vos æſtimato deſumptum, legitimum eſſe, gloriari poſſis. Donec vero iſta probentur (quod nunquam feceris) ſint neceſſe eſt Epiſcopi veſtri, aut Sacerdotes idololatrici: (quales illos æſtimatis, à quibus veſtros procreatos prætenditis) ſed huiuſmodi neque ſunt neq; eſſe cupiunt, aut merè laici, ſacram functionem, ſacrilego auſu vſurpantes. Et quidem huiuſmodi, licet maximè nolint, eſſe conuincuntur.

Philodoxus.

Sacerdotium nostrum ex vestræ Ecclesiæ vsu & praxi (quæ pro mille testibus vobis esse debet) legitimum esse ostendam. Nam Sacerdotes, qui ab Ecclesia Catholica ad sectam vestram deficiunt, absque noua ordinatione, sola prioris ordinationis virtute, ad ministerium vestrum, & eius quoque exercitium statim recipiuntur.

Orthodoxus.

Nemo ad exercitium ministerij apud nos admittitur, nisi articulos religionis prius subscribat, vt patet ex isto Parlamenti consulto; vt Ecclesiæ intra maiestatis suæ dominia pastores religionis sanæ habeant, authoritate præsentis Parlamenti decretum esto, quod omnes & singuli sub Episcopali gradu constituti, qui Sacerdotes, seu verbi diuini & sacramentorũ ministri esse prætendũt, per aliã institutionis, cõsecrationis vel ordinationis formã, quã quæ à Parlamento tẽpore Edoardi Regis sexti dignæ memoriæ edita fuit, aut quæ nunc sub serenissima ac suprema Domina nostra in vsu existit: ante festum Natiuitatis Christi proximum, in præsentia Episcopi, aut custodis spiritualium alicuius Diœcesis, in qua beneficiũ Ecclesiasticũ

Aliter faciunt Caluinistæ, vt supra notauim⁹. Scias Lector, quod sicut Ecclesia Germanica & Gallicana, & cæteræ reformationes habeant suas professiones fidei distinctas; sic & Anglicana suã habet, quã per articulos religionis intelli-

git Masonus hoc in loco.

13. Elizabethæ c. 12. Vide Lector. Parlamentũ præscribit formã consecrandi ministros Ecclesiæ Art. 31.

obtinent vel obtenturi sint, assensum suũ declarabit, & subscribet omnibus religionis articulis, qui soli, veræ Christianę fidei confessionẽ & sacramentorum doctrinã concernunt, contenti in libro impresso, inscripto, Articuli &c. *Inter quos articulos iste habetur.* Christi oblatio semel facta, est illa perfecta redemptio, propitiatio, & satisfactio pro omnibus totius mundi peccatis, tam originalibus quã actualibus: neque est alia satisfactio pro peccato præter hanc solam. Quapropter missarum sacrificia, in quibus communiter dicebatur sacerdotes Christum pro viuis & pro defunctis, vt pœnæ vel culpæ remissionẽ reciperent, offerre, fabulæ erãt blasphemæ & deceptiones periculosæ. *Ex his clarè vides nullum Papisticum sacerdotem in Ecclesia Anglicana vllo modo admitti posse, nisi primariam sacerdotij vestri functionem, quæ in missatione & sacrificatione consistit, prius abiurauerit. Et secundariam quoque in quantum Ecclesiæ Anglicanæ doctrinæ aduersatur, sed quicquid in eo inuenitur, à Deo, & secundum verum Scripturæ sensum, vti exempli gratia, potestatem remittendi peccata per ministerium reconciliationis, libenter amplectimur. Rosa est, quæ in deserto Ecclesiæ Ro-*

manæ inuenitur, cuius plantationes de horto Dei percipiuntur. Riuulus est pertransiens Ægyptum, sed fons eius & origo è paradiso est. Quando itaque sacerdotes vestri ad nos redeunt, sordes eorum auferens Ecclesia nostra, permittit eos functionem ministerij exercere iuxta verum verbi diuini sensum.

Didimus.

Totus ineptus es vt video, *Orthodoxe.* Post tot enim verborum ambages, concedis totum quod *Philodoxus* per suum argumentum intendit, nimirum Ecclesiam vestram sacerdotes *Romanos* ad ministerium absq; aliqua noua ordinatione admittere, vnde quid sequatur, tu ignorare nequis. Dicis hoc quidẽ fieri, ablutis tamen eorum sordibus. Sed quomodo, quæso, abluuntur? subscribendo articulis religionis vestræ? Ita quidem insinuas, sed nimis ridiculè. Subscriptionem enim quibuscunque articulis factã, etiam *Turcismo*, ordinationi iam receptæ nihil præiudicare, neque quicquam in eo immutare, siue in melius, siue in peius posse clarũ est: nisi dicamus ordinationẽ,

Post tot verba concedit quod in quæstione ponitur.

ſicut & fidem nos obijcere poſſe, quod tamen in *Chriſtiana* doctrina (quam tu in hac parte amplecteris) abſurdum eſt. Subſcriptio itaque Sacerdotium receptum in eodem ſtatu, quo prius erat, quantum ad eius eſſentiam & ſubſtantiam relinquens, nihil ei amputat, vel eradit, & conſequenter totũ & integrũ, vt in Eccleſia *Romana* cõfertur, à veſtra Eccleſia, Sacerdotes noſtros Apoſtatas recipiendo, admitti neceſſe eſt. Sed hæc dicta ſunt, non tam ad proſecutionem præſentis inſtituti, ad quod reuera non pertinent, quam ad oſtenſionem vanitatis, & nequitiæ religionis & Eccleſiæ veſtræ prætenſæ, quæ Sacerdotes *Antichriſto* (iuxta veſtram doctrinam) conſecratos pro legitimis myſteriorum ſuorum miniſtris amplectitur. Et hanc quidem ſequelam ex doctrina & praxi Eccleſiæ veſtræ clarè deductam, etiamſi te in mille formas mutaueris, nunquam euitare poſſis. Sed & illud quoque ſupra modum eſt abſurdum, quod Parlamenti veſtri decretum, vti regulam, cui Eccleſia veſtra in rebus & actionibus ad religionem ſpectantibus ſe conformare debet, allegare non erubeſcas, præſertim cum in his ipſis lineis omnia per verum

Conſultũ Parlamenti vel pro Scriptura vel pro Scriptura interprete admittere debet Maſonus.

Scripturę ſonum& ſenſum redigere prętendis. Quid? Parlamenti conſultum, eſtnè tibi Scriptura diuina, aut ſaltem legitimus illius interpres? Sic ſtulti & vecordes eſtis, vt cum Eccleſiæ Vniuerſalis, ſacrorum Conciliorum, & patrum authoritatem in rebus fidei, & religionis decidendis, ac determinandis, reieceritis, ad paucorum hominum laicorum iudicium recurratis. Fateor tamen incongruum non eſſe, vt religio & Eccleſia ſolius Parlamenti authoritate fundata (qualis eſt veſtra) eâdem & regatur & dirigatur. Sed tibi *Orthodoxe*, iudicandũ relinquo, qualis iſta Eccleſia & religio futura ſit. Et hic Trialogi noſtri finis eſto.

Et digne idquidẽ.

Hactenus contra *Maſonum* probauimus, quod etiamſi prætenſi *Angliæ* Epiſcopi vocationem ſuam & ordinationem ab Epiſcopis *Catholicis* reuera receperint, veri tamen ac legitimi paſtores, etiam iuxta ſuam ipſorum doctrinam, non eſſent, vtpote ab eis ordinati, quos ipſi hæreticos æſtimant. Hæretici enim nullam legitimam vocationem conferre poſſe, ex iam dictis ſatis conſtat, & ex infra dicendis clariùs etiam apparebit.

Apologia Maſoni pro Epiſcopis Anglis multipliciter defecit.

Deinde etiamſi nullus ineſſet illis ex

hoc capite defectus, tamen quia non integram Sacerdotij *Romani* ordinationem, sed dimidiatam tantum recipiant; cum tamen in partes illud diuidi nequeat, nihil penitus illius, & consequenter nullam penitus vocationem habere conuincuntur. Denique esto habeant aliquam partem Sacerdotij *Romani*, non statim inde sequitur, illam partem legitimam vocationem constituere. Et tametsi talem reuera constitueret, tantum abest vt Ecclesiam *Anglicanam* ædificaret, & legitimam efficeret, vt illam penitus destrueret, & schismaticum conuenticulũ redderet, illam nimirum non solum ab Ecclesia *Romana*, sed etiam ab omnibus alijs falsò dictis reformatis necessariò separando, & ab earum vnione, & communione illam manifestè diuidendo. Quocunque itaq; se vertit *Masonus*, nihil prorsus Ecclesiæ, & Episcopis suis in Sacerdotio *Romano* præsidij reperire potest. His ita constitutis, prædictorum Ecclesiæ *Anglicanæ* Episcoporum vocationem & ordinationem iuxta tria præfata capita; scilicet ordinati, ordinantis, & ordinationis dehinc examinabimus. Nimirum, vtrum vocatio quam à *Cranmero* recipe-

re prætendunt, valida sit & legitima, tam ex parte *vocantis* & vocati, quam ex parte ipsius *vocationis*. Supponendo interim, tanquam extra controuersiam positum, vocationem Episcoporum Ecclesiæ *Romanæ*, adeo saltem legitimam & sufficiẽtem esse, vt ex ea legitima vocatio deriuari possit.

Ordo futuræ disputationis.

Et quia illi, de quorum vocatione nostra hîc instituenda est disputatio, quadrifariàm, siue in quatuor classes, vel gradus distinguuntur, propter totidẽ distinctas difficultates, quæ in eorum ordinatione occurrere noscuntur, diuersas etiã quæstiones de eisdem instituere necesse erit. In quibus tractandis ordinem obseruatum à *Masono* sequemur. Agentes primo de *Cranmero*, qui tempore *Henrici* Octaui ordinatus fuit Archiepiscopus *Cantuariensis*. Deinde de *Barloo*, *Scoreo*, *Couerdallo*, alijsque sub *Eduardo* sexto *Henrici* filio, ad Episcopatus euectis. Tertiò de *Parkeo*, cœterisque initio regni *Elizabethæ* in sedes Episcopales intrusis. Quartò denique de ijs omnibus, qui vsque hodie primis illis sub *Elizabetha* ordinatis successerunt. Quamuis enim in omnibus & singulis istis inueniantur impedimenta canonica, non tamen ea-

dem omnibus insunt, ac proindè de omnibus simul & semel tractare commodè non possumus. De illis vero, qui sub *Maria* Regina fratri suo E*duardo* in regno succedente, vel consecrati, vel in Episcopatibus conseruati fuerunt, nullam hîc facimus mentionem : quia illos omnes *Catholico* ritu ordinatos fuisse, ipsis aduersarijs in confesso est. Et tametsi eorum aliqui in schismate cum *Henrico* Octauo aliquando fuerint : toto tamen regno vnitati Ecclesiæ, & sedis Apostolicæ obedientiæ, sub initium Regni *Mariæ* reconciliato, nullum legale seu canonicum impedimentum ex illo capite in eis remanere potuit. Sed etiam præter hanc generalem reconciliationem, per Illustrissimum *Cardinalem Polum*, sedis Apostolicæ à latere Legatum, in suis sedibus confirmati fuerunt vt *Masonus* ipse refert ex *Sandero*.

De Episcopis sub Regina Maria ordinatis nulla est hic mentio, & quare.

a. 19.

CAPVT

CAPVT VNDECIMVM.

Vtrum Cranmerus *fuit legitimè, & canonicè ordinatus Episcopus, & vtrũ legitimam alios ordinandi potestatem habuit.*

CRANMERVM fuisse *Catholico* ritu, & cœremonijs ordinatum tã in Sacerdotem quam Episcopum, ac proinde characterem Episcopalem recepisse non est nobis in controuersia. Quæstio tantum hîc nobis est, an fuerit legitimè, & absque omni canonico impedimento ordinatus necné. Nullus enim ignorat longe aliud esse aliquem verè, ac validè ordinari, aliud vero legitimè vel canonicè ordinari: vel vt *Masonus* noster loquitur, aliud esse legitimum ordinem recipere, aliud vero legitimè ordinem recipere.

Quadruplex impedimentum ordinationis Cranmeri.

Cranmerum autem quadruplicem habuisse ordinationis suæ Canonicum obicem, nimirum bigamiam, actuale connubium, schisma, & hæresim, ex

aduersariorum ipsorum testimonio constat. Audi quid de eo scripsit *Anglicus* author anonymus quidem, sed *Londini* nuper impressus, & religionis reformatæ assertor non obscurus. *Cranmerus vxore iãdudum orbatus, quam adolescens duxerat, puellæ cuiusdam amore irretitus tenebatur (hæc erat neptis vxoris Osiandri) quam etiam secundo connubio sibi iungere omnimodis decreuerat, quamuis legibus Ecclesiasticis vetitum nõ ignoraret, aut sacerdotem maritum fieri, aut sacris quenquam initiari, qui vxori quamuis defunctæ aliam superinduxisset.* Et post pauca. *Crãmerus vero postquam Norimbergæ ducta clanculum vxore (scilicet secundâ) domum reuertisset, Regis importunitate omnes difficultates peruincente, Archiepiscopus Cantuariensis quantumuis inuitus & renitens factus est. Nam cum ideo se dignitatem oblatam recusare diceret, quod Pontifici contra ius fasque sacramento esset obstringendus; Diploma Pontificium regi tradidit in manus, nunquam futurum asserens, vt ab alio quam ipso, qui caput esset Ecclesiæ Anglicanæ, Episcopatum Anglicanum acciperet, aut iusiurandum aliquod authoritati Regiæ derogatorium præstaret. Huic tandem malo Iurisperitorum ingenio remedium hoc inuentum est, vt protestatione nescio qua præuia*

Annal. rerum Anglican. in Henrico 8. anno 24.

Non legibus tãtum Ecclesiasticis, sed etiam Apostolicis bigami à sacerdotio excluduntur. Episcopus sit vnius vxoris vir ad Ti. 1. Sacerdos iam fuerat per nonnullos annos.

caueret, ne iusiurandum huiusmodi, quod pro more suscipi oportebat, sibi iuranti quouis modo fraudi esset.

Ex his clarè constat *Cranmerum*, cum in Archi episcopum sacratus sit, & bigamum, & sacrilego connubio coniunctũ, & schismate à summo Pontifice, & sede Apostolica separatum, atque tandem turpissima & insulsissima hæresi, quæ regem caput Ecclesiæ *Anglicanæ* constituit, infectum fuisse; dignum sane Ecclesiæ nouæ Metropolitanum, & futuræ reformationis *Anglicanæ* magistrum. Si quidẽ *Masonus*, vel quiuis alius vnam tantum instantiam à tempore *S. Petri* vsque ad ipsum *Cranmerum*, Episcopi alicuius vno tantum prædictorum impedimentorum irretiti, & pro legitimo Episcopo ab Ecclesia habiti, proferre possit, liceat illi de legitima & canonica *Cranmeri* ordinatione gloriari: sin autem hoc præstare nequeat (sicut clarissimum est quod nequeat) pudeat illum, & omnes pariter *Protestantes Anglos*, illam Religionem, & Ecclesiam sectari, & profiteri, quæ talem patrem & progenitorem habuerit.

Dignus nouæ Ecclesiæ Metropolitanus.

Quadruplicem hanc irregularitatem, nefario etiam periurio flagitiosissimus

Periurus Crãmerus.

homo coronauit. Iuramentum enim de obedientia summo Pontifici præstanda, ab ordinatis suscipi consuetum, verbis quidem & ore præstitit, & tamen prȩuiã protestationem directè in contrarium fecit, vt tam prædictus author in verbis iam relatis, quam *Masonus* ipse fatentur. Plura de eius vita & moribus ad finem huius Capitis videbis, Lector.

Simulator egregius.

Quamdiù vixit Rex *Henricus Cranmerus* in omnibus *Catholicum* se ostendit, excepto articulo de summi Pontificis primatu. Post mortem autem illius labitur primo in *Lutheranismum*, & non multo post in *Zuinglianismum*, vt statim videbitur, non tam alios in fide instruens, quãuis Metropolitani dignitate gaudebat, quam ab alijs, quos docere debebat, Religionem turpiter discens, principum & magnatum, qui rerum potiebantur, adulator semper egregius.

Ex quibus clarè constat illum nunquã fuisse legitimum Episcopum, neque canonicè ordinatum. Sed ad nostrum institutũ neque hoc est necessariũ; ac proinde dico, quod etiamsi fuisset canonicè ordinatus, legitimum tamen ordinis Episcopalis vsum, & exercitiũ satis diu ante mor-

tem amiſerit, ac proinde veram vocationem alijs conferre non potuerit. Hoc ſecundũ, priori probato, neceſſariò ſequitur; ſed primo aduertere te velim Lector, nos non negare *Cranmerum* verè, ac validè fuiſſe ordinatum Epiſcopum, vel characterẽ Epiſcopalem per ſuã ordinationẽ recepiſſe, ſed tantum vel ordinationem eius non fuiſſe legitimã, hoc eſt nõ fuiſſe abſq; tali obice vel impedimẽto, quod legitimũ ordinis recepti vſum impediret & ſuſpẽderet: vel ſi legitima fuerit eius ordinatio, tamen rectũ & legitimũ ordinis ſui vſum poſtea eum amiſiſſe. Hoc ſecundũ, quod inſtituto noſtro abundè ſufficit, ita oſtẽditur. Per ſchiſmata & hæreſes amittitur legitimus vſus ordinis recepti. Sed *Cranmerus* ſchiſmaticus & hæreticus fuit. Ergo etiamſi canonicè fuerit ordinatus, legitimũ ordinis Epiſcopalis vsũ amiſit. Forma iſtius argumẽti legitima eſt & cõcludit directè id quod intenditur, modò præmiſſæ veræ reperiantur: Eas igitur probare oportet.

Vſum ſui ordinis amiſit.

Et prima quidẽ ex aduerſarij noſtri doctrina cõſtat, qui ita ſcribit. *Qui ſubſtantiã inſtitutionis obſeruant, ipſimet in ſchiſmate vel hæreſi exiſtentes, miniſtrant quidem legitimum*

Pag. 81.

ministerium, sed non legitimè. Et *qui à talibus baptizãtur, recipiunt quidẽ legitimũ baptismũ, non tamen legitimè.* Vbi licet mentionem faciat solius baptismi, idem tamen intelligit de sacro ordine. Pagina enim sequẽti ita dicit: *Si per characterem indelebilem intelligatur donum gratuitum nunquam iterandum, fatebimur in baptismo, & sacro ordine imprimi indelebilem characterem. Nam qui ritè fuerit baptizatus, sit Turca aut Iudæus, & postea ad fidem reuertatur, non iterum baptizatur. Similiter Sacerdos legitimè ordinatus, factus schismaticus aut hæreticus, iustam quidem pro crimine suo censuram patitur, reconciliatus tamen, & ab errore suo reuocatus, reordinari nõ potest, sed virtute ordinis prius suscepti functionem suam exercebit.* Hinc clarè constat schismata & hæreses legitimum sacri ordinis vsum, iuxta *Masoni* doctrinam tollere; quæ fuit prima præmissarũ, quas habuimus probãdas. Sed firmiori authoritate (ne ab alijs doctrina *Masoni* reijciatur) idem stabiliendum est. Atque vt omnem effugiendi viã aduersarijs præcludamus, primo ostẽdendũ est, neq; schismata neq; hæreses potestatẽ ordinis recepti tollere vel destruere. Quod tametsi absq; vlteriore probatione supponere iure posse-

Hæresis potestatẽ ordinis nõ tollit.

mus, vtpote à *Masono* non conc[illegible]ssum modo, sed etiã probatũ, quia tamen non *Masonum* solũ refutare, sed contra omnes *Protestantes Anglos*, Episcopos suos nullam habere vocationẽ probare statuerimus, nihil, quod à quouis in dubium vocari possit, probandum relinquemus.

S. Leo cognomento *Magnus*, *Donatum Salicinensem* Episcopum, ab hæresi *Nouatiana*, ad fidem, & Ecclesiæ *Catholicæ* vnitatem conuersum, cum grege suo recepit, eumque absque noua ordinatione in munere Episcopali reliquit.

Epist. 87. ad Episcop. Africæ n. 3.

Et de *Maximo* quodam ita scribit. *Maximum quoque ex laico licet reprehensibiliter ordinatum, tamen si Donatista iam non est, & à spiritu schismaticæ prauitatis alienus, ab Episcopali dignitate non repellimus.*

Secundò, septima synodus generalis, quæ secunda *Nycena* dicitur, iuxta doctrinam antiquorum Conciliorum & Patrum definiuit, non solum Episcopos, aliosque Ecclesiasticos, qui hæresim aliquandò professi, & ad fidem denuò conuersi fuerunt, sed eos etiam, qui ab hæreticis ordinati, ad fidem similiter redeuntes recipiendos esse, non tantum ad Ecclesię vnitatem, verum etiam ad or-

Synod. 7. actione 1. per totum.

dinis & dignitatis suæ vsum & exercitium. Quinimmo illa synodus decem Episcopos, quorum aliqui natos se in hæresi, in eaque vsque ad illum diem vixisse confessi sunt, ad communionem recepit.

Aug. de bono cōiugali cap. 24. Tertiò *S. Augustinus* idem expresse docet. *Manet in ordinatis* (inquit ille) *sacramentum ordinationis, & si aliqua culpa quisquam ab officio remoueatur, sacramento Domini semel imposito non carebit, quamuis ad iudiciū permanente.* Et in alio loco: *Lib. 2. con. epi. Parm. cap. 13.* *Vtrumque est sacramentum, & quadam consecratione vtrūque homini datur; illud cum baptizatur; istud cū ordinatur, ideoque in Catholica* Ecclesia *vtrūque non licet iterari*; cū pluribus alijs ad idē spectantibus per totū illud caput. Et ista sufficiunt ad huius veritatis confirmationē quæ indubitata est, tā iuxta *Christianæ* doctrinæ principia, quā totius Ecclesiæ vsū & praxim, quę reordinationē nunquā approbauit, quin potius expresse improbauit in Concilio *Capuano* tēpore *S. Ambrosii*; quod de vera ac valida ordinatione intelligi debet. Nam Concilium *Nycenum* primum, statuit *Paulianistas* à *Catholicis* Episcopis reordinandos esse, quia nimirum isti hæretici verum baptismum non

Huius Concilij canon citatur à Conc. 3. Carthag. apud Bin. to. 1. pag. 545. Conc. Nycen. can. 19. Bin. to. 1.

ministrabant, multo vero minus verum ordinem. Idcirco si quisquam reordinationes in Ecclesia vnquam exercuisse legatur, id factum fuisse ex coniectura & opinione essentialis alicuius defectus in priori ordinatione certum est: Quam recte vero vel probabiliter hoc gestum sit, neque est huius loci statuere, neque ad præsens institutum quicquam spectat. Ex hactenus dictis constat, hæresis professionem, characterem, vel potestatem ordinis recepti non delere, neque tollere. Restat iam probare, quod legitimum ordinis vsum, & exercitium tollat, quod præcipuè probandum nobis proposuimus.

Hæresis tollit legitimum ordinis vsum.

Quod ordinationes ab hæreticis factæ illegitimæ semper habitæ sint, nihil in toto Ecclesiæ cursu clarius esse potest. Concilium *Nicenum* primum statuit, ordinatos à *Meletiano* hæretico, ad fidem conuersos, recipiendos quidem esse, sed *sacratioribus suffragiis confirmatos*, vt habet *Theodoretus*, ipso vero *Meletio* omni ordinandi iure penitus priuato.

Theodo. li. 1. hist. cap. 9.

Et secunda synodus *Nycena* prolixè admodum disputauit, vtrum ordinati ab hæreticis, essent post pœnitentiam, ad

vſum ordinis ſui recipiendi, vti patet ex tota fere actione prima, non quia dubitabat, num verè ac validè eſſent ordinati, ordines enim ſacros, ſicut & baptiſmum ab hæreticis validè conferri Eccleſia ſemper docuit, vt ex *S. Auguſtino* iam vidimus, ſed quia clarum erat, quod legitimè & canonicè non eſſent ad ordines ſacros euecti.

Concilium quoque *Sardicenſe* nõ ſolum *Gregorium Alexandrinum*, *Baſyliũ Ancyranum*, & *Quintianum Gazenſem*, hæreticos, & in aliorum ſedes illicitè intruſos declarauit, ſed etiam *Theodorum Heracleum*, *Narciſſum Neronadienſem*, cum nõnullis aliis hæreſis *Arianæ* conuictis, *Epiſcopos non eſſe* denũciauit; non quia poteſtate ordinis Epiſcopalis caruerint, ſed quia legitimum illius vſum in hæreſi exiſtentes nõ habuerint. Et de præfato *Gregorio* ita ſcripſit. *Eos, qui inſtar luporum irruerunt in Eccleſias alienas, Gregorium Alexandriæ, Baſilium Ancyræ, Quintianũ Gazæ, neque Epiſcopos appellandos, neque adeo Chriſtianos, fugiendamque ipſorum conſuetudinem vniuerſis.*

Theod. l. 2. hiſt. c. 8. poſt medium

Et *Sanctus Athanaſius* in perſona *Iulij* Papæ. *Impoſſibile eſt Secundi ordinatio-*

Athanaſ. in Apol. 2. in Epiſt. Iulij.

nem vtpote Ariani, vim vllam in Ecclesia habere.

Et *S. Basilius. Non noui* Episcopum, *neque inter Sacerdotes Christi numerauerim, qui à cõtaminatis manibus in fidei vastationem, ad dignitatem aliquam fuerit prouectus.*

S. Basil. in Epist. ad Nycopolitas citata in 7. Synodo act. 1. ad finem.

Idem docent passim aliij Patres, & nominatim *Innocentius* primus, & Nicolaus item primus, quos, *Masonus* non intelligens, aut saltem eorum mentem dissimulans, mouet dubium, quo modo cum *Catholica* doctrina, reordinationem prohibente, conciliari possint. Cum si suam ipsius doctrinam, qua inter potestatem ordinis, & legitimum eius vsum, vel inter legitimum, & legitimè susceptũ ordinem expresse, (vt paulo superius vidimus) distinguit, aduerteret, nullã plane in horum patrum sententiis cum *Catholica* doctrina repugnantiam, neq; repugnantiæ speciem inuenisset. Quando enim vel sacra concilia, vel sancti patres ordinationes ab hæreticis factas, vti validas recipiunt, potestatem ordinis, seu characterem Sacramentalem, ab illis verè collatum agnoscunt, legitimum vero vsum eiusdem potestatis, quem per ordinationem non receperant per recõ-

Inno. Epist. 22. c. 2. apud Bin. tom. 1. p. 581.

Nico. Epi. 9. Bin. to. 3. pag. 699.

Masonus pag 78. & p. 87.

aduersariorum ipsorum testimonio constat. Audi quid de eo scripsit *Anglicus* author anonymus quidem, sed *Londini* nuper impressus, & religionis reformatæ assertor non obscurus. *Cranmerus vxore iã dudum orbatus, quam adolescens duxerat, puellæ cuiusdam amore irretitus tenebatur (hæc erat neptis vxoris Osiandri) quam etiam secundo connubio sibi iungere omnimodis decreuerat, quamuis legibus Ecclesiasticis vetitum nõ ignoraret, aut sacerdotem maritum fieri, aut sacris quenquam initiari, qui vxori quamuis defunctæ aliam superinduxisset.* Et post pauca. *Crãmerus vero postquam Norimbergæ ducta clanculum vxore (scilicet secundâ) domum reuertisset, Regis importunitate omnes difficultates peruincente, Archiepiscopus Cantuariensis quantumuis inuitus & renitens factus est. Nam cum ideo se dignitatem oblatam recusare diceret, quod Pontifici contra ius fasque sacramento esset obstringendus; Diploma Pontificium regi tradidit in manus, nunquam futurum asserens, vt ab alio quam ipso, qui caput esset Ecclesiæ Anglicanæ, Episcopatum Anglicanum acciperet, aut iusiurandum aliquod authoritati Regiæ derogatorium præstaret. Huic tandem malo Iurisperitorum ingenio remedium hoc inuentum est, vt protestatione nescio qua præuia*

Annal. rerum Anglican. in Henrico 8. anno 24.

Non legibus tãtum Ecclesiasticis, sed etiam Apostolicis bigami à sacerdotio excluduntur. Episcopus sit vnius vxoris vir ad Ti. 1. Sacerdos iam fuerat per nonnullos annos.

caueret, ne iusiurandum huiusmodi, quod pro more suscipi oportebat, sibi iuranti quouis modo fraudi esset.

Ex his clarè constat *Cranmerum*, cum in Archi episcopum sacratus sit, & bigamum, & sacrilego connubio coniunctũ, & schismate à summo Pontifice, & sede Apostolica separatum, atque tandem turpissima & insulsissima hæresi, quæ regem caput Ecclesiæ *Anglicanæ* constituit, infectum fuisse; dignum sane Ecclesiæ nouæ Metropolitanum, & futuræ reformationis *Anglicanæ* magistrum. Si quidẽ *Masonus*, vel quiuis alius vnam tantum instantiam à tempore *S. Petri* vsque ad ipsum *Cranmerum*, Episcopi alicuius vno tantum prædictorum impedimentorum irretiti, & pro legitimo Episcopo ab Ecclesia habiti, proferre possit, liceat illi de legitima & canonica *Cranmeri* ordinatione gloriari: sin autem hoc præstare nequeat (sicut clarissimum est quod nequeat) pudeat illum, & omnes pariter *Protestantes Anglos*, illam Religionem, & Ecclesiam sectari, & profiteri, quæ talem patrem & progenitorem habuerit.

Dignus nouæ Ecclesiæ Metropolitanus.

Quadruplicem hanc irregularitatem, nefario etiam periurio flagitiosissimus

Periurus Crãmerus.

homo coronauit. Iuramentum enim de obedientia summo Pontifici præstanda, ab ordinatis suscipi consuetum, verbis quidem & ore præstitit, & tamen prȩuiã protestationem directè in contrarium fecit, vt tam prædictus author in verbis iam relatis, quam *Masonus* ipse fatentur. Plura de eius vita & moribus ad finem huius Capitis videbis, Lector.

Simulator egregius.

Quamdiù vixit Rex *Henricus Cranmerus* in omnibus *Catholicum* se ostendit, excepto articulo de summi Pontificis primatu. Post mortem autem illius labitur primo in *Lutheranismum*, & non multo post in *Zuinglianismum*, vt statim videbitur, non tam alios in fide instruens, quã uis Metropolitani dignitate gaudebat, quam ab alijs, quos docere debebat, Religionem turpiter discens, principum & magnatum, qui rerum potiebantur, adulator semper egregius.

Ex quibus clarè constat illum nunquã fuisse legitimum Episcopum, neque canonicè ordinatum. Sed ad nostrum institutũ neque hoc est necessariũ; ac proinde dico, quod etiamsi fuisset canonicè ordinatus, legitimum tamen ordinis Episcopalis vsum, & exercitiũ satis diu ante mor-

tem amiserit, ac proinde veram vocationem alijs conferre non potuerit. Hoc secundũ, priori probato, necessariò sequitur; sed primo aduertere te velim Lector, nos non negare *Cranmerum* verè, ac validè fuisse ordinatum Episcopum, vel characterẽ Episcopalem per suã ordinationẽ recepisse, sed tantum vel ordinationem eius non fuisse legitimã, hoc est nõ fuisse absq; tali obice vel impedimẽto, quod legitimũ ordinis recepti vsum impediret & suspẽderet: vel si legitima fuerit eius ordinatio, tamen rectũ & legitimũ ordinis sui vsum postea eum amisisse. Hoc secundũ, quod instituto nostro abundè sufficit, ita ostẽditur. Per schismata & hæreses amittitur legitimus vsus ordinis recepti. Sed *Cranmerus* schismaticus & hæreticus fuit. Ergo etiamsi canonicè fuerit ordinatus, legitimũ ordinis Episcopalis vsũ amisit. Forma istius argumẽti legitima est & cõcludit directè id quod intenditur, modò præmissæ veræ reperiantur: Eas igitur probare oportet.

Vsum sui ordinis amisit.

Et prima quidẽ ex aduersarij nostri doctrina cõstat, qui ita scribit. *Qui substantiã institutionis obseruant, ipsimet in schismate vel hæresi existentes, ministrant quidem legitimum*

Pag. 81.

ministerium, sed non legitimè. Et qui à talibus baptizãtur, recipiunt quidẽ legitimũ baptismũ, non tamen legitimè. Vbi licet mentionem faciat solius baptismi, idem tamen intelligit de sacro ordine. Pagina enim sequẽti ita dicit: *Si per characterem indelebilem intelligatur donum gratuitum nunquam iterandum, fatebimur in baptismo, & sacro ordine imprimi indelebilem characterem. Nam qui ritè fuerit baptizatus, sit Turca aut Iudæus, & postea ad fidem reuertatur, non iterum baptizatur. Similiter Sacerdos legitimè ordinatus, factus schismaticus aut hæreticus, iustam quidem pro crimine suo censuram patitur, reconciliatus tamen, & ab errore suo reuocatus, reordinari nõ potest, sed virtute ordinis prius suscepti functionem suam exercebit.* Hinc clarè constat schismata & hæreses legitimum sacri ordinis vsum, iuxta *Masoni* doctrinam tollere; quæ fuit prima præmissarũ, quas habuimus probãdas. Sed firmiori authoritate (ne ab alijs doctrina *Masoni* reijciatur) idem stabiliendum est. Atque vt omnem effugiendi viã aduersarijs præcludamus, primo ostẽdendũ est, neq; schismata neq; hæreses potestatẽ ordinis recepti tollere vel destruere. Quod tametsi absq; vlteriore probatione supponere iure posse-

Hæresis potestatẽ ordinis nõ tollit.

mus, vtpote à *Masono* non concessum modo, sed etiã probatũ, quia tamen non *Masonum* solũ refutare, sed contra omnes *Protestantes Anglos*, Episcopos suos nullam habere vocationẽ probare statuerimus, nihil, quod à quouis in dubium vocari possit, probandum relinquemus.

S. Leo cognomento *Magnus*, *Donatum Salicinensem* Episcopum, ab hæresi *Nouatiana*, ad fidem, & Ecclesiæ *Catholicæ* vnitatem conuersum, cum grege suo recepit, eumque absque noua ordinatione in munere Episcopali reliquit.

Epist. 87. ad Episcop. Africæ n. 3.

Et de *Maximo* quodam ita scribit. *Maximum quoque ex laico licet reprehensibiliter ordinatum, tamen si Donatista iam non est, & à spiritu schismaticæ prauitatis alienus, ab Episcopali dignitate non repellimus.*

Secundò, septima synodus generalis, quæ secunda *Nycena* dicitur, iuxta doctrinam antiquorum Conciliorum & Patrum definiuit, non solum Episcopos, aliosque Ecclesiasticos, qui hæresim aliquandò professi, & ad fidem denuò conuersi fuerunt, sed eos etiam, qui ab hæreticis ordinati, ad fidem similiter redeuntes recipiendos esse, non tantum ad Ecclesię vnitatem, verum etiam ad or-

Synod. 7. actione 1. per totum.

miniſtrabant, multo vero minus verum ordinem. Idcirco ſi quiſquam reordinationes in Eccleſia vnquam exercuiſſe legatur, id factum fuiſſe ex coniectura & opinione eſſentialis alicuius defectus in priori ordinatione certum eſt: Quam recte vero vel probabiliter hoc geſtum ſit, neque eſt huius loci ſtatuere, neque ad præſens inſtitutum quicquam ſpectat. Ex hactenus dictis conſtat, hæreſis profeſſionem, characterem, vel poteſtatem ordinis recepti non delere, neque tollere. Reſtat iam probare, quod legitimum ordinis vſum, & exercitium tollat, quod præcipuè probandum nobis propoſuimus.

Hæreſis tollit legitimum ordinis vſum.

Quod ordinationes ab hæreticis factæ illegitimæ ſemper habitæ ſint, nihil in toto Eccleſiæ curſu clarius eſſe poteſt. Concilium *Nicenum* primum ſtatuit, ordinatos à *Meletiano* hæretico, ad fidem conuerſos, recipiendos quidem eſſe, ſed *ſacratioribus ſuffragiis confirmatos*, vt habet *Theodoretus*, ipſo vero *Meletio* omni ordinandi iure penitus priuato.

Theodo. li. 1. hiſt. cap. 9.

Et ſecunda ſynodus *Nycena* prolixè admodum diſputauit, vtrum ordinati ab hæreticis, eſſent poſt pœnitentiam, ad

vſum ordinis ſui recipiendi, vti patet ex tota fere actione prima, non quia dubitabat, num verè ac validè eſſent ordinati, ordines enim ſacros, ſicut & baptiſmum ab hæreticis validè conferri Eccleſia ſemper docuit, vt ex *S. Auguſtino* iam vidimus, ſed quia clarum erat, quod legitimè & canonicè non eſſent ad ordines ſacros euecti.

Concilium quoque *Sardicenſe* nõ ſolum *Gregorium Alexandrinum, Baſyliũ Ancyranum,* & *Quintianum Gazenſem,* hæreticos, & in aliorum ſedes illicitè intruſos declarauit, ſed etiam *Theodorum Heracleum, Narciſſum Neronadienſem,* cum nõnullis aliis hæreſis *Arianæ* conuictis, *Epiſcopos non eſſe* denũciauit; non quia poteſtate ordinis Epiſcopalis caruerint, ſed quia legitimum illius vſum in hæreſi exiſtentes nõ habuerint. Et de præfato *Gregorio* ita ſcripſit. *Eos, qui inſtar luporum irruerunt in Eccleſias alienas, Gregorium Alexandriæ, Baſilium Ancyræ, Quintianũ Gazæ, neque Epiſcopos appellandos, neque adeo Chriſtianos, fugiendamque ipſorum conſuetudinem vniuerſis.*

Theod. l. 2. hiſt. c. 8. poſt medium

Et *Sanctus Athanaſius* in perſona *Iulij* Papæ. *Impoſſibile eſt Secundi ordinatio-*

Athanaſ. in Apol. 2. in Epiſt. Iulij.

nem vtpote Ariani, vim vllam in Ecclesia habere.

Et *S. Basilius. Non noui* Episcopum, *neque inter Sacerdotes Christi numerauerim, qui à cõtaminatis manibus in fidei vastationem, ad dignitatem aliquam fuerit prouectus.*

S. Basil. in Epist. ad Nycopolitas citata in 7. Synodo act. 1. ad finem.

Idem docent passim aliij Patres, & nominatim *Innocentius* primus, & Nicolaus item primus, quos, *Masonus* non intelligens, aut saltem eorum mentem dissimulans, mouet dubium, quo modo cum *Catholica* doctrina, reordinationem prohibente, conciliari possint. Cum si suam ipsius doctrinam, qua inter potestatem ordinis, & legitimum eius vsum, vel inter legitimum, & legitimè susceptũ ordinem expresse, (vt paulo superius vidimus) distinguit, aduerteret, nullã plane in horum patrum sententiis cum *Catholica* doctrina repugnantiam, neq; repugnantiæ speciem inuenisset. Quando enim vel sacra concilia, vel sancti patres ordinationes ab hæreticis factas, vti validas recipiunt, potestatem ordinis, seu characterem Sacramentalem, ab illis verè collatum agnoscunt, legitimum vero vsum eiusdem potestatis, quem per ordinationem non receperant per recõ-

Inno. Epist. 22. c. 2. apud Bin. tom. 1. p. 581.

Nico. Epi. 9. Bin. to. 3. pag. 699.

Masonus pag 78. & p. 87.

ciliationem & reunionem ad Ecclesiam, illis conferunt. Quando vero dictas ordinationes vti nullas reijciunt (quod faciunt non solum *Innocentius*, & *Nicolaus* à *Masono* citati, sed alij omnes patres, cum de legitimo ordinationis vsu loquuntur, vt ex Concilio *Sardicensi* constat) non ordinis potestatem, sed rectum, & licitum illius vsum negare volunt. Istum enim ordinis vsum, quandiù ab Ecclesiæ vnitate per hæresim separantur, obtinere nequeunt. Rectus enim ac legitimus sacri Ordinis vsus, vnionem & communionem cum Ecclesia *Catholica*, ex doctrina omniũ Orthodoxorum necessariò requirit. Porro vera, legitima, atque perfecta potestas pastoralis, seu vocatio ad ministerium verbi diuini & Sacramentorum, non tantũ realem, & Sacramentalem ordinis potestatem, sed legitimũ eadem potestate vtendi ius, & authoritatem requirit. Cũ itaq; hæretici istud ius, & authoritatem non habeant, illam aliis conferre nequeunt; ac proindè, rectè ab *Innocentio*, & *Nicolao* negantur, *Quicquam aliis conferre, cum ipsi nihil habeant.* Qui enim vsum ad quẽ res aliqua destinatur, non habet, rem

ipſam non habere nonnunquam dicitur. Atque idcirco difficultas, quam *Maſonus* ſibi finxit, in reconcilianda doctrina *Innocentij*, & *Nicolai*, qua docet ordinatos ab hæreticis nihil recipere, quia illi nihil habent quod dent, cum aliorum Patrum, & Conciliorum reordinationem prohibentium doctrina, facile vincitur, & profligatur.

Et quod vnio, & communio cum vera *Chriſti* Eccleſia (vbicunque illa ſit) ad legitimum ſacri Ordinis vſum, & conſequenter ad legitimam vocationem conferendam neceſſario requiratur, aduerſarij negare non audent. Quæro enim ab eis, vtrum *Ariani* in hæreſi ſua permanentes, legitimam vocationem vel habuerint, vel alijs conferre potuerint. Si reſpondeant affirmatiuè, vniuerſam Eccleſiam *Catholicam*, quæ in Concilio *Sardicenſi*, eos Epiſcopos non eſſe denunciauit, erroris, & iniuſtitiæ condemnabunt. Si negatiuè reſpondeant, præter poteſtatem ordinis, actualem cum Eccleſia *Catholica* vnionem, ad legitimam vocationem, tam habendam, quam aliis conferendam neceſſariam eſſe fateantur oportet; cum

nullum alium legitimæ vocationis defectum in *Arianis* Episcopis assignare quisquam possit.

Hactenus probauimus Episcopos in hæresim lapsos, quamuis validè, & sufficienter ordinatos, legitimum Episcopalis potestatis, seu ordinis vsum non habere, & consequenter neque vocationem legitimam alijs conferre posse, quod in prima præmissarum argumenti nostri ostendendum habuimus. Restat modo vt secundam probemus, nimirum *Cranmerum* hæreticum fuisse.

Et tametsi non sit mihi omnino necesse istud probare, sed hoc solo argumento conclusionem propositam cõfirmare, nimirum: Vel *Cranmerus* post discessum suum ab Ecclesia *Romana* hæreticus fuit, vel saltem illi, qui eum ordinârunt, erant hæretici (quippe qui religionem *Romanam* profitebantur.) Sed si vel isti, vel ille hæretici erant, ipse neque canonicè ordinari, neque legitimum ordinis sui vsum, & exercitium habere potuit. Ergo *Cranmerus* vtrum hæreticus fuerit necne, legitimus Episcopus esse nequiuit. Hoc argumentum si totius Ecclesiæ tam antiquæ, quam moderne do-

Argumentum omnino efficax.

ctrina, (*quod Hæretici non sint legitimi Episcopi*) falsa non sit, inuincibile est, atque ineuitabile. Eo nihilominus relicto ad maiorem veritatis euidentiam, *Cranmerum* hæreticum fuisse probabo, & illius ordinatores ab illa labe vindicabo.

Crãmerus probatur hęreticus. 1.

Primo, ipsemet paulo ante mortem ita profitetur: *Ego Thomas* Cranmer*us nuper Archiepiscopus Cantuariensis, abiuro, abhorreo, & detestor omnia genera hæreseon, & errorum Lutheri, & Zuinglij, & omnes alias doctrinas, sanis verisque doctrinis aduersantes. Et constantissimè corde credo, & ore confiteor vnã solam* Catholic*am, & visibilem Ecclesiam, extra quam nulla est salus. Illius supremum in terris caput agnosco Episcopum Romanum, quẽ supremum Episcopum fateor, Papam, & Christi vicarium, cui totus populus Christianus subiectus esse debet.* Et post nonnullorum aliorum fidei C*atholicæ* articulorum confessionem, ita tandem concludit. E*t Deum inuoco testem, me neque fauore, neque timore cuiuspiam, sed liberè, spontéque ad conscientiæ meæ purgationem, & aliorum instructionem hanc protestationem fecisse.* Cum itaque ille tam *Lutheri*, quam *Zuinglij* hæreses, quas hic sponte ac liberè abiurat, & execratur, à nõnullis annis professus

Foxus in actis & monumentis p.1710.

Crãmerus abiurat.

fuerit, & propter pertinaciam ſuam in eiſdem morti adiudicatus, (in quas etiam poſt abiurationem relapſus miſerè mortuus ſit, vt omnibus notiſſimum eſt) alia probatione, quod ipſe aliquando fuerit hæreticus, (cum habeamus reum confitentem) non indigemus. Nihilominus ne aduerſarij abiurationem iſtam, potius ſpe vitæ, ac mortis metu, ab humana fragilitate extortam, quam voluntariè factam fuiſſe dicant (quantũuis contrarium ipſe expreſsè profiteatur) ac proinde legitimæ probationis pondus & momentum habere negent, aliundè idẽ euincemus.

Lutheraniſm. eodẽ iudicio cõdẽnatus quo Arianiſm.

Secundo ergo dico, quod doctrina, quam *Cranmerus*, poſtquam ab Eccleſia *Romana* receſſit, profeſſus eſt, per eandẽ authoritatem, eandemque iudicij formã qua olim *Arianiſmus*, omneſque aliæ hæreſes ab Apoſtolorum tempore damnatæ fuerunt, nimirum per eiuſdem Eccleſiæ in Concilio generali cõgregatæ ſententiam, hæreſis & erroris condemnata eſt. Ergo eſt hæretica; & conſequenter ille, qui eam obſtinatè defendit, hæreticus. Et vt huius argumenti vis & robur clarius vnicuique appareat, obſeruandũ eſt,

eſt, quod quemadmodum ex vna parte, nihil in defenſionem doctrinæ Reformatorum *Tridenti* condemnatæ allegari poteſt, quod *Ariani* in defenſionem doctrinæ ſuæ in Concilio *Nyceno* damnatæ afferre nequiuerunt, (illi enim & ſcripturas frequenter allegabant, & Eccleſiam *Catholicam* erroris, ſicut & noſtri reformati, impiiſſimè accuſabant) ita ex altera parte, nihil in confirmationem Doctrinæ in Synodo *Nycena* definitæ & declaratæ, vel refutationem hæreſis in eadem damnatæ proferri poteſt, quod etiam in defenſionem doctrinæ in Concilio *Tridentino* approbatæ, & confutationem erroris in eodem condemnati, proferri nequeat. *Catholici* enim fidem O*rthodoxam* contra *Arianos* ex authoritate Scripturarum & Patrum, ac totius etiam Eccleſię, tam pręcedentis, quam præſentis conſenſu & iudicio confirmârunt. Sed & idem præſtant hodie *Catholici* in fauorem & propugnationem fidei C*atholicæ* & *Romanæ* contra *Proteſtantes*. Idcirco quemadmodũ *Arianiſmus* dãnata eſt hæreſis, & illius profeſſores hæretici, ita etiam & *Proteſtantiſmus*, quem *Cranmerus* olim profeſſus eſt. Scio quidẽ

nouatores noſtros Concilij *Tridentini* authoritatem contemnere, in quo *Arianis*, & omnibus aliis hæreticis qui Eccleſiæ iudicium, quo condemnati ſunt, olim deſpiciebãt non ſunt diſſimiles. Sed proferant nobis æquale iudiciũ, quo Eccleſiæ *Romanæ* doctrina condemnatur, & ſeipſos ab hæreſis nota liberabunt: ſin minus, hæretici ipſi ſint neceſſe eſt. Sed pergamus.

Tertiò, quicunque Eccleſiam illã, in qua baptiſmum ſuſcepit, deſerit, eiuſque doctrinam ſcienter impugnat, hæreticus eſt, niſi illam Eccleſiam ab alia priori, & antiquiori prius exiiſſe oſtendere poterit. Exire enim ab Eccleſia omnium hæreticorum communis eſt characteriſmus ab Apoſtolo *Iohanne* nobis relictus dicente, *Exierunt à nobis*. Sed *Cranmerus* Eccleſiam, in qua & baptiſmum, & ordinationem ſuſceperat, reliquit, eiuſque doctrinam ſcienter impugnauit, nec tamen illam ab alia Eccleſia antiquiore exijſſe oſtendit, vel vnquam oſtendere poteſt. Ergo *Cranmerus* fuit hæreticus.

1 *Io*. 2. 19

Quartò, *Cranmerus* Eccleſiam *Romanã* deſerens, ſeipſum illi congregationi ag-

g̃regauit, cuius primi fundatores *Christianos* ſe aliter oſtendere nequeunt, niſi mediante traditione & ſucceſſione illius Eccleſiæ, quam deſeruerunt, *Romanæ* ſcilicet. Sed qui ſocietati alicui ſe aſſociat, quam *Christianam* aliter oſtendere nequit, niſi per ſucceſſionis lineam illius Eccleſiæ quam deſeruit, & impugnat, eſt hæreticus. Ergo *Cranmerus* fuit hæreticus. Et iſta ad probationem alterius præmiſſarum argumenti noſtri ſufficiant, quæ adeo efficacia ad rem propoſitam probandam exiſtimo, vt ſi *Maſonus*, vel quiuis alius pro illo, vel vnum tantum horum quatuor argumentorum contra ordinatores *Cranmeri* retorquere, vel conuertere poſſit, eos hæreticos fuiſſe liberè fatebor. Ac proinde me nimis iniquum erga *Cranmerum* nemo iure cenſere poteſt. Atque ex his ſatis efficaciter meo quidem iudicio euincitur, *Crãmerum* legitimum poteſtatis ordinis ſui Epiſcopalis vſum, & exercitium per hęreſim amiſiſſe, (ſi tamen illum vnquam habuerit) & conſequenter poteſtatem alios legitimè ordinandi ſimiliter perdidiſſe.

Sed hîc *Maſonus* occurrit, amicè nos

Occurritur obiectioni.

admonens, vt *caueamus ne dum eorum* (*Protestantium* nimirum) *oculos eruere contendamus, nostros quoque pariter nobismetipsis eruamus. Nam* (inquit ille) *si vestræ probationes firmæ sint ac solidæ, quid dicetis de Bonero, Heathæo, & Thulbeio, qui eò temporis consecrati fuerunt, quo & ordinatores, & ordinati schismate & hæresi, vestro iudicio infecti erant? Nihilne omnes isti receperunt, quia eorum consecratores nihil, quod conferre possent, habuerint? Si isti Episcopi non fuerint, quid dicetis de illis, qui tempore Mariæ Reginæ ab istis ordinationem suam receperunt?*

Isti consecrati fuerunt Episcopi tempore Schismatis Henrici Octaui, sed postea ad Ecclesiæ vnitatem reconciliati.

Difficultatem istam (ne nos fortè eam enodare non possemus) ipsemet pro nobis dissoluit, addens infra paucas lineas *Cardinalem Polum Legatum summi Pontificis, istos ab Hæresi, & Schismate absoluisse, & in suis sedibus, & dignitatibus confirmâsse.* Idem certè, quod *Nycena* Synodus de *Nouatianis*, quod *Leo Magnus* de eisdem, atque etiam de *Donatistis*, quod septima Synodus, vt supra vidimus, de alijs hæreticis ad fidem Ecclesiæ conuersis statuerunt faciendum, & quod Ecclesia in talibus caussis semper facere solet: Adeo vt oculi

Scilicet initio Regni Mariæ Reginæ.

nostri, quibus nos cauere *Masonus* admonet, ipso iudice nobis illæsi maneant. quomodo verò ipse suos defendere possit, prorsus non video. Nam nisi similem confirmationem, & reconciliationem *Cranmeri*, & aliorum ab eo ordinatorum, post lapsum eius in hæresim, quam ipsemet agnoscit in *Bonero*, & cæteris eius Collegis ostendere possit, in eodem maneant statu, quo erant *Ariani* & *Nouatiani* in hæresi sua permanentes, necesse est. Istos vero in erroribus suis perseuerantes, Episcopos non fuisse, ex grauissimo *Nycenæ*, & *Sardicensis* Synodi iudicio supra citato, luce clarius constat. Neque quidem minus clarum est, impossibile esse *Masono*, vel cuiuis alteri, huiusmodi *Cranmeri* reconciliationem proferre. Quandoquidem in toto orbe tunc temporis alij non fuerint Episcopi, neque alia Ecclesia cui reconciliari potuit, præter *Romanam*, quam ipse non deseruerat modo, sed etiam impugnabat. Nam miserum illud effugium, quod nimirum *Cranmerus* recedens à *Catholica Romana*, in veram Ecclesiam à *Luthero*, & *Zuinglio* (ambos

Effugiũ aduersa- rio præ- cluditur

enim tametsi inter se maximè discordantes, vanus, ac vafer, habuit magistros) iamdudum reformatam, receptus fuerit, illi fortiter præcluditur. Præterquam enim quod isti Episcopi non fuerint, ac proindè neque veri Pastores, neque veram alijs vocationem impertire potuerint, eadem omnino est de eorum, atque *Cranmeri* reconciliatione, difficultas. Ipsi enim non ita pridem, ante *Cranmerum* ab Ecclesia *Romana* exeuntes, neque aliam priorem, cui post separationem suam, per reconciliationem vnirentur, inuenientes, aliam, quæ nunquam vel visa, vel audita in mundo fuerat, infœliciter fundare inceperunt. Clarissimũ quidem argumentum, quod Nouatores, & hæretici sint.

Ex hactenus dictis constat, quod etiãsi nullus alius in Episcopis *Protestantibus Angliæ* defectus præter illum, quem ex *Cranmero* necessariò trahunt, inueniretur, istum tamen abundanter sufficere, vt probentur aliam vocationem ad munera pastoralia non habere, quam habuerint olim *Ariani*, *Nouatiani* · aliique quiuis damnati hæretici. Sed alios

absque dubio in illis defectus adhuc reperiemus. Atque hucusque de ordinatione, & vocatione *Cranmeri* dictũ esto, de cuius impurissima vita, & turpissima morte (vt intelligas, Lector, qualem Apostolum, Patrem, & fundatorem habuerit nouus in *Anglia* Euangelismus, & inde etiam præuideas, qualis debet esse illius exitus & finis) hîc habe, quæ plerunque à Doctissimo *Smitheo* nostro aliquot abhinc annis, ex varijs authoribus *Protestantibus* desumpta, in libro idiomate *Anglicano* edito, qui *Trutina Prudentialis*, inscribitur, de ipso scripta sunt.

Vita, mores & mors Cranmeri.

Sexagesimus octauus Archiepiscopus Cantuariensis, & primus qui à fide S. *Augustini*, & cœterorum prædecessorum suorum deflexit, fuit *Thomas Cranmerus*, qui ad hunc honorem non suo merito euectus, sed admissus primò à sacris *Anna Bolenæ*, illius ambitioni, & Regis libidini fauens, ad illam dignitatem sibi viam strauit. Genio enim illius cognito, Rex eum misit in partes transmarinas, vt pro diuortio suo cum coniuge *Catharina* fortiter ageret. Quod dum ipse in *Germania*,

existens gnauiter præstaret, diem obiit *VVarramus* Archiepiscopus *Cantuariensis*, cui Rex *Cranmerum* substitui voluit, eo nimirum consilio, vt si Papa sententiam diuortij ferre nollet, iste saltem, ex Cathedra Archiepiscopali illam pronunciaret. Adeo mulierosus, & carnis vitijs deditus fuit, vt mater illius sæpius in ore haberet libidinem illi ruinam futuram. In hac re opinio sua non eam fefellit; Nam primùm iuuenis adhuc in Academia *Cantabrigiensi*, & socius Collegij IESV, ius Societatis suæ, pro iuuencula, quam posteà duxit, reliquit: Deinde hac vxore orbatus, Sacerdos iam effectus, & in *Germania* pro Regis diuortio, vt dictum est, laborans, puellæ cuiusdam amore adeo irretitus tenebatur, (hæc erat neptis vxoris *Osiandri*) vt eam etiam secundo sibi connubio iungere omnimodis decreuerat, quamuis legibus Ecclesiasticis vetitum non ignoraret, aut Sacerdotem maritum fieri, aut sacris quenquam initiari, qui vxori quamuis defunctæ aliam superduxisset. Et hoc, testante authore anonymo superius citato,

partim (verius dixiſſet) præcipuè in cauſa fuit, quo minus clariſſimæ dignitatis Archiepiſcopalis faſtigium, ad quod iam erat nominatus, auidè aſcenderet. Perplexus enim valde tenebatur, vtrum ſacrilegis amoribus, quibus iam implicatus erat, an Archiepiſcopatui potiùs renunciare deberet. Sed viam tandem inuenit vtroque fruendi. Clam enim amaſiam ſuam *Norimbergam* in vxorem ducens, & domum rediens, factus eſt Archiepiſcopus. In arca mulierem ſuam circumgeſtans, vt & monſtruoſam ſuam libidinem celaret, & tamen illicitis amoribus non careret. Et neceſſe quidē erat, vt venerem ſuam clam haberet. Rex enim, quem valde metuebat, poſt vnum vel alterum annum inter alias hanc edidit legem, multum renitente *Cranmero*, quia ſuâ plurimum referre ſciebat (*nimirum qui poſt ſacros ſuſceptos Ordines vxorem ducere licere diceret, multóque magis ſi ordinatus quiſquam vxorem duceret, vt ſceleratus, flagitioſus, & vitæ indignus ſuſpēderetur.*) Defuncto tandem *Henrico*, & regnante filio eius *Eduardo* nouem annorum puero (laxatis iam Euangelicæ libertati, carnis nimirum voluptati immiſſis

frænis) ſcortum ſuum palam ſibi coniugio copulauit. In Regẽ defunctum valdè perfidus fuit, quamuis enim maximis ab illo beneficijs affectus eſſet, & ſupremis tabulis in fiduciariorum, ſiue executorum numero nominatus, tamen in reſcindendo eius teſtamento cum alijs conſenſit. Poſt *Eduardi* obitum, titulo *Ianæ* coronæ vſurpatrici fauebat, adeoque filias Regis, *Henrici, Mariam* & *Elizabetham* regno priuare tentabat. Subſcripſit etiam primo loco literis valde proditorijs, quæ illius, & complicum ſuorum nomine ad Reginam *Mariam* datæ fuerunt 9. Iulii anno 1553. Habet has *Foxius* in actis ſuis ad ſuum, ſuorumque Pſeudo-Euangelicorum dedecus, & opprobrium ſempiternum. Quid mirum igitur, ſi homo moribus corruptiſſimis, qui Deo & Principi fidem fregerat, à fide maiorum apoſtataret? ſi ille, qui bonæ conſcientiæ naufragium fecerat, circa fidem naufragaret? Primùm enim fuit *Catholicus Romanus*, & in hac fide manſit, donec ad Archiepiſcopalem ſedem aſcenderit. Cum Rex primatum Eccleſiæ ſibi vſurparet, fidem *Catholicam* eatenùs reliquit, in rebus aliis fidei, vti Rex,

Foxius in Actis p. 1279. Edit. 1610.

cum Papa consensit, & *Protestantium* Synagogam (vt ex *Foxio* constat in morte *Lamberti* & aliorum) valde persecutus est. Post *Henrici* mortē, missam solemnibus cœremonijs assistentibus octo Episcopis, pro anima Regis *Franciæ* peregit. Hoc *Stovvus* Chron. pag. 1547. Decursu parui temporis in *Lutheranismum* lapsus est, & catechismum edidit, in quo cum *Luthero* docuit, realem *Christi* præsentiam in sacramento, id est per modum Consubstantiationis. Sed non diu in hac opinione hærens, cum duce *Somersetensi*, *Zuinglianus* euasit, & alium Catechismū edidit, in quo realē *Christi* præsentiam in Eucharistia omninò pernegauit. Deniq; regnāte *Maria* spe vitæ & veniæ, hæreses omnes eiurauit, adeóq; lingua & calamo *Catholicā Romanā* fidē professus est; tandē vero sibi capitis pœnā certam imminere videns, maluit potius famā suam aliquo modo apud *Protestantes* tueri, quam vtriusque partis iudicio, malefactoris infamem mortem subire. Sic vitā in *Zuinglianismo* crematus finiuit, tam hæresis, quam perduellionis condemnatus, vt testatur *Foxius* anno 1556. Ex his constat, vt quemadmodum fidem longè diuersam à prædecessoribus [illegible]

ita vitæ finem, longè alium, cùm ignominia nimirum, & maxima infamia coniunctum, sortitus est.

CAPVT DVODECIMVM.

Vtrum Episcopi in regno Eduardi *sexti Regis creati, veri & legitimi essent Episcopi.*

QVandoquidem constet ex præcedenti Capite, *Cranmerum* in hæresim *Lutheranam* & *Zuinglianam* manifestè lapsum: ex syncerissimæ & purissimæ (etiam aduersariorum iudicio) Ecclesiæ *Christianæ* in synodis *Nycena* & *Sardicensi* sententia, legitimum Episcopum non fuisse, necessariò sequitur, eos, quos ipse ordinauit, & cui cum ipso in eadem hæresi non communicarunt modo, sed etiam semper perstiterunt, tametsi nullum aliud legitimæ ordinationis impedimentum interuenerit, legitimos Episcopos non fuisse. Sed quia illi Episcopi,

qui tempore *Eduardi* Regis ordinati fuerunt, à quibus ij, quos *Elizabetha* Regina ad ſedes Epiſcopales euexit,& etiam qui vſque in præſentem diem, eaſdem ſedes occupant, per continuatam ſucceſſionem prouenire dicuntur, defectum magis eſſentialem, quam illum, qui ex hæreſi, vel in ordinãte, vel ordinato oritur, habere exiſtimãtur; Vt prætẽſũ clerũ *Anglicanum* non minus quam reliquas Eccleſias falſo dictas reformatas, legitima ordinatione, & conſequenter legitimis paſtoribus omninò carere clariùs conuincamus, eorum ordinatio, qui *Eduardo* regnante ad Epiſcopatus prouecti ſunt, nobis hîc examinanda occurrit.

Ordinationes ſub Eduardo Rege eſſentialiter defectuoſa.

Iſti, vt *Maſonus* teſtatur, fuerunt *Nicolaus Rydlæus*, *Robertus Ferrarius*, *Iohannes Hooperus*, *Iohannes Poynettus*, *Iohannes Scoræus*, *Millo Couerdallus*; quorum ordinatio vel conſecratio, non tantum propter hæreſim in ſuo ordinatore, & etiam in ſeipſis (*Zuinglianiſmum* enim, qui in *Anglia* tunc pullulabat, palam profeſſi ſunt) ſed etiam propter veræ, validæque conſecrationis defectum, vitioſa, immo nulla omninò fuiſſe exiſtimatur. Hunc vero validæ conſecratio-

Valida cõſecratio iſtis d fuit.

nis defectum multo magis essentialem & intrinsecum esse, quam illum ex hæresi contractum, nulli dubium esse potest. Iste enim absque noua ordinatione reparari nullo modo potest; ille vero per solam restitutionem ad Ecclesiæ vnitatem, & censuræ contractæ ablationem redintegratur. Quapropter quæstio impręsentiarum non est, vtrum istorum ordinatores veri ac legitimi fuerint Episcopi, neque vtrum ipsi, ordinis & characteris Episcopalis propter aliquod impedimentum incapaces essent, sed vtrum ipsamet eorum ordinatio realis, vera validaque fuerit, necné. Pro cuius declaratione,

Formā cōsecrationis Episcopalis sub Eduardo fuisse mutatā probat Masonus.

Obseruandum, *Masonum* (qui in noui cleri *Anglicani* vocatione defendēda, plus desudauit, quam quisquam alius, (quem scire mihi contigit) non solum fateri, sed expresse etiam probare, modum, formamque consecrandi Episcopos in *Anglia* sub Rege *Eduardo*, ab illa quæ regnante *Henrico*, & semper anteà in vsu exstiterat, mutatam fuisse. Quod vt ostendat, Parlamenti decretum, anno tertio Regis illius statutum affert. Sed quia aliquantulum discrepat ab

eo, quod à *Ferdinando Poultono*, qui leges *Anglicanas* in compendium redegit, iuris regni illius peritiſſimo, refertur, vtrum ex induſtria, vel incuria neſcio, iſtius fidem vt pote magis in hac re probabilem ſectabimur. Sic itaque refert: *Illa forma inſtituendi & conſecrandi Archiepiſcopos, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, cæteroſque Eccleſiæ miniſtros, quæ per ſex prælatos, & ſex alios lege diuina peritos (à rege conſtituendos) aut per maiorem eorum partem excogitata vel inuenta, ſub magno ſigillo ante Kalendas Aprilis proximas edita fuerit, & nulla alia in vſu erit.*

Pag. 94.

Poultonus in Kalendario *ad annum 3. Eduardi 6. cap. 12.*

Iuxta huius decreti tenorem (ait *Maſonus*) *forma inſtituendi Archiepiſcopos, Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos quinto & ſexto anno Regis Eduardi edita fuit, quæ primo regni Mariæ anno antiquata, primo regni Elizabethæ anno, reſtituta, & octauo regni illius anno confirmata fuit, adeo vt omnes Eccleſiæ Anglicanæ miniſtri, iuxta illam formam ordinati fuerint, de qua ſcire velim quid in ea reperiatur, quod mori, ſeu ritui Eccleſiaſtico aduerſatur.*

Maſon. p. 94.

Iſta ſunt multùm aduertẽda pro elucidatione dicendorum.

Vt poſtulationi eius in poſtremis ſuis verbis expreſſæ primo ſatisfaciamus; dico, ſi eoúſque mentem ſuam declaraſſet,

vt quid ipse per *ritum* seu *morem Ecclesiasticum* intelligat, aperuisset, non vtique difficile esset illius interrogationi respondere; Sed cum coniecturis agere nos cogat; respondeo quod si per morem Ecclesiasticum, ea tantum verba, actiones, & cœremonias, quæ in scripturis sacris expressa inueniuntur, intelligat, *Puritani* seu *Caluinistæ* (quos tanquam fratres suos in reformationis negotio amplectitur) pro nobis satisfacient, ostendentes ordinationes suas in plurimis ritum Ecclesiasticum iuxta hanc acceptionem transgredi. Exempli gratia: in Litanijs, in hymno *Veni Creator Spiritus*, in iuramento Primatus Regij, in omnibus precationibus statutis, & determinatis, quæ in Rituali isto nouo præscribuntur. Nihil enim horum in sacra scriptura expresse inuenitur.

Discutitur noua forma ordinationis.

Et quod magis ad rem spectat; forma ipsa verborum quæ simul cum manuum impositione, tam in Diaconorum & Sacerdotum, quam Episcoporum pronunciantur, & quæ proindè essentiam ipsam ordinationis constituere debent, in nullo sacræ scripturæ loco præscribitur. Vbi enim in Scripturis sacris leguntur ista

verba

verba in ordinatione Diaconi prolata? *Accipe poteſtatem, officium Diaconi in Eccleſia Dei tibi commiſſa, exercendi, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*: vel quod Epiſcopus tradens illi nouum teſtamentum, ita eum alloqueretur? *Accipe poteſtatem legendi Euangelium in Eccleſia Dei, & idem prædicandi, ſi ad illud præſtandum ordinariè vocatus fueris?* Vel vbi inuenitur in ſcripturis, quod Apoſtoli iſtis verbis in ordinandis presbyteris vſi ſint, vel vtenda præceperint? *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata remittuntur eis, & quorum retinueris retenta ſunt, & eſto fidelis verbi diuini, & ſanctorum eius ſacramentorum diſpenſator, in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti.* Vel vbi præcipitur, vt ſacra biblia eis tradantur cum iſtis verbis? *Accipe poteſtatē prædicandi Dei verbum, ſanctorumque ſacramentorum adminiſtrandi, in hac congregatione, quæ tibi deſignatur.* Vbi notanda eſt inſulſa, poteſtatis miniſtrandi ſacramenta in prioribus verbis collata, repetitio. Quę quidē repetitio in ſacramentis conferendis ſacrilega eſt, niſi in caſu quo de validitate prioris formæ, propter occurrentem aliquam inuſitatam circumſtantiā, formā & veritatem ſacramenti nullam redden-

tem rationabiliter dubitetur. Et de consecratione Episcoporũ, vbi præcipitur vſus iſtorum verborũ? *Accipe Spiritum ſanctũ, & memento ſuſcitare gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum, quia Deus non nobis dedit Spiritũ timoris, ſed poteſtatis & ſobrietatis.*

Iſta omnia habentur in rituali eorum de conſecratione Epiſcoporum, & preſbyterorum impreſſo Londini Anno 1607.

Reſpondebit fortaſsè *Maſonus*, quod verba iſta pro aliqua ſaltem eorũ parte, in ſacris Scripturis inueniantur, & ſatis apte huic ſacro ritui inſeruire videntur, ac proindè nõ ſunt ab eo reijciẽda. Sed inania ſunt hæc. Nam pręterquam quod innumera penè ſint alia ſacræ ſcripturæ verba, quæ non minus, immo magis aptè huic vſui accõmodari poſſent, quam nõnulla ex iſtis, quæ tamen ad ſacrum ordinem conferendum non ſufficere, *Maſonus* vti exiſtimo, non ibit inficias, niſi fortè plures formas eiuſdẽ rei admittere, non putet abſurdum (quod tamen abſurdum eſſe per ſe conſtat;) cũ clarũ ſit ſacrum ordinẽ (ſiue ſacramentũ ſit ſiue non) Eccleſiaſticas quaſdam, & ſpirituales actiones effectum ſuum, in animis hominum & ſacramentis ipſis habentes exercendi poteſtatem conferre, quæ nulla alia ratione vel dari, vel accipi poteſt, niſi quâ *Chriſtus* Dominus eius author & fun-

Effugiũ ei præcluditur

dator eam dandam & accipiendam pro ſua authoritate inſtituit. *Maſono* itaque incumbit ex ſcripturis oſtendere verba, & actiones iam relatas, & ab Eccleſia *Anglicana* in ordinationibus vſurpatas, à *Chriſto* vti legitimam conferendi ſacros ordines rationem, inſtitutas eſſe: aut certe ordinationes ſuas ſacrilegos & ſuperſtitioſos ritus eſſe, neceſſe eſt fateatur. Sacrilegos quidem, quia rerum ſacrarum abuſum inuoluunt: ſuperſtitioſos vero, quia ſacram poteſtatem rebus & verbis talem poteſtatem non habentibus aſcribunt.

Premitur Maſonus.

Porro cum manifeſtum ſit neque *Maſonum* neque quemcunque alium ex ſacra Scriptura oſtendere poſſe; *Chriſtum* præfatas ordinationum formas inſtituiſſe; & præterea, cum traditionum authoritatem in omnibus alijs fidei, & religionis articulis probandis, aut confirmandis procul reijciat, ac proindè ad illas in iſta quæſtione tractanda, abſque ſummæ leuitatis, & temeritatis nota recurrere nequeat, tametſi ei maximè fauerent: impoſſibile eſt, has Epiſcoporum, & Preſbyterorum ordinationes, à ſacrilega ſuperſtitione, humana inuentione intro-

ductas, excusare, etiam iuxta ipsius *Masoni* de hac eadem re sententiam, quam his verbis exprimit.

Pag. 95. *Vultisné oleum, quo caput ordinati Episcopi vngitur, cum his verbis (vngatur & consecretur caput tuum in cælesti benedictione) aut annulus, oratione & aqua benedicta sacratus, & digito illius impositus, cum his verbis (Accipe annulum signaculum fidei) aut baculus pastoralis, ei cum his verbis traditus (Accipe baculum pastoralis officij) vultisne ista, aliaque similia, ad Episcopalis consecrationis essentiam pertinere? Si quidem istud intelligatis, necesse est, nobis permittatis ea reÿcere, vtpote humana tantummodo inuenta. Ordinationis materia (vt dicitis) est certa, & determinata à Deo ipso. Vbi vero determinationem diuinam inuenire possumus nisi in libris diuinis? Quando annulos, & baculos vestros ex diuinis libris nobis demonstrare potestis, eos recipiemus; interim donec istud præstiteritis, eos vti ad essentiam ordinationis spectantes non vtique admittimus.* Hactenus *Masonus*.

Seipsum iugulat.

Si illum iam ad istius regulæ normam constringamus (quo quidē nihil æquius esse potest) quomodo, obsecro, præfatas Episcoporum, & Presbyterorum suorum ordinationes, vti sacro-sanctas, &

à Deo inſtitutas defendere poteſt? Sed ſicut liberaliter cum ipſo, & ſocijs ſuis alibi egimus, eos ad Eccleſiam & Doctrinam C*atholicam* tanquam ad munitiſſimum propugnaculum, cum nihil refugij in propria doctrina inuenire poſſunt, recurrere permittentes: ita quoque eos in his anguſtijs conſtitutos, à traditionibus, defenſionem ordinationum ſuarum accipere non prohibemus.

Si itaque reſpondeat *Maſonus*, quod per *morem, ſeu ritum Eccleſiaſticum* intelligat, morem illum, qui in Eccleſia ſemper in vſu fuit, & ab ipſis Apoſtolis per continuam, & non interruptam ſucceſſionem ad nos peruenit (qualem miniſtri Eccleſiæ *Gallicanæ* dicunt eſſe ſolum, & vnicum legitimum vocationis ritum) omninò rectè ſentit. Sed eorum ordinationes Eccleſiaſtico modo hoc ſenſu explicato adeo manifeſtè aduerſatur, vt nō ſatis mirari poſſim, hominis aut ignorantiā, aut peruicaciā, cum dicat *ſe intelligere velle, inquo, modus ordinandi in* Eccleſia *eorum receptus, morem* Eccleſiaſticum *tranſgreditur.* Equidem, ſi ordinationes eorum cum ritu *Romanæ* Eccleſiæ (cuius cum nullum initium poſt Apoſtolorum tempora in-

Non euadit.

Supra p. 223.

ueniatur, ab ipsis Apostolis acceptum fuisse cum *S. Augustino* tutò credere potest) conferre & comparare velit, à more Ecclesiastico adeo in omnibus discrepare videbit, vt vix in vno aliquo, cum eo conueniat. Hoc alia non indiget probatione, quam vt isti ritus ad inuicem conferantur, quod *Masono*, vel cuiuis alteri illius succenturiatori, si videbitur, faciendum relinquo. Vel si forte morem in ordinationibus suis vsitatum, cum ritu *Romano* comparare dedignetur, proferat alium vel antiquiorem, vel æquè antiquum, cui mos iste reformatorum concordat, & illi acquiescam.

Prætereà, ipsa decreti Parlamentarij verba, paulò superiùs relata, si ea nimis oscitanter non præterijsset, ordinationũ suarum nouitatem, & discrepantiam à more Ecclesiastico clarissimè ei ostendissent. Nam, si noua Ecclesia *Anglicana* sub E*duardo* Rege pullulans, morem Ecclesiasticum consecrandi Episcopos, Presbyteros, aliosque Ecclesiæ ministros approbâsset, non superfluum modo, sed valde importunũ, & temerarium fuisset, sex illos Prælatos, sexque aliosiuris diuini peritos, authoritate Regiâ deputare,

qui formam ordinationum in poſterum vtendam, *excogitarent.* Noli, Lector, verbum iſtud (*excogitarent*) leuiter præterire, quod ipſiſſimum eſt decreti verbum, & vide quàm ſacroſancta iſta conſecrandi forma eſſe debet, quæ tali auctoritate inſtituitur.

Obſerua verbum iſtud, excogitarent.

Hinc *Maſonus* ipſe, & omnes alij nimia peruerſitate non occæcati videre poſſunt, nouum iſtum conſecrandi Epiſcopos excogitatum morem, (quem vſque hodie apud illos in vſu eſſe fatetur) merum eſſe humanum commentum, heſternæ tantum antiquitatis, nulla vel ſacræ Scripturæ, vel Eccleſiaſticæ traditionis authoritate communitum, vmbram, & ſpeciem inanem abſque omni rei ſacræ ſubſtantia, nouitatem, à vertiginoſis & turbulentis hominibus, rerum nouarum auidis inuentam, & introductam, temporali poteſtate pueri, vix duodecim annorum primò ſtabilitam, deinde ſimili mulieris poteſtate cõfirmatam, vniuerſæ Eccleſiæ præſentis mori contrariam, atque omni exemplo, toto mille quingentorum annorum, & amplius ſpatio carentem. Qualis igitur ſit Eccleſiæ nouæ *Anglicanæ* clerus, tam ſancto, tam

Præclarus ordinandi modus.

celebri, tamque antiquo ritu, initiatus non modo lippis & tonsoribus (vt dici solet) sed etiam omnibus rationis lumine non prorsus orbatis clarissimè constat.

Masonus nihilominus in sua stupiditate persistens, verbis suis superius relatis ista addit. *Sanderus dicit Eduardum Regem cæremoniam (ordinationis) sustulisse. Quam cæremoniam? Si cæremoniam imponendi manus intelligat, Regem Eduardum calumniatur: si vero benedictiones, oblationes, & baculos suos intelligat, sacræ illius actionis grauitas, eis absque detrimento vllo carere potest. Quod vero ad solenneem vnctionem attinet, vos ipsi accidentalem fatemini: reliquas vero cæremonias vestras, quia partim superfluæ, partim vero superstitiosæ repertæ sint,* Ecclesia *nostra secundum sapientiam ei datam, prudenter ac religiosè præcîdit, talem stabiliens formam, quæ sancta sit, & Deo grata.*

Ecclesia ergo Anglicana nouam stabiliuit ordinandi formam: sed qua authoritates.

Sanderus de cœremonijs ablatis ab *Eduardo* Rege nullam mentionem facit, sed expresè dicit *nouam conferendi ordines* formam à Parlamento sub Eduardo Rege præscriptam esse: quòd verum esse ex eadē forma adhuc vsitata

(vt ipſemet fatetur) luce clarius cõſtat. Quapropter *Sanderus* Regem *Eduardum* non ſugillat, ſed *Maſonus Sanderum* deprauat.

Attamen cur obſecro, non exprimit *Maſonus*, quo ſacræ Scripturæ teſtimonio, vel ſaltem qua traditionis, patrum, aut Conciliorum authoritate, fulta, & munita eorum Eccleſia, tot tantoſque ſacros ritus, & cœremonias, quas vniuerſalis Eccleſiæ ſapientia, adeo antiquitùs obſeruauit, vt nullum earum initium, poſt Apoſtolorum tempora iam inueniatur, eraſit & aboleuit, & earum loco, nouam formam introduxerunt, quæ minoris eſt antiquitatis, quam ipſimet, ſunt (nã illius authores & fabricatores erant) qui tamen *Eduardi* Regis tempora parũ aut nihil præceſſerunt? Quis iam dicet iſtos *Christianæ* religionis ſcintillulam vllam retinere, aut reuerentiam minimam erga diuina myſteria in eorum pectoribus reſidere, qui in ſacratiſſimis diuini cultus ritibus, quidquid fanatico ſuo ſpiritui non arridet, amputare, mutare, & inuertere non verentur: Iſtos dico, qui extra Scripturam ſacram, nihil neque ſapere, neque ſpirare videri cupiunt? *O filij*

Summa nouatorum in rebus ſacris mutilãdis temeritas.

Psal. 4. 3. *hominum, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

Non obstante tanta mutatione, & deprauatione in ordinationibus suis facta, contendit nihilominus totis viribus *Masonus*, Ecclesiam *Anglicanam* tam materiam, quam formam essentialem Episcopalis ordinis integram adhuc retinere, nimirum impositionem manuum, quam dicit vnicam & integram esse materiam, & hæc verba *Accipe Spiritum sanctum*, quæ essentialem arbitratur constituere formam, vnde vlterius concludere intendit, Episcopos suos verè ac validè esse ordinatos.

Quæ materia & forma ordinis Episcopalis secũdũ Masonum.

Sed adeo mancus & mutilus est in sua ratiocinatione *Masonus*, vt neq; probet ista duo hîc per eum assignata, ad essentialem materiam & formam ordinis Episcopalis pertinere, neque quod ista duo tantum, dictam ordinationem compleant; quorum tamen vtrumque adeo ad completam quæstionis præsentis tractationem spectat, vt si vnum eorum falsum reperiatur, superintendentes isti, Episcopi esse non possunt, & consequenter omnem operam suam *Masonum* perdidisse apparebit. Oportebat itaque ali-

ter quam nuda ſua aſſertione, iſta duo probare, & quia probandi munus *Maſono*, qui in hac quæſtione affirmatiuũ defendit, manifeſtè incumbit, mihi vero, qui negatiuum ſuſtineo, eius tantum argumentis ſatisfaciendi, abũdè nobis ſufficeret nudam eius aſſertionem ſimplici negatione reiicere. Quia tamen claram veritatem à partibus noſtris ſtare haud dubito, munus actoris lubens ſubibo, negatiuum quæſtionis, contra ipſum probaturus. Sed ad euitandum prolixioris tractationis tædium, & ad maiorem rebus tractandis claritatem conciliandam, illud diſtincto propoſito titulo præſtabo.

Cap. decimvm tertivm.

Vtrum integra materia & forma ordinationis Episcopalis, consistat in impositione manuum, & his verbis, Accipe Spiritum sanctum.

AD maiorem quæstionis propositæ elucidationem, obseruandum est primo, præcisam materiam & formam essentialem, nullius penitus Sacramenti, adeo distinctè in Scripturis sacris exprimi, quin absque Ecclesiæ authoritate, & declaratione, nonnulla dubia & difficultates de eis moueri possint. Hoc constat primo in ipso baptismo. Ista enim verborum formula, *N. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, quæ in vniuersa Ecclesia Occidentali vsurpatur: vel ista, *Baptizetur seruus Christi N. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, quâ Ecclesia Orientalis vtitur, nullibi in sacra Scriptura totidem

Determinata materia & forma Sacramentorum in Scripturis non plenè exprimuntur.

verbis exprimitur. Idem dico de baptismi materia, quam omnes credunt esse aquam naturalem, & elementarem solam; quæ tamen à Scriptura sacra cum particula exclusiua nullibi præscribitur. Idem etiam constat de præcisa materia, & forma essentiali sacræ Eucharistiæ, quas Scriptura sacra adeo expresse non præscribit, quin exclusa authoritate Ecclesiæ, de vtraque quæstiones nonnullæ moueri possint, sicut etiam motæ aliquando fuerint. Et hinc obiter aduerti debet, quam necessaria sit ad sustinenda in nobis ipsamet *Christianæ* fidei, & doctrinæ fundamenta, Ecclesiæ authoritas, ac proinde non sine causa *S. Paulum eam columnam & firmamentum veritatis* indigitâsse.

1. Tim. 3. 15.

Secundò obserua, quod determinata materia & forma nonnullorum Sacramentorum, & inter reliqua, sacri ordinis (quod iuxta *Catholicam* veritatem, quam, quia causæ nostræ in præsenti quæstione nihil prosit, sicut neque aduersariorum quicquam noceat, hîc suppono, verum ac proprium noui testamẽti est sacramentum) non adeo clarè & distinctè, vel in Concilijs, vel sanctorum

Obseruandum 2.

patrum libris expressa inueniuntur, quin secundum fundamenta probabilia, ex ratione vel authoritate deducta, variæ de illis formentur, & quidem cum probabilitate defendantur opiniones. Nam neque Patres, neque Concilia, libros rituales, quibus vel totum ordinem, & ritum, omnia sacramenta administrandi, vel ex quibus rebus & verbis, tanquam materia & forma constarent, planè & exactè explicarent, composuerunt, sed vsum praximque Ecclesiæ, quam ipsi ab antecessoribus receperant, posteris per traditionem relinquentes, vera quidem sacramenta tradiderunt, at quibus verbis, rebus, & actionibus præcisè, & essentialiter perficerentur, & nominatim istud, de quo hîc disputamus, expresè non docuerunt.

Hinc est quod Catholici doctores, hanc materiam tractantes, nullamque exactam regulam, quam sequi tenentur, in Scripturis sacris, Conciliis, vel patribus sibi præscriptam inuenientes, sententias suas diuersimodè, secundum diuersitatem principiorum, quæ ab vnoquoque eorum magis probabilia iudicantur, absque vllo vnitatis fidei præiudicio tra-

diderunt. Quòd itaque aliqui doceant, materiam essentialem ordinis Episcopalis esse solam manuum impositionem (quod tamen ab vnico tantum moderno authore scholastico directè assertum inuenio) quòd verò alij addãt impositioni manuum, vnctionem in illa actione vsitatam, & traditionem earum rerũ, quæ in consecratione Episcopi exhiberi solent, nimirum libri Euangeliorum, baculi pastoralis, & annuli, quòd alij excludentes de materia essentiali consecrationis Sacerdotalis, impositionem manuum, à materia essentiali ordinis Episcopalis, illam quoque excludere videãtur; fit, vt nulla istarum opinionum, vel certò vera, vel certò falsa sit, sed vnaquæque earum tantum probabilis, iuxta naturam & conditionem principiorum, quibus innititur. Et quia communis est omnium sententia, de forma sacri Ordinis, quod in ijs consistat verbis, quæ pronunciantur dum materia ipsa applicatur, fit etiam vt forma quoque ordinis Episcopalis taliter incerta sit, vt in quibus definitis verbis consistat, certò non constet.

Diuersæ opiniones probabiles de materia & forma sacri ordinis.

Nec tamen propterea quicquam

Neque inde quicquã praiudicij patitur Ecclesia.

præiudicij, aut detrimenti patitur inde Ecclesia, quæ omnino certa est, quod veram materiam & formam, quam per Apostolos ei tradidit *Christus*, habeat: tametsi à nemine definiatur, in quibus rebus & verbis strictè perficiatur. Quẽadmodum etiam in simili opinionum diuersitate de aliorum sacramentorum, matrimonij scilicet, confirmationis, & extremæ vnctionis essentiali materia & forma, de quibus alio, & alio modo sentire authores manifestè constat, nullum patitur detrimentum, dummodo nihil omittatur eorum, quæ in administrãdis illis Sacramentis, Ecclesia adhibere solet, in quibus veram materiam, & formam contineri, omnes vnanimiter consentiunt. Si vero aliquis ita peremptoriè propriam opinionem suam sequeretur, vt omnes alias res, actiones, & verba in dictis sacramentis administrandis adhiberi solita, præter ea quæ ipse iudicat essentialia esse, excluderet: illa sacramẽta incerta redderet, & consequenter summum toti Ecclesię inferret præiudicium. Ista omnia per se clara sunt, siue matrimonium, & cæterea recitata vera sacramenta sint (sicut docet veritas *Ca-*

tholica

tholica) siue non sint, hoc enim, quantum ad præsentem quæstionem spectat perindè omnino se habet.

Non minus, immo multò maius incommodum Ecclesiæ necessariò sequeretur, si omnes eius Pastores, ea sola materia, & forma initiarentur, quæ in vna aliqua, opinione tantum, vera, & essentialis esset, cæteris omnibus exclusis: verbi gratia, si sola impositione manuum cum istis verbis, *Accipe Spiritum Sanctum*; consecrarentur. Nam si eueniret opinionem illam, quæ docet materiam, & formam Ordinis Episcopalis essentialem, in illis tantum duobus consistere, falsam esse (vt reipsa falsa esse potest, cum ad summum sit tantummodò probabilis: probabilitas autem vnius partis contradictionis, non excludit probabilitatem alterius, vt omnes nôrunt) necessariò sequeretur, taliter ordinatos non esse Episcopos. His præmissis,

Concludo primo, probabilius esse, solam manuum impositionem, & verba illa, *Accipe Spiritum Sanctum*, non esse integram materiam, & formam es-

Prima Conclusio.

sentialem ordinis Episcopalis: quod probo primò argumento hoc negatiuo: Neque ex Scriptura sacra, neque ex traditionibus, Concilijs, Patribus, vel Ecclesiæ praxi, colligi potest probabiliter, contraria positio. Quinimo praxis, & vsus continuus Ecclesiæ, (qui in hac quæstione, in qua, aliam certam regulam sequendam non habemus, maximi momenti esse debet) eam tacitè condemnare videtur, cum Episcopos, tali materia, & forma nunquam ordinâsse legitur; sed econtrà ab antiquissimis temporibus, alia quæ hodie in vsu sunt adhibuisse, ex *Clemente Romano*, & *Paciano* statim referendis clarè constabit. Scio equidem hoc argumentum non omnino conuincere, tum quia fundatur in authoritate negatiua, tum etiam quia Ecclesia in administrandis Sacramentis nonnullos sacros ritus, qui de essentia Sacramenti non sunt, adhibere solet. Est tamen argumentum probabile, & magis quidem probabile, quam pro contraria parte adhuc apparet, (vt ex eorum principijs qui eam sustinent, statim videbitur) præsertim si consideremus Ec-

clesiam in alijs Sacramentis administrandis, aliquando (nempe in tempore necessitatis) solam materiam & formam essentialem absque aliis ceremoniis adhibere, nusquam tamen legitur, quod aliquis Episcopus cum sola manuum impositione, & verbis prędictis, non obstante quacunque necessitate consecratus fuerit.

Praeuenitur euasio. Si dicatur non omnia, quæ in toto progressu Ecclesiæ facta fuerunt, scripta esse, & posteris tradita, ac proinde hoc argumentum nihil valere. Respondeo, & dico iterum, non esse quidem nostrum argumentum demonstratiuum, propter rationes allatas, nihilominus dicere, Ecclesiam, vel ordinâsse Episcopos per solam manuum impositionem, & verba supra relata, vel taliter ordinatos approbâsse, absque omni exemplo, vel testimonio, sed ex illa sola ratione, quod omnia quæ facta fuerunt, non sunt scripta, est somniare potius, quam ratiocinari.

2. Probatur. Secundo, vniformis est doctrina omnium doctorum, qui de sacro ordine tractârunt, materiam illius esse traditionem rerum, vel instrumen-

torum, quæ vnicuique ordini propria sunt, vt Diaconatus, traditio Euangeliorum libri; Sacerdotij traditio calicis & patenæ cum hostia, & sic discurrendo de cæteris; formam vero in eis verbis consistere, quæ proferuntur dum materia traditur, & authoritatem seu potestatem Ordinis collati exprimunt, vt in Diaconatu. *Accipe potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei, tam pro viuis, quam pro defunctis in nomine Domini*. Et in ordinatione Sacerdotis. *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, missasque celebrare, tam pro viuis, quam pro defunctis in nomine Domini*; & similiter in cæteris ordinibus. Ergo, & Episcopalis ordo proportionatam materiam, & formam habere debet: Huiusmodi autem non est impositio manuum cum verbis sæpe dictis, quia neque vna, neque altera, neque ambæ simul, potestatem collatam in illo ordine, sed potius Spiritus Sancti donum, & gratiam, qua ordinatus potestatem, & ordinem acceptum rectè exercere valeat, exprimere videntur.

Confirmatur hoc argumentum, quia

in Episcopali consecratione non desunt similis materia sensibilis, similisque forma significatiua, quæ in aliis sacris ordinibus essentialem materiam, & formam constituere, ab omnibus Theologis existimantur. Cur ergo in isto ordine idem præstare non debeant? Exempli gratia, vngitur caput consecrati sancto chrismate cum his verbis: *vngatur, & consecretur caput tuum cælesti benedictione in ordine Pontificali, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Tradũtur ei baculus Pastoralis, Annulus, & Euãgeliorum liber, singula cum distinctis verbis, ad diuersas Episcopalis ordinis functiones significãdas accõmodatissimis. Ergo maximè probabile est, vel omnia, vel aliqua saltẽ eorum ad essentiam cõsecrationis pertinere. Dico maximè probabile, quia nihil certi in hac re constat, vt iã aduertimus.

Et quod attinet ad vnctionem iam dictam, confirmatur nostra doctrina ex antiquissimis patribus. *Clemens* enim *Romanus* Apostolorũ discipulus ita loquitur. *Omnis Pontifex sacro chrismate perunctus, & in ciuitate constitutus, Scripturis sacris eruditus, charus, & pretiosus hominibus oppido esse debet. Quem quasi Christi locum tenentem, ho-*

Epist. 3. ad Vniuersos.

norare omnes debent, scientes quia siue honor, siue iniuria, quæ ei defertur, in Christum redūdat, & à Christo in Deum.

Et *S. Pacianus S. Ambrosio* coætaneus. *Vestræ plebi vnde Spiritus, quam non consignat vnctus Sacerdos?*

Epist. 3. ad Sempronianū Nouatianū.

Vnde videtur, istū patrē Spiritus sācti gratiam, in confirmatione collatam, vnctioni Episcopi confirmantis ascribere, & consequenter sentire, vnctionē illam ad naturam consecrationis Episcopalis pertinere.

Et *S. Anacletus* idem clarius innuit. Nā morem ordinandi Episcopos describēs ita ait. *Ordinationes Episcoporum, authoritate Apostolica ab omnibus, qui in eadē fuerint prouinciā, Episcopis, sunt celebrādæ. Qui simul conuenientes scrutiniū diligenter agant, ieiuniūq; cū omnibus celebrent precibus, & manus cum sanctis Euangelijs, quæ prædicaturi sunt, imponentes, Dominica die hora tertia orātes, sacraq; vnctione, exemplo Prophetarum & Regū, capita eorum (more Apostolico & Moysi) vngentes: quia omnis sanctificatio constat in Spiritu S. cuius virtus inuisibilis sancto chrismati est permixta, & hoc ritu solennem celebrent ordinationem.* Quali ergo spiritu induūtur Episcopi *Angli*, qui sacram hanc vnctionē tanquā superstitiosam, vel saltem superfluā

Anaclet. Epist. 2. ad initium.

ſecundum ſapientiam Eccleſiæ ſuæ reformatæ (teſte *Maſono*) à ſuis ordinationibus longè abiecerunt, ex prędictorum patrum doctrina facile eſt intelligere.

Scio quidẽ *Gabrielem Vaſquez* probabilẽ horũ temporũ authorẽ, probabile exiſtimare materiã proximã ordinationis Epiſcopalis eſſe impoſitionem manuum, formam verò illa verba, *Accipe Spiritum ſanctum*. Fundamenta illius opinionis iſta ſunt. Primum, plures Epiſcopos ex diuina inſtitutione neceſſarium eſſe huius ordinationis miniſtrum. Secundum, neceſſe eſſe, verum miniſtrum materiã ordinis, ipſi ordinato applicare, ac proinde non ſufficere, ſi vnus tantum Epiſc. (qui abſque ſpeciali delegatione nõ eſt huius ordinationis ſufficiẽs miniſter) materiam illius applicaret. Tertium, ſolã illã actionem impoſitionis manuum, in illa ordinatione à pluribus exerceri. Vnde tandem infertur, illam ſolam actionem eſſe materiã proximã ordinationis Epiſcop. formã vero eſſe illa verba, quæ proferũtur dũ materia applicatur; illa vero ſunt, *Accipe Spiritum S*. Quam firma ſint iſta fũdamẽta nolo hîc examinare, ſed propter ipſius authoris, & illorum, quos pro ſua

Vaſquez in 3. partem D. Tho. diſput. 240. n. 58.

Fundamentum Vaſquez

opinione citat, authoritatem, *Maioris* scilicet, & *Armillæ*, & in maiorem aduersarij nostri fauorem, conclusionem eius probabilem esse inficias non ibo. Hoc verò summum est, quod à me sperare, & plusquam iure exigere quisquam potest. Et nihilominus,

Concludo secundò, Episcopum ordinatum cum sola impositione manuũ trium, vel etiam plurium Episcoporum, & illis verbis, *Accipe Spiritum sanctum*, non esse validè, sufficienterque in Episcopum ordinatum, neque veram vocationem Episcopalem habere; Quod sic clarè ostendo. Ordinatio tantum probabilis, vel quæ probabiliter tantum sufficiens est, & valida, constituit Episcopum tantum probabilem, vel qui probabiliter tantum est Episcopus. Res enim constituta non potest excedere in perfectione rationem constituentem, verbi gratia, homo non potest esse perfectior in gradu rationis, quam est anima rationalis, quæ illum constituit in illo gradu. Sed qui est tantum probabiliter Episcopus, non est validè, sufficienterque in Episcopali gradu, & potestate constitutus, neque veram habet

2. Conclusio.

vocationem Episcopalem. Nam vera validaque potestas seu vocatio Episcopalis, non est tantum probabilis, sed certa & indubitata: sicut vera ac sufficiens potestas ciuilis, iudiciaria (exempli gratia) non est illa, quæ tantum probabiliter est talis, sed quæ certò scitur esse talis: alioqui enim quicquid facerét Ecclesiæ pastores, & Episcopi, quatenus Episcopi sunt, adeo incerta essent, vt probabiliter essent nulla & inualida. Quantum autem incommodum & detrimentum hoc toti Ecclesiæ inferret, nullus tam stupidus qui non videt. Qui ergo in sacris ordinibus conferendis notam, certam, atque vniuersaliter receptam materiam, & formam relinqueret, aliâque, quæ tantum probabilis est, vteretur, non solum temeritatem sacrilegam committeret, sed etiam eandem actionem, vsitatam & indubitatam materiam & formam adhibendo, sub conditione saltem repetere teneretur, quandoquidem probabile saltem est, quod in priori actione nihil fecerit. Quamuis enim in humanis actionibus, quæ aliam regulam, cui conformari debent, non habent præter rationem ac prudentiam humanam, (quæ vt

Notandũ discrimen inter actiones humanas & sacramẽtales.

plurimum certa non est, sed probabilis tantum) sufficiat ad hoc vt quis in eis non peccet, quod operetur secundum opinionem probabilem: In actionibus tamen sacramentalibus, aliter se res habet. Istæ enim non habent pro regula, cui conformari debent, humanam prudentiam, sed diuinam institutionem, nobis infallibi aut sacræ Scripturæ, aut Ecclesiæ testimonio, authoritate, & praxi manifestatam. Et quia ex illis adeo dependent multæ aliæ actiones, & ministeria, quæ vel ad singulorum salutem, vel ad vniuersorum gubernationem necessariæ sunt, (vt sacrorum mysteriorum consecrationes, cœterorum sacramentorum administrationes, peccatorum absolutiones, censurarum inflictiones & abolitiones, adeo vt si illæ nullæ fuerint, istas quoque nullas esse necesse sit) non debent illæ probabiliter tantum esse validæ & sufficientes, sed certò & indubitanter.

Occurritur obiectioni. Obijciet fortasse *Masonus*, & probare contendet, impositionem manuum, & verba sæpius repetita, non solum probabilem, sed necessariam esse materiam & formam ordinationis Episcopalis hoc ar-

gumento. In Scriptura sacra nihil aliud, quod ad essentiam istius ordinis pertinere potest, exprimitur, præter illa duo prædicta. Ergo cœtera omnia vtpote humanitùs inuenta; & non diuinitùs instituta, ab Episcopalis ordinationis essentia reijcienda sunt. Respondeo hoc argumentum iam supra euacuatum esse. Nã si nihil ad materiam & formam essentialem sacri ordinis pertinere credatur, nisi quod à Scriptura sacra illi ascribitur, materia & forma, quæ eorum rituale non solum in Diaconis & Presbyteris ordinãdis præscribit (quæ nullibi in sacra Scriptura reperiuntur) sed etiam illa, quam Episcopali ordini solã esſẽtialẽ existimat reijcienda erit. Tametsi enim verba ista, *Accipe Spiritum sanctum* in sacris eloquijs inueniantur, & frequens etiam mentio fiat impositionis manuum, nusquam tamen vel coniunguntur ista duo, vel vti Episcopalis ordinis materia & forma in sacris Biblijs præscribuntur. Vnde apertè sequitur, quod si *Masonus*, vel Diaconos, Presbyteros, vel Episcopos in Ecclesia *Anglicana* existere, credi velit, tantam Ecclesiæ & traditioni authoritatem tribuere debet, vt ab ea materiam, for-

Io. 21.

inamque eorum ordinum essentialem accipere oporteat. Hincque vlterius clarè perspiciet, eorum Episcopos eâ materiâ & formâ, quæ in Ecclesia ab Apostolorum temporibus in vsu semper extitit, non fuisse consecratos, & consequenter veros Episcopos non esse.

Hactenus ostendimus quasi à priori, Episcopos *Angliæ* modernos non verè nec sufficienter esse ordinatos. In sequentibus hoc idem à posteriori demonstrabimus, omnium tam *Catholicorum*, quã *Protestantium*, qui qualiter ordinati fuerint, optimè nôsse debent, de hac re iudicium proferentes.

Foxij actá & monumenta p. 1604. Ridlæus non Episcopus.

Imprimis itaque *Foxius*, *Nicolai Ridlæi* prætensi olim *Londinensis* Episcopi (ex numero eorum, qui tempore *Eduardi* Regis, scilicet post abrogationem formæ antiquæ & excogitationem nouæ, consecrati dicuntur) degradationem narrans, (erat enim morti propter hæresim condemnatus) refert, Episcopum *Glocestrensem* ad illud degradationis munus delegatum, dicto *Redleo* ita dixisse. *Te (Magister Ridlee) sacerdotio tantum spoliaturi sumus, nam Episcopum te non agnoscimus.* Cui ipse nihil respondés,

neque gradũ, vel ordinem Episcopalem minimo verbo sibi vendicans, silentio suo, dictum Episcopi *Glocestrensis* nonnihil confirmauit, iuxta illud axioma, *Qui tacet, consentire videtur.* Quod in illo multo verisimilius est, qui (vt patet ex *Foxij* narratione) in alijs rebus minoris multo momenti, non erat eo tempore mutus. Idcirco videtur, quod *Ridleus* ipse, nouerit, agnoueritque seipsum non fuisse in Episcopum verè ordinatum. Et quod Episcopi *Catholici*, qui eius ordinationem benè nouerant, idem censuerint, clarum est. Nam si verè ordinatus fuisset, eum à gradu Episcopali, non minus quam *Cranmerum* ab Archiepiscopali, deposuissent.

Et obseruandum, quod *Masonus* hoc ipsum Episcopi *Glocestrensis* ad *Ridleum* dictum, sibi in persona aduersarij sui obijciens, aliud non respondet, nisi quod ipse *Ridleus* & cœteri eius socij sufficienti numero Episcoporum ordinati fuerint: ac si quæstio tantum esset de numero ordinantium, & non de natura & qualitate ipsius ordinationis.

Fox act. & monum. pa. 1711.

Secundò, *Foxius* ita scribit. *Quia Ridleus, Hoperus, & Farrarus mortem Episcopi*

Roffensis æquare non poterant, visum est Cranmerum illis addere, vt æqualitas fieret. Hoc dicit hæreticus ille in opprobrium quidem iudicij, quo prædicti Pseudo-Episcopi condemnati erant, quasi scilicet in vindictam mortis Episcopi *Roffensis*, & non ex iusto iudicio passi essent. Interim tamen his clarè demonstrat; prædictos tres falso dictos Episcopos, non fuisse veros Episcopos. Nam si tales verè fuissent, vnus ex illis, in illius sensu *Roffensi* æquiparatus fuisset, multo vero magis omnes tres simul. Aut certe, si illi tres, pari & iusta mensura pro morte *Roffensis* satisfacere non potuerint, *Cranmeri* mors defectum illum supplere non potuit, quãdoquidem in illo nihil plus erat, quã quod in illis fuit, nisi dicamus illum verè ordinatum fuisse, istos vero non item.

Scias Lector, istos quatuor condemnatos, & concrematos fuisse propter hæresim sub Regina Maria.

Tertiò, quale fuit totius Regni de eorum ordinationibus, qui sub *Eduardo* Rege, ad sacros ordines prouecti erant, iudicium, ex decreto de eis iterum ordinandis sub Regina *Maria* edito, & à *Foxio* relato, luce clariùs constat. Sic vero se habet: *Quantum ad eos spectat, qui hactenus ad vllos ordines iuxta nouum ritum ordinandi, promoti fuerunt, quandoquidem non erant*

Foxius actis & monumentis pa. 1295.

reuera ordinati: *Episcopus cuiusque Diœcesis*, *si eos inuenerit capaces*, *&* *idoneos*, *quod illis deerat supplebit*, *&* *secundum prudentiam suam ad administrationem eos admittet*. Istum quoque articulum sibi obijcit *Masonus*, quasi arguentem eorum ordinationes esse nullas: & respondet ex eo colligi contrarium; & illud probat ex eo quod præcipiatur *illud suppleri quod eis deerat*, quod argumēto est (dicit ipse) *illos aliqualem ordinationem saltem habuisse*, quamuis imperfectam: nam si nullam prorsùs habuissent, suppleri non potuit, sed de nouo conferri debuit. Attamē aut nō intelligit *Masonus* clarum sensum articuli illius (quod vix credere possum, eum scilicet adeo esse hebetem) cum expresse dicatur *illos reuera non esse ordinatos*; aut fraudulenter eum dissimulat. Iste igitur clarus est illius Articuli sensus: illos nimirū, qui aliquos ordines secundū ritum antiquū receperant, reliquos vero secundum nouum (quo modo nōnulli ordinati fuerāt, qui enim ad Subdiaconatū, vel etiā Diaconatū sub *Henrico*, permanente antiquo ritu promoti fuerant, ad Sacerdotium sub Eduardo excogitato tum nouo ritu, non rarò promouebantur) illos, inquam,

posse, si modo idonei reperiebãtur, ad ordinem illum nouo modo adeptum, per veram ordinationem promoueri; & hoc modo quod illis deerat suppleri.

Quartò, iudices Regni, sub ipsamet *Elizabetha* Regina, ordinationes Episcoporum factas sub *Eduardo*, adeo in dubium vocarunt, vt eas nullas fuisse existimasse videntur. Ista enim quidam eorum in libro de casibus iuris scribit. *Dicitur Episcopos tempore Eduardi sexti creatos non fuisse consecratos, atque ideo non fuisse Episcopos, ac proinde locationes terrarum pro certo annorum termino, per eos factas; confirmatas etiam per Decanum & Capitulum, successorem eius non obligabunt, quia tales nunquam fuerunt Episcopi.* Hæc ipse. Et *Ridleus*, qui tempore *Eduardi* sexti sedem *Londinensem* vsurpabat, & locationes nonnullas fecisset, condemnatus iam ad mortem propter obstinatiam suam in hæresi, supplex à Regina *Maria*, teste *Foxio*, illam petijt gratiam, vt locationes per ipsum factæ, validæ haberentur ac firmæ. At si verus fuisset Episcopus, & legitimus sedis illius possessor, illud non gratiæ loco petijsset, sed tanquam ius, expressis Regni legibus stabilitum exegisset. Hinc igitur

Brokus in casibus nouellis, placito 463. *fol.* 101. *Iste liber denuò impressus fuit Lõdini cũ Priuilegio anno* 1604.

igitur clarè constat, quod Ridleus vel seipsum non verum Episcopum, vel saltem quod ab alijs pro non Episcopo habitus sit, nouerit.

Antequam vlterius in hoc argumento progrediar, te (prudens Lector) admonitum velim, quod quantumuis argumenta quę sequuntur, Episcoporũ *Elizabethæ* tẽpore creatorũ consecrationem, directè impugnent, non minus tamen contra eos, qui sub *Eduardo* ordinati sunt, militent. Nam omnes isti eodem ritu consecratos esse (si tamen, tantæ rei sacræ abusio, consecratio dici debeat) tum ex *Masono* superius allegato, tum etiam ex edicto anno octauo *Elizabethæ* edito, statim referendo constat. Hocque in mente retineri cupio, ne eadem infra repetere necesse sit, cum de ijs, qui eius tempore ad sedes Episcopales prouecti sunt, disputandum erit.

Admonitio lectori.

Quintum itaque argumentum, quod probat istos omnes tam *Eduardi*, quam *Elizabethæ* temporibus factos Episcopos, tales reuera, etiam *Protestantium* iudicio non fuisse, ex celeberrima *Edmundi Bonneri* Episcopi *Londinensis* causa deducitur, quam idcirco primum expone-

re oportet, talis autem erat.

Iuramẽtum primatus est, quo quis iurat Regem vel Reginã Angliæ supremũ Ecclesiæ intra regni sui limites caput esse. Qui iuramẽtũ istud sibi oblatum semel respuit, reus fit perpetui carceris & omniũ bonorum suorum amissionis, qui vero ite-

Edmundus Bonerus, verus ac legitimus Episcopus *Londinensis*, initio regni *Elizabethæ* è sede sua (cum tredecim alijs, vt inferiùs videbimus) eiectus, & in carcerem coniectus, à *Roberto Horno* Pseudo-Episcopo *Vvintoniẽsi* citatus fuit, vt Iuramentum præstaret primatus: quod ipse respuens, defertur ad Curiam, dictam Bancum Regium, vbi accusatur de reiecto iuramento primatus Regij, sibi ab Episcopo *Vvintoniensi* oblato: non negat factum, sed respondet non propterea se pœnam respuentibus iuramentum à lege inflictam, incurrisse, quia non erat ei debitè oblatum. Nam *Hornus*, qui illud ei obtulit, non erat Episcopus (ex legis enim præscripto nullus Ecclesiasticus non Episcopus, hoc iuramentum Episcopo offerendi potestatem habet.) Iudices Regni, coram quibus hæc causa acta est, nonnihil inter se altercati sunt, tunc primum in publico iustitiæ foro, & postea in camera primarij Iudicis, vbi conuenerunt, vt plenius, quid de ea re statuendũ foret, consultarent: nimirũ vtrum actio vel placitum *Boneri*, (qua allegabat se inculpabilem esse, quia *Hornus*

offerẽs illi Iuramentũ Episcopus nõ erat) à curia recipi deberet. *Et tandem communi omnium consensu* (inquit *Dierus* vnus ex dictis Iudicibus, *conclusum est, quod eius actio reciperetur*: hoc est, licitum foret *Bonero*, *Hornum* non fuisse Episcopũ, cum iuramentũ illi offerret, probare, & si id reuera probaret, indemnis à Curia abiret. Quis vero exitus huius causæ extitit, inde colligitur, quod *Bonerus* (non obstante quod propter zelũ suũ in hæreticos valdè erat illis odiosus, ac proinde varijs calumnijs appetitus) non solum iuramenti reiecti non fuit condemnatus, sed neque postea ea de causa vnquam amplius in ius vocatus. Quod clarè indicat, eũ demonstrâsse *Hornum* reuera non fuisse Episcopum, & consequenter neque cœteros, qui similiter ordinati fuerunt. Atq; hoc idem inde manifestè colligitur, quod anno sequenti, nempe anno octauo *Elizabethæ* nouum decretũ, ratam faciens nouellam ordinãdi formã à Parlamento editũ fuit, quod sic se habet: (Et hoc sextum argumentum erit, quo Superintẽdẽtes *Anglos* veros nõ esse Episcopos probamus.) Sed antequã istud senatusconsultum proferamus, Bõnerũ causam, suã contra eius aduersariũ

rum, & tertiò, feloniæ & læsæ maiestatis. Hæc causa refertur à Diero in libro inscripto Abrigeé des reportes de Dier. *fol. 234. anno 7. Elizabethæ.*

euicisse, & eum non fuisse Episcopum demonstrâsse, ex alio capite ostendemus. Sciendum ergo quòd etiamsi Curia Parlamenti sæpè dictam nouam consecrandorum Episcoporum formam validā esse voluerit, vt ex decreto statim proferēdo apparebit: nihilominus tamen omnes eiusmodi actiones, qualis fuit oblatio iuramenti facta per Hornum Bonnero, ante illum diem, nimirum ante editum decretum, exercitas; adeo speciatim declarauit irritas & nullius valoris, vt ad iustitiam & æquitatem causæ Bonneri respexisse nemini dubium esse possit, sed præstat verba ipsa legis describere.

Nihilominus statutum sit, quòd nemo quicquam molestiæ in personâ suâ, terris vel bonis in posterum patiatur ex nulla delatione seu accusatione per quemuis Archiepiscopum vel Episcopum hactenus factâ de non recepto iuramento authoritate Parlamenti stabilito. Et quod quæuis eiusdem iuramenti per quemcunque Archiepiscopum vel Episcopum oblatio hactenus facta, ex vi vel virtute cuiusuis decreti in primâ huius Parlamenti sessione stabiliti, & quæuis etiam taliter oblati iuramēti reiectio, inanis erit & nullius valoris. Eliza: anno 8. *cap.* 1. Ista sunt verba legis quæ actionem Hor-

ni quà Bonnero iuramentũ obtulit præstãdũ irritum seu minimè legalẽ declarauit, & consequenter eum non fuisse Episcopum ostẽdit: in cæteris enim omnibus legalem fuisse præfatam iuramẽti oblationem ex lege ipsâ liquidò constat. Sed eiusdem Parlamenti consultum, quod nouas has & recens excogitatas consecrationes ratas validasque reddit iam describamus.

E*a forma & modus ordinãdi Archiepiscopos, Episcopos, Sacerdotes, &c. quæ tẽpore* Eduardi *Regis Sexti edita fuit, permanebit, plenamque suam vim& effectum sortietur, & omnes res, & actiones hactenus habitæ, factæ, aut actæ per quamcunque personam, vel personas, in, vel circa quamcunque consecrationem, confirmationẽ, aut inuestituram cuiuscunque personæ, aut personarum, ad officium & dignitatem Archiepiscopi,* Episcopi, *&c. virtute patentium, aut commissionis Reginæ, ab initio Regni eius electarũ, præsentis Parlamenti authoritate, in omnibus& ad omnia validæ & integræ declarãtur, & iudicantur, nihil obstante quacunque re, quæ in contrariũ quocunque modo obijci potest.* E*t omnes, qui in Archiepiscopos,* Episcopos, *Presbyteros, &c. secundũ modũ in prædicta forma præscriptũ, ordinati seu cõsecrati hactenus fuerũt, vel in po-*

Poultonus in Kalẽdario pag. 141. num. 5.

sterũ erunt, reuera sunt, & præsentis Parlamenti authoritate declarantur, decernũtur, atque erũt Archiepiscopi, Episcopi, & Presbyteri, &c. rite creati, ordinati & consecrati, quocunque decreto, lege, canone, aut quacunque alia re in contrarium non obstante anno Eliz*abethæ* 8. *cap.* 1.

Camdenus in Analibus pag. 108. impressis Londini 1615.

Et *Cãdenus* in Annalibus suis de hoc ipso decreto hæc habet. *In hoc ordinum conuẽtu declaratum est, vnanimi omnium consensu Archiepiscoporum, &* E*piscoporũ Angliæ electionẽ, consecrationẽ, confirmationẽ & inuestiturã (quæ nõnulli calumniando in quæstionẽ vocârũt legitima esse, eosdemque rite, & ex actis statutisque regni, electos & consecratos fuisse. Sancitũ etiã est eos, & iã inde itidẽ consecrãdos, rectè, & ritè esse, & fore consecratos, quacũque lege & canone non obstãte. Põtificij enim illis, tanquã pseudo-*Episcopis *obtrectârũt, forsan eo quod vnctio, annulus, pedum pastorale, cum benedictionibus nõ adhibita, & quasi à tribus* E*piscopis nõ eßẽt rite ordinati, qui suam ascendendo ordinationẽ, ad Apostolicã authoritatẽ à Christo acceptã referre poßẽt. Quod tamen vt ex Regestis patet, verissime poterant, pijs precationibus, deuota Spiritus sancti inuocatione, manuũ trium eiusmodi Episcoporum impositione, concione habita & Eucharistia celebrata, consecrati.* Hactenus ille.

Quod ad Regesta, quorum hîc mentionẽ facit, attinet, cum *Masono* disputationẽ

infra inituri sumus. Quod autē ad obie-ctiones à *Catholicis* cōtra Episcopos nouo isto ritu ordinatos, formatas attinet, tibi (prudēs Lector) ex eis, quæ hactenus di-cta fuerunt, & pręsertim ex hoc ipso ordi-nium decreto, quod statim paulò dili-gentiùs ponderabimus, vtrum nimirum ex calumnia, vel ex ipsa rei veritate pro-cesserint, iudicandum relinquo. Sed for-tassè *Masonus* omnem hunc nodum no-bis enodabit; eum audiamus.

Hanc sibi ex *Sandero* obiectionem for-mat. *Cum omni legitima ordinatione destituti, vulgo dicerentur* (*Episcopi isti noui*) *& ipsis le-gibus Anglicanis verè probarentur, non esse* Epi-*scopos, brachiū sæculare inuocare coacti sunt, vt laici magistratus confirmationē in futuris comi-tijs acciperent, cuius authoritate si quid minus ritè, nec ad præscriptum legum in priori inau-guratione gestum esset, aut omissum, ipsis con-donaretur, idque postquam* Episcopali *officio & cathedra absque vlla* Episcopali *consecratione aliquot annos*, (ad septem nimirum anno-rum spatium) *functi essent. Hinc nomen illis impositū, vt Parlamentarij* Episcopi *dicerentur.* His talem *Masonus* efformat responsionē.

Ista habet Sanderus de schismate, l. 3. nonnihil ab initio

Aduerte: absque vlla Episcopali consecratione.

Pag. 122.

Conuentus ordinum, de quo hîc est sermo, celebratus fuit anno octauo Reginæ Elizabethæ; *in eo improbata est primū nimia quorūdā auda-*

cia, quia Cleri Anglicani statũ & cõditionẽ calunijs impetebãt, creationẽ & consecrationẽ eius in dubium vocantes, vtrum nimirum esset secundum iuris normam.

Rectè quidẽ. Ergo saltẽ dubia erat nõnullis cleri istius noui ordinatio, atq; idcirco penitùs reijcienda, etiãsi nullũ aliũ haberet defectũ. Quis enim sensu cõmuni præditus ordinationis ritũ, per mille & quingentos integros annos in orbe *Christiano* vsurpatũ, acceptũ, & approbatũ relinquendũ; & nouũ, cumque ad minimũ dubiũ vtrũ validus esset, nõ-né introducendũ fore existimaret? Sed non tantũ in dubium vocata ista noua consecrationis forma, sed probata fuit nulla, vt ex supra dictis satis iam constat. Pergit *Masonus.*

nimirũ ex causa Bonneri iam relata.

Secundò tales in mediũ adducuntur leges, quæ rem in quæstione positã concernunt, declarantes, omnia requisita (ad ordinationẽ scilicet) nõ minus exactè tempore Elizabethæ *fuisse peracta, quã in alijs quibusuis præcedentibus tẽporibus.*

Sed quæ fuerunt, obsecro, istæ leges? quare non citantur? Aliæ certè non potuerunt esse, quam illæ, quas ex ipso *Masono* superiùs retulimus, conditas nempe tempore *Eduardi* Regis, quibus vt vidimus, nouus ordinandi ritus præcipitur instituendus. Si enim alias intelligat,

egregiè ipsemet mentitur, dum dicit *illas leges declarare omnia ad ordinationem requisita non minus exactè sub Elizabetha peracta esse, quam alias vnquam.* Nam cũ manifestum sit antiquum ordinandi ritum vsque ad *Eduardi* tempora in *Anglia* semper durâsse, cui nihil simile habet nouus ordinandi modus, quomodo verum esse, potest omnia requisita nõ minus exactè peracta esse, quã alijs tẽporibus? Si dicat omnia requisita ad modũ ordinandi præscriptum ab *Eduardo* sexto, vel potius sub ipso fuisse adhibita, tametsi nonnulla adhiberi antiquitus solita, fuerint amputata, ineptus erit. Non enim quæritur quid præscripserit *Eduardus*, sed quid reipsa ad validam ordinationem necessariò requiritur. Cum igitur quæstio talis sit, nulla ratione apparet, quomodo vel tũc ille conuentus ordinum, anno octauo *Elizabethæ* habitus, vel etiam nunc ipse *Masonus* ostendat, Episcopos ordinatos iuxta formam excogitatam sub *Eduardo* Rege validè fuisse ordinatos, nisi tantũmodo ex vi illius statuti, & decreti, de quo hic loquimur; Et nihilominus *Masonus* hoc concedere timens, ne inde cõcludantur eorum Episcopi Parlamentarij tantum esse Episcopi (vt *Sanderus* di-

Tacet veritatẽ vt effugiat condemnationem.

cit) supponit, istud ordinum placitum, nullum conferre dictis consecrationib. valorem, sed eas validas præsupponendo, tales declarare. Quid igitur intelligit, cum dicit omnia requisita, fuisse non minus exactè præstita, tempore *Elizabethæ*, quam alias vnquam, neq; ego percipere, neque ille explicare potest. Sed addit ipse.

Tertio confirmant iterum librum communium precum, & formam ordinandi illi annexam (quam scilicet vidimus supra *Eduardum* Sextum præcepisse excogitandam) *decernuntq; omnes vel iam tunc ordinatos, vel postea ordinandos, iuxta ordinẽ in ea præscriptũ authoritate illius decreti declaratos, & sancitos verè esse, Archiepiscopos, & Episcopos, vere ordinatos, & consecratos, nullo statuto, lege, Canone, vel alia re quacunque obstante. Vnde cõstat quod Parlamentum eos non constituit* Episcopos, *sed cum ipsi essent reuera* Episcopi *legitimè consecrati, curia illa amplissima eos declarauit, & sanciuit tales esse.*

Hæc verba (*Omnes ordinati, vel ordinandi reuera sunt, atq; etiam huius decreti authoritate declarantur, & sanciuntur, atque erunt, Archiepiscopi & Episcopi legitimè ordinati & consecrati, non obstante quocunque sta-*

tuto, lege, Canone, vel alia re quacunque) clare indicant istud decretum ordinum non declarare tantum, ordinationes istas validas esse (tametsi hoc etiam facultatem illius curiæ, quæ temporalis est, potestatem longissimè excedat) sed etiam constituit, & (si posset) illas validas facit, idque adeo peremptoriè, vt nulla lex neque humana, neque diuina (tantum enim hæc verba, *statutum, Lex, Canon, vel alia res quæcunque*, sonant) huius decreti vim & efficaciam impedire possit. Rara sane, ac singularis Parlamenti *Anglicani* authoritas, & orbi *Christiano* hactenus incognita, atque inaudita, omnino tamen necessaria ad hoc, vt ordinationes istæ nouæ, ratæ validæque fiant. Nam nisi authoritas Parlamentaria maior sit, quam sit illa totius Ecclesiæ, immo nisi diuinæ potestati (cui proprium est sacros hos ritus instituere) adæquetur, impossibile est, eas absque vlla sacræ Scripturæ authoritate, atque omni Ecclesiæ praxis exemplo excogitatas, validas esse, atque veras. Nonne itaque Episcopi hoc modo instituti, Parlamentarij Episcopi,

Nō frustra sanè dicere solebat Cecilius Senior (vt refert S. Rex Iacobus in oratione habita in Camera stellata 20. Iunij 1616. quod nesciret quid Parlamentum Angliæ facere non posset.

Episcopi Angli Parlamentarij merito dicti.

iure merito nominantur? Quandoquidem, & ritus ipse ordinandi, authoritate Parlamenti sub *Eduardo* sexto primò excogitatus, & stabilitus sit, ac deinde sub *Elizabetha* vim atque virtutem veræ ordinationis, quam antea non habuit, simili authoritate Parlamenti receperit. Nam si illud *Eduardi* Sexti consultum, quo nouam ordinandi formam per sex Prælatos, atque sex alios in lege diuina doctos excogitandam statuit, atque istud ordinum decretum anno octauo *Elizabethæ* editum, quo ea forma inualuisse videtur, tollamus, non video vnde, vel à quo institutore, *Masonus*, ordinationes suas deriuare, vel quâ authoritate, diuinâ, aut humanâ illas validas, legitimasq; probare, & confirmare posset. Si enim iudices regni, noui Euangelismi professores, gratia, fauore, & authoritate Principis, & totius regni status suffulti, & muniti, Episcoporum suorum ordinationes, coram tribunali suo, pro spuriis vel nullis habitas, nulla sua iuris peritia, hac labe liberare, sartasque tectas cōseruare possent, quin eas nullas probatas necessario viderent, (vt in causa *Bonerj Londinensis* Episcopi iam vidimus: vnde

tandem prodijt transcendens istud, atq; supra modum temerarium Parlamenti decretum, eas authoritate sua immensa, ratas faciens) quis sperabit *Masonum* hoc posse præstare? Enimuero si ab eis prædictum decretum auferamus, in absolutam redibunt nullitatem, à qua per illud solum sunt exemptæ, ac liberatæ, proindeque Parlamentarij Episcopi propriè dici debent. *Masonus* suam responsionem sic tandem concludit.

Sed quid ad hæc omnia Papistæ? Cum ordinationes Episcoporum nostrorum impugnare nequeant, in exiguam saltem vindictam, religionem nostram religionem Parlamentariam, & Episcopos nostros Parlamentarios Episcopos vocant. Nonne eodem iure dicere possumus nos, quod ipsi tempore Reginæ Mariæ Parlamentariam missam, ac Parlamentarium Papam habuerint?

Insulsa illatio.

Vbique ineptus, & insulsus est. quis enim nescit missam, & authoritatem Papæ, non in *Anglia* tantum, sed per totum orbem multa sæcula ante *Mariæ* Reginæ regnum recepta esse, cum tamen ordinationes istæ, de quibus hîc est sermo, nullibi ante *Eduardi* Sexti regnum in toto mundo extiterint? Præterea non san-

citum est sub Regina *Maria*, quod missa esset vera missa, & authoritas Papalis vera authoritas, nulla lege, vel re alia quacunque obstante, vt de ordinationibus Episcoporum suorum sub *Elizabetha* sancitum fuit: sed libera frequentatio missæ, & debita Papalis authoritatis recognitio, quæ omnes eius progenitores ab *Aethelberto* primo *Anglorum* Rege *Christiano*, cum omnibus aliis *Christiani* orbis principibus frequentauerant, & agnouerant, sub Regina *Maria*, postquam illa, sub *Eduardo* fratre, ista sub *Henrico* patre, per aliquot annos è regno exulauerat, restituta fuit. Adeo vt neque missa, neque authoritas Pontificis *Romani* aliter à Parlamento dependent, quam vt vnicuique subditorum liceat, vtramque liberè, & absque legum pœnalitate impunè agnoscere & amplecti. Et quamuis libera vtriusque professio per iniustas leges prohiberi possit, (vti reipsa in *Anglia* iam prohibitam videmus) per nullas tamen leges ita immutari possunt, vt nullæ reddantur, quod quidē in ordinationibus Episcoporum istorum eueniret, si illa ordinum decreta, quibus institutæ, stabilitæ, atque validæ reddantur, &

ante quæ edita nullæ erant, abrogarentur. Neque enim missa, neque summi Pontificis authoritas instituta fuit per decretum aliquod parlamentarium, vt ordinationis noua forma, & consequenter, neque per decretum Parlamenti in nihilum redigi possunt, vt illa. Ex quibus omnibus clarè constat, quod tametsi hodierni *Angliæ* Episcopi, iustè rectéq; Parlamentarij appellari possint, vtpote à Parlamento instituti, & consequenter quod veri Episcopi non sint, quia potestatem creandi, vel instituendi Episcopos Parlamento competere non posse omnes nôrunt, nihilominus missam vel potestatem Papalem, non nisi insulsissimè Parlamentariam dici posse. Nostrum hoc argumentum, ex alia obiectione, quam contra Episcoporum suorum ordinationes *Masonus* sibi efformat, validè corroboratur. Obiectio talis est.

Masonus format sibi obiectionem quã nullo modo soluit.

Si istorum consecrationes validæ fuerint (loquitur de *Parkero*, cæterisque initio Regni *Elizabethæ* nouo ritu inauguratis) *cur regina in literis suis patentibus, quibus eorum mandauit consecrationem fieri, generalibus quibusdam verbis, &*

sententiis vsa fuerit, per quæ, cum omnibus causis vel dubijs cuiuscunque imperfectionis, inhabilitatis, vel incapacitatis, quæ quoquo modo contra eos obiici posset, dispensauit, vt ex quodam ordinum decreto, quod ad dictas patentes in registro reseruatas, nos remittit, constare potest.

Masonus nullam ad hanc obiectionē sufficientem responsionem adhiberi posse perspiciens, ad secreta, & profunda Reginæ consilia, tanquam ad quoddam sacrum asylum refugit, confidens vt existimo, neminem illum eousque insequi audere, atque inde, tanquam ab inexpugnabili arce, coniecturalem hanc solutionem profert.

Inania verba.

Poterat ipsa eas in regali suo pectore rationes voluere: quarum nos propter imbecillitatem nostram capaces non sumus. Sed si liceat mihi coniecturis agere, existimarem illam ad maiorem cautelam hoc fecisse. Non deerant enim maleuoli Papistæ, qui statum cleri nostri curiosè inspicientes, minimam imperfectionem, quæ illi obrepere poterat, diligenter obseruarent; ad præcauendas itaque eorum calumnias, & obstruenda ora malitiæ, pia illa regina non solum solicita, vt omnia requisita, & ad rem spectantia, non minùs exactè quam alias vnquam fierent,

rent, sed etiam vt omnibus satisfieret, vt omnia dubia, scrupuli, & ambiguitates auferantur, & vt nec minima macula clero suo adhæreret, visum est, (si forte aliquid ex prætextu Canonis, aut statuti cuiuscunque perspicax malitia obiiciendum inueniret) cum eo fauorabiliter dispensare; quod nullum in eorum ordinationibus defectum, sed Religiosi Principis piam solicitudinem arguit. Hactenus ille, semper vt solet vanus, & omni rationis pondere, & momento vacuus. Sed quæ protulit discutiamus.

Discutiuntur & valide refelluntur.

Quod aliquis fuerit in his hominibus verus atque realis defectus, vel incapacitas dispensatione necessariò indigens, ex ipsius Reginæ verbis, (quibus *cum omnibus causis, cuiuscunque imperfectionis, vel inhabilitatis dispensat,*) satis constat. Nullus enim prudens, dispensandi potestatem habens, caussis imaginariis, vel merè possibilibus indeterminatè, & illimitatè dispensationem impendit. Ita enim, & seipsum ludibrio exponeret, & potestate sua turpiter abuteretur. Deinde si nulla illis inesset vera dispensandi occasio, omnino superflua, & otiosa

fuisset talis dispensatio. Friuolum enim est, quod dicit *Masonus*, nimirum illud fieri ad præcauendas *Papistarum* calumnias. Quis enim vnquam Princeps dispensationem (adeo præsertim illimitatam, qualis est ista) concedere solet, vbi nulla alia occurrit dispensandi ratio, quam vt præcaueātur ineptæ subditorum suorum contra decretum vel factum suum cauillationes? Cum enim omnes Principes sciant, sentiantque se ea potestate munitos, qua iustas, ac validas suas leges, facta, & statuta, contra inanes quorumcunque calumnias defendant, atque in vigore suo conseruēt, non solent, neque debent tantum se iudicio vulgi subiicere, vt ad præuueniendas eius cauillationes, dispensationes nō necessarias (quæ dissipationes reuera sūt) in quacunque re concedant.

Cum itaque satis constet, aliquem fuisse in hominibus illis, ad Episcopalem dignitatem per *Elizabetham* prouectis, defectum, & incapacitatem dispensatione indigentem, & cum clare etiā cōstet, Reginam nullam dispensandi in rebus Ecclesiasticis potestatem habere, necesse est vt illi iidem defectus in eis maneant,

&c consequenter eorum consecrationes illegitimæ sint atque inualidæ. Si dicatur reginam sufficientem dispensandi cũ illis potestatem habuisse, proferatur aliquod illius potestatis fundamentũ, si non ex Scriptura sacra (quod tamen iustè ab aduersariis, qui nihil credendum dicunt, quod ex scripturis non probatur, exigere possumus) saltem ex conciliis aut patribus, aut vno aliquo approbato exemplo, in toto mille & quingentorum annorum curriculo. Et si nihil huiusmodi in confirmationem dictæ potestatis adduci possit, quis sensu tantum communi præditus, dispensationem hanc à Regina concessam, validam esse dicet? Certe hãc tam amplam in omnibus causis dispensandi potestatem ipsimet *Protestantes Angli* principi non concedunt, vt in capite vltimo ostendetur. Inanis itaque atque inualida etiam iuxta ipsorũ doctrinã fuit ista Reginæ *Elizabethæ* dispensatio nouis suis ordinandis concessa. Tantum igitur abest, vt dispensatio regia consecrationes istas certas, ac indubitatas reddat (quod *Masonus* prætẽdit) vt multo magis dubias, & incertas eas faciat. Nam cũ ex ipsamet dispensatione constet, illam ne-

Efficax omnino argumẽtum.

cessariam fuisse ad hoc, vt consecrationes dictæ validæ essent, & præterea cõstet Reginam nullam talem dispensandi potestatem habuisse; fit vt ex tali concessa dispensatione, consecrationes illæ multo magis dubiæ reddantur; quam absque ea fuissent.

Et cum *Masonus* dicat fuisse maleuolos *Papistas*, qui imperfectiones istas in Episcopis, & clero *Protestantium* obseruarunt, si intelligat illos solos eas obseruâsse & vidisse, mentitur apertè, non enim soli *Catholici* nullitatem in eis detexerunt, sed *Protestantes* iudices illam etiam viderunt, immo ipsimet Pseudoepiscopi eundem defectum in seipsis percepisse videntur, vt ex supra dictis satis apertè colligitur. Denique adeo omnibus palam erat, vt nuditati suæ tegumentum ab ordinum conuentu, miseri homũciones emendicare coacti fuerint, in eo vero multo miseriores, quod quô magis deformitatẽ suam obtegere laborarunt, eô magis eam denudârunt, & omnibus intuendam exposuerunt. Nullum enim adeo obesis naribus inueniri posse existimo, qui vel Reginam, vel Parlamentum talem habere potestatem iudicabit, vt or-

dinationes Episcopales, ex se illicitas, aut nullas, decreto suo validas efficere possit. *Masonus* etiam hoc ipsum perspexisse videtur, ita enim rem totam fuco illinire contendit.

Regina cum transgreßionibus contra leges proprias tantum dispensauit, non in ijs, quæ ad essentiam ordinationis spectant, sed in ijs tantum, quæ accidentaliter eam respiciunt, non in substantia, sed in circumstantijs. Neque voluntariam legis violationem fieri conceßit, sed de eis tantum omißionibus dispensauit, quas ratio temporis, & rerum neceßitas postulabat, vt ex patentibus ipsis patet. Et Deo omnipotenti placuit, ita res ordinare, vt omnia exquisitißimè perficerentur. Nihilominus Papistæ (ea erat illorum in clerum nostrum malitia) contrarium diuulgârunt. Vnde factum est, vt suprema regni ordinum curia, anno octauo celeberrimæ illius Reginæ celebrata, post maturam totius rei considerationem, eorum accusationes, calumnias, nulla iusta ratione fundatas esse pronuntiauerit. Deo enim sit laus, omnia honeste & ordinate, ab ipso initio Regni sui facta fuerunt.

Tergiuersatur Masonus

Quid amplius in hac causa dici possit, non video quidem, ac proinde *Masoni* industriam in hac parte suam mereri

laudem non inficior; nihilominus E-piscopos suos omni essentiali ordinis defectu carere minimè ostendit, vt statim videbitur. *Regina* (inquit) *cum transgressionibus contra leges suas dispensauit.* Hic imprimis obseruare debes, (Lector) dispensationem istam non fuisse concessam tantum ad præcauendas *Papistarum* calumnias, vt paulo superius dixit *Masonus*, sed ob aliquam veram ac realem occasionem, vt in præcedentibus ostendimus. Deinde si intendisset Regina dispensare solum de transgressionibus contra leges suas, quare non specificantur istæ leges, & transgressiones, vel in ipsa dispensatione, (quod vt efficax foret, necesse erat, vt *Masonus*, vel nouit, vel nôsse debet) vel saltem ab ipso *Masono*, vt inde appareret eum, ista effugiendi tantum gratia, voluntariè non confinxisse. Sed reuera huiusmodi leges ab ea conditæ (de quarum transgressionibus dispensare poterit) nullę erant ante dispensationem hanc concessam, quam anno secundo regni sui elargita est. Neque de transgressionibus contra prædecessorum suorum leges dispensâsse dici potest, quia in primo ordinum

Nihil ad rem profert.

conuentu qui sub illius regno celebratus fuit, omnes prædecessorum suorum leges, quæ nouam hanc ordinandi formam prohibere videbantur, abrogauit: ac proinde de earum transgressionibus dispensare ridiculum esset. Necesse igitur est, vt de transgressionibus legis vel diuinæ, vel Ecclesiasticæ dispensare voluerit, idque ex istis verbis decreti Parlamentarij superius relati, *Nullo statuto, lege, canone, vel alia re quacunque obstante,*) satis apertè colligitur. De quibus tamen transgressionibus dispensandi nullam maiorem potestatem habere potuit Regina, quam habuerunt subditi eius de transgressionibus contra leges suas dispensandi, hoc est, nullam penitus.

Sed quod addit Reginam dispensâsse, *Non in essentialibus, sed accidentalibus, non in substantia, sed in circumstantijs*, non ineptum solum, sed & ridiculum planè est. Primùm enim controuersia nobis est, vtrum ordinatio noua, qua per dispensationem regiam ordinandi erant, integram ordinationis essentiam contineat, necne. Et *Masonus* ponens pro conclusione id quod est in quæstione,

dicit non dispensatum fuisse cum essentialibus, hoc est, nihil essentiale præter missum esse. Deinde cum dicat Regina *dispensamus cum omnibus causis, vel dubijs cuiuscunque imperfectionis, vel inhabilitatis quæ quacunque ratione contra illos obijci potest* apparet eam voluisse dispensare cum iis omnibus, quæ contra eos *Catholici* obiiciebant, vel obiecturi erant: ista vero essentialia fuisse in eorum sententia, manifestum est, ex eo quod nouos istos ordinatos veros Episcopos nunquam existimârunt.

Masonus p. 11. & 94

Denique cum Ecclesia *Anglicana* reformata secundum sapientiam sibi datam (scilicet ab authore illius reformationis) prudenter & religiosè (vt ait *Masonus*) omnes superfluos, & superstitiosos ritus, & cæremonias in ordinatione adhiberi solitas amputauerit, nulla apparet ratio, cur vel quomodo dispensare potuit cum circumstantiis, & non cum substantia. Nam quod dispensare voluit cum illis circumstantiis vel cęremoniis, quæ secundum sapientiam Ecclesiæ suæ retentæ fuerunt, nullo modo est probabile.

Quando dicit E*lizabetham dispensâsse tantum cum ijs omissionibus, quas ratio temporis, & rerum necessitas postulauit*, satis manifestè prodit essentialem defectum in eorum ordinatione, nimirum defectum Episcoporum, qui eos consecrarent. Ad hanc enim omissionem & non ad aliam, rerum necessitas, & hæretica eorum peruersitas eos coegit. Sed de isto defectu latè infrà dicemus.

Septimum & vltimum argumentum, quo probatur Episcopi *Angli* vera ac valida cōsecratione carere, tale est. Ioballus vulgò dictus *Iuellus*, vnus ex numero illorum qui in sedes Episcopales initio regni E*lizabethæ* intrusi, & noua ordinationis forma consecrati fuerunt, cœterorum omnium paratissimus, & forte etiam potentissimus, suam sociorumque ordinationem defendere, illius insufficientiam, & essentiales defectus negare non est ausus: sed fortissima aduersarij sui hac de re proposita argumenta dissimulando & silendo, verè defectuosam in iudicio cuiusque prudentis agnouisse videtur. Ac proinde plusquam probabile est, eos vere ac valide nō fuisse ordinatos: vt vis huius argumenti clariùs omnibus appareat,

disputationem *Hardingi* cum eodem *Iuello* hac ipsa de re exponere oportebit.

Hardingus itaque ita eum exagitat: *Vt successionem vestram, quam probare non possis, relinquamus, & ad vocationis vestræ discussionem accedamus, dicas mihi velim, Cum teipsum tanquam Episcopum Salisburiensem geras, quomodo vocationem tuam probas? Qua quæso authoritate fultus, doctrinæ & sacramentorum administrationem tibi assumis? quam ministerij tui probationem afferre possis? Quis tibi manus imposuit? Quo præcedente exemplo illud fecit? quomodo, & à quibus es consecratus? Quis te misit? Quis munus quod exerces tibi commisit? Sacerdos es, an non? Si non sis, quomodo nomen & munus* Episcopale *vsurpare audes? Si sacerdos sis, dic mihi quis te ordinauit? Nullus vnquam hactenus sacerdos, nisi ab Episcopo institutus inuenitur.* Episcopi *etiam semper ab ipsorum Apostolorum temporibus, à tribus alijs* Episcopis *cum consensu Metropolitani, & Pontificis Romani confirmatione iuxta Ecclesiæ Canones consecrati fuerunt. Sic vnitas hactenus seruata fuit, sic schismata amputata. Et hæc est, quam sanctus Cyprianus legitimam vocat ordinationem; propter cuius defectum, negauit Nouatianum esse Episcopum, vllam*

Harding. in confutatione Apologiæ Ecclesiæ Anglicanæ à Iuello editæ fol. 57. 58. Scias lector Iuellum apologiã Ecclesiæ Anglicanæ edidisse, quã refutauit Hardingus: Cui respõdit Iuellus. Hardingus replicauit. Et Iuellus tandem

ue in Ecclesia potestatem habere. Ad ista neque te, neque socios tuos, qui sacramentorum administrationem inuasistis, quicquam verè respondere posse benè scio.

eius replicationem cōfutare prætendi.

Nonne memineris, quale iudicium sanctus Athanasius, & Episcopi Egypti, Thebaidis, Libiæ, & Pentapolis de Ischyra Ariano olim tulerunt? Et cur obsecro idem de te ferre non possunt omnes Catholici? Deinde quid dices de sancto Epiphanio, qui Zachæum quendam sui temporis acriter reprehendit, quod cum sacerdos non esset, sacra mysteria tractare, & munere sacerdotali fungi praua temeritate ausus est. Validis his atque vehementer vrgentibus interrogationibus, quam solidam ac directam responsionem format *Iuellus*, audiamus.

Epist. ad Magnū.

Sub Eduardo ablata fuit vera ordinatio & falsa excogitata vt supra vidimus: ergo Iuellus nunquā fuit sacerdos.

Iuellus.

Cum tibi placuerit literas ordinationis meæ testimoniales à me exigere, & interrogare, tanquam authoritatem haberes, vtrum sacerdos sim necné? Quæ manus mihi impositæ fuerunt? & quo iure ordinatus sim? Respondeo quod factus sim sacerdos iam satis pridem, eodem iure, eodemque præscripto, & ni fallor, ab eodem homine, & per easdem manus, quibus

(*tu Hardinge*) *sacerdos creatus es, tempore Eduardi Sexti optimi Principis. Idcirco de sacerdotio meo ambigere nequis, nisi tuum quoque in dubium reuocare velis.*

Ad hanc responsionem *Iuelli, Hardingus*, hoc modo replicat. *Neque eodem praescripto Iuelle, neque ab eodem homine, neque per easdem manus, neque in tempore dicti Regis. Sed nec dimidiam dictorum meorum partem refers. Hoc enim ex S. Hieronymo fundamentum posui.* (*Ecclesia non est, quae non habet sacerdotem*) *& talem sacerdotem ibi describit, qui sacramentum altaris consecrandi potestatem habet; hoc est qui sacrificium externum offerre potest, talemque Episcopum depingit, qui sacerdotes ordinandi potestate pollet. Nam vocabulum* (*sacerdos*) *vt nosti, Episcopum quoque significat. Sanctus Hieronymus ibi contra Hilarium Diaconum disputabat, qui cum solus esset in noua sua secta, & neque sacrificare, neque sacerdotes ordinare posset, necesse erat vt congregationem suam absque sacerdote relinqueret. Idcirco tam de vocatione tua ad Episcopalem gradum, quam ad sacerdotium inquiro. Patere igitur vt dicta mea tibi iterum in mentem reuocem. Ita ego scripsi, & nondum respondisti, vt successionem vestram quam probare non possis relin-*

Hardingus in detectione errorum Iuelli fol. 129.

quamus, & ad vocationis vestræ discußionem veniamus : & cætera ad verbum, prout ex priori suo libro, scilicet ex *Apologiæ Ecclesiæ Anglicanæ* confutatione retulimus. Et tandem in loco ex secundo hoc libro citato, vlteriùs addit.

Cum ista à te Iuelle, quæsiuerim, neque dicis quo præcedente exemplo manus tibi impositæ fuerunt, neque quis te miserit, sed hoc tantum refers, quod ipse te sacerdotem creauit, qui me in tempore Eduardi regis ordinauit. Sed ego ad gradum sacerdotalem tempore Eduardi non ascendi; ac proinde si magis sacerdos non sis, quam ego tunc temporis fui, adhuc in Diaconatus gradu manes, neque illum quidem gradum secundum ritum Catholicum adeptus es, sed schismaticè tantum. Enim vero, postquam quæstiones illas, quas tibi in confutatione mea proposui, penitius apud me ponderaueram, sentiebam me non modo sacerdotem non esse, sed neque legitimum diaconum, per eam ordinationem, quæ tempore Eduardi Regis conferri solebat, certus quod iÿ, qui alios ordinare eo tempore præsumebant, erant ipsi omnino sine ordine, ministrantes ordines non secundum Ecclesiæ Catholicæ ritum,

quippe qui omnium Episcoporum in orbe Christiano successionem abycientes, nouam congregationem propriæ suæ plantationis sibi erexerūt, cuius forma ex proprio tantum cerebro conficta, nunquam antea in toto orbe vel visa fuit, vel in vsu extiterit.

Nota. His & pluribus alijs ab *Hardingo* ad inanem ac leuissimam *Iuelli* responsionem replicatis, quid tandem satisfactionis affert ipse? Profundum silentium, adeo enim totam hanc refutationem dissimulat, ac si nunquam edita fuisset, tametsi librum tertium ediderit ipse *Iuellus*, quo quicquid *Hardingus* in libro quo ista leguntur, sibi obiecerat, respondere prætendit. Sed nouit versutissimus homo, ista probabilem aliquam responsionem recipere non posse, ac propterea tam in secundo, quam in tertio suo libro, ea penitus dissimulare tutius sibi fore existimauit, quam ea referre, & tamen non diluere. Confidens insuper, quod aduersarij sui libri (quos sub falsa seditionis specie per publicum edictum prohiberi curauit) à paucis legerentur, & consequenter dolus suus nisi valde paucis quoque innotesceret. Sed videamus, si cœteris aduersarij sui interrogationibus

Versutia Iuelli.

plenius satisfaciat.

Iuellus.

Porro ac si Metropolitanus mihi esses, interrogas vtrum Episcopus sim, necné? Respondeo Episcopum me esse per liberam, consuetam, & canonicam totius capituli Salisburiensis ad id solemniter conuocati electionem, cuius tu aliqua pars eras, Hardinge, atque vt audiui præsens in tua propria persona inter cæteros fratres tuos eidem electioni liberum, & apertum suffragium dedisti. Si istud neges, caue ne contra teipsum testimonium feras.

Iuellus p. 129. Interrogatus de cõsecratione, respondet de electione, & cum mendaciorum multitudine.

Hardingus.

Non erat Iuelle, libera tua electio, quandoquidem capitulum quod te elegit certissimè nouit, nisi te eligeret, & legum pænalitatem, & principis iram incurreret. Non erat canonica tua electio, quandoquidem ipse electus sit, quem antiqui canones talis dignitatis & functionis incapacem indicant. Et post nonnulla, quibus ostendit electionem *Iuelli* fuisse contra antiquos canones, addit;

Hardingus in detect. fol. 232

Dicis tamen te canonica electione Episcopum esse si canones debitam obtinerent obseruantiã, illi qui te elegerunt, & ius suffragij amittere, & aliter etiam puniri deberent, quod adeo fuerint vecordes, vt talem sibi eligerent prælatum, quem à sacris canonibus multipliciter condem-

natum nôrint. Fuitnè aliquado quispiam te impudentior Iuelle? Quid tu me mortuo, meo confingeres nomine, qui me viuo ea mihi imponere non erubescis, quæ non modo non feci, sed neque facere quidem cogitaui? Fateor me de illo capitulo tunc temporis fuisse quidem, vti Ecclesiæ illius præbendarium atque thesaurarium, sicut & modo etiam iure sum: sed de eorum numero, qui electioni tuæ suffragati sunt, non eram. Dicis prætereà te certiorem factum fuisse, quod ego præsens ibi existens, suffragium meum electioni tuæ liberè & apertè dederim. Sed hîc, vt sæpissimè aliàs, lectorem tuum apertissimo mendacio fallis: tu enim contrarium noueras. In summa non eram ibi, neque mihi intimata res erat, quando prætensa electio peracta fuit.

Et si mea negatio tuæ affirmationi præualere non mereatur, inspiciantur regesta, illa enim (quantumuis egregius sis falsarius) facile corrumpere nequis. Interrogentur M. Georgius Caruillius Ecclesiæ Præcentor, & Regiæ Capellæ Decanus; M. Richardus Chandelerus Præbendarius, & Archidiaconus Sarisburiensis; M. Parry eiusdem Ecclesiæ Cancellarius amicus tuus, & in fide socius, vtrum electioni tuæ præsens, liberum ei consensum præbuerim? Nôsti, nôsti tu rectè, Iuelle, tam me, quam R.

dum

dum illum Sacerdotem, & Ecclesiæ illius Præbendarium M. Dominicum (quos dum Reginæ nomine Ecclesiam nostram visitares, custodiæ inter parietes nostros tradidisti) electioni tuæ suffragari expressis verbis pernegasse. Sane idem omnino scelus reputauimus, te in Sarisburiensem Episcopum, atque Arium, Eunomium, Nestorium, Eutichem, Aerium, Pelagium, vel alium quemcunque condemnatum hæreticum elegisse. Tot igitur falsitates, quas hîc vno tantum spiritu effutÿsti, reuoca. Electio tua non erat libera, non erat canonica, totum non aderat capitulum, non eram ego ibi præsens, neque absens consensi. Cum igitur ista omnia tanta inuerecundia affirmaueris, caue (vt tuis vtar verbis) ne testimonium contra teipsum ferre cogaris.

Regina papissam agit, visatores Ecclesiis Cathedralibus designās

His omnibus nihil penitus respondet *Iuellus*, sed omnia altissimo silentio obuoluit. Tot enim tantarumque falsitatum euidenter conuictus, eas potius sub silentio præterire astutus homo voluit, quam talem lacunam mouendo, omnia suo fœtore inficere. Sed ad reliqua *Hardingi* interrogata respondet.

Iuellus.

Quod ad fabellas tuas de Ichyra, & Zachæo attinet, nos minimè concernunt: non

erant ex nostris: eos non nouimus. Episcopi nostri ea forma & ritu quibus semper solebant creantur, libera nimirum Capituli electione, Archiepiscopi, & aliorum trium Episcoporum consecratione, & Principis consensu seu admissione.

Hardingus.

Detectio fol. 234.

Hæ veræ historiæ, non fabellæ, te tuosque Iuelle, in tantum concernunt, in quantum indicant, Sacerdotes non ita apud vos institui, vt ad altare stantes sacrificium offerre queant, quod Ischyram perpetrâsse dictum fuit. Et de Zachæo S. Epiphanius scribit, (quod ludenter mysteria contrectabat, & sacrificia cum laicus esset, impudenter tractabat.) Quæ obsecro habet vestra religio sacrificia, quæ laicis non minus, quam Presbyteris tractare non liceat? Sed quia omne externum sacrificium, & Sacerdotium abiecistis, ideo Zachæi exemplum ad vos pertinere minimè iudicatis. His certè exemplis ostenditur, te, tuosque socios Episcopos non esse, atque eatenùs non sunt impertinentia.

Parkerũ intelligit de quo plura c. sequẽti.

Dicis Episcopos vestros per Archiepiscopi, triumque aliorum Episcoporum consecrationem creatos esse. Sed Archiepiscopus ipse quomodo, quæso, consecratus fuit? Et qui fuerunt tres illi in toto regno Episcopi, qui manus

illi imposuerunt? Rem deteriorem contra temetipsum modo protulisti, quam à me obiecta adhuc erat. Nam Metropolitanus vester, qui omnium vestrum consecrationes authoritate sua confirmare deberet, legitimam consecrationem minimè obtinuit. Fuerunt quidem in regno Episcopi legitimi, qui vel non fuerunt requisiti manus vobis imponere, vel requisiti, illud facere recusârunt: quod clarè demonstrat vos talem consecrationem, quæ in vsu semper fuerat, non quæsiuisse, sed aliam nouam, quam omnes antiqui Episcopi despiciebant.

Noteturistud.

Ad hanc acerrimam replicationē, qua tam expresse obijcitur Episcopos nouos *Angliæ*, & nominatim Metropolitanum ipsum, ex cuius legitima consecratione reliquorum institutio dependet, non fuisse consecratos, nihil prorsùs respondet *Iuellus*, veritate nimirum obiectionis conuictus. Et hactenus disputationem *Hardingi Catholici*, doctoris cum *Iuello* Pseudo Episcopo olim *Sarisburiensi* fuse descripsimus, idque duplici de causa.

Quare tam prolixa de Hardingi cum Iuello disputatione mentio hic facta sit.

Primum, vt cautus Lector, siue *Catholicus* sit, siue hæreticus, clarè perspiciat, quod ipsemet *Iuellus* (nouorum magistrorum in *Anglia* Coryphæus,

ex illorum numero, de quorum consecratione instituitur controuersia, vnus, ac proinde quomodo peracta erat, non ignarus, paratus atque etiam potens (si quis alius) eam defendere, si defendi posset) argumentorum vi manus dare, ac tam seipsum, quam omnes suos collegas legitima, canonica, ac valida consecratione Episcopali caruisse agnoscere cogatur. Non quidem per expressam ipsius veritatis agnitionem, (hanc enim hæretica peruicacia, & obstinata in errore suo permanendi pertinacia, non permisit,) sed per totalem argumentorum contra ipsum obiectorum (quia eis satisfacere nequibat) dissimulationem. Quod in obiectione facta contra consecrationem *Parkeri* Cantuariensis primi Archiepiscopi, & totius *Angliæ* Metropolitani, ex cuius consecratione reliquorum (vt iam diximus) ordinationes dependent, speciali obseruatione est notandũ. Istũ enim aut omnino non consecratum, aut id factum fuisse ad caput mannuli (vt inferiùs dicemus) aut alia tandẽ ratione, quã ipse *Iuellus*, ne maiores aduersarij sui perspicacissimi insultus subiret, exprimere nõ audeet, clarissimè ex eius obstinata obiectorũ

Præcipuè notandum.

dissimulatione cõstat. Si enim probabilẽ aliquã vel apparentem saltẽ satisfactionẽ pungentibus his de sua, suorumque ordinatione interrogatis, & obiectis efformare potuisset, tam mutus in sua defensione absque dubio non fuisset.

Qualis idcirco, quantæque fidei sunt illa acta, tabulæ, siue regesta, de quibus *Masonus* tantoperè gloriatur (quibus harum omnium consecrationum diem, locum, & ministros, notari iactitat, vt fusiùs infra videbimus) prudentis Lectoris iudiciũ esto. Sane talia omnino esse debẽt, quæ vel *Iuellum* penitùs latuerunt (cũ tamen illius nomẽ propria manu in eis scribi deberet) vel ad defendendam istorum consecrationem adeo exigui, aut nullius potius momenti, vt illũ pigeret ea in sua, suorũque Collegarũ defensione proferre. Quis enim prudens & cordatus sibi persuadere potest, *Iuellum* qui cum vnus ex ordinatis esset, istarũ tabularũ si extitissent, certam notitiã habere deberet, & non minus quam *Masonus*, quanti ponderis essent ad suam consecrationem propugnandam sciret, in tantas angustias in causa sua defendenda redactũ, eas neque proferre, neque minimam earum mentionem facere voluisse?

Conuincens argumẽtũ.

2. Secunda ratio, cur istam *Hardingi* cum *Iuello* disceptationem tam fusè retulerim, est, vt ij, qui *Hardingum* in proprijs libris non legunt (vel quia libros ipsos non habent, vel quia idiomate *Anglicano* scriptos non intelligunt) sed vt eum in *Iuello* editum inueniunt, sciant quam facile, si *Iuelli* relationi credant decipi possint. Nam sicut in ista controuersia de Episcoporũ suorum consecratione, ita etiam in cœteris omnibus, ea aduersarij sui argumenta, quæ magis vrgent, silentio præterit; & ea tantum, quibus apparentem aliquam responsionẽ formare posse pręsumit, refert, vt ita saltem ab imperitiori suo Lectore, aduersario apposité respõdisse videatur, Quod quidẽ ab omnibus, qui eũ lecturi sunt, cuiuscunque opinionis fuerint, obseruari velim. Magis enim fucatum, & minus solidum *Catholicæ* religionis aduersarium, quam *Iuellum*, si cum attentione legatur, vix quisquam inueniet.

Argumentum diligẽter põderãdum.

3. Sed vt capitulum istud claudamus, illud obseruandum prætereà occurrit, quod cum non *Hardingus* solus, sed etiam quàm plures alij *Catholici* scriptores *Angli*, contra nouos superinductos, atque intrusos in sedes Episcopales initio regni *Elizabethæ* superintẽdentes defectũ

vocationis, & consecrationis expressis, conceptisque verbis obiecerint, tamen neque ab ipsismet, qui titulo Episcopali insigniti fuerunt, (ac proinde qui acta ordinationis suæ, si quæ tunc fuissent, optimè omnium nosse deberent) neq; à quouis alio, in eorum fauore ad huiusmodi acta inspiciēda remissi fuerint, immo nec minimam talium commentariorum, (qualia *Masonus* iam post quinquaginta annos, tanquam authentica ordinationis istorum testimonia nobis obtrudere contendit,) mentionem audierint, euidens argumentum est, talia non fuisse, vt authenticam de re, in quæstione posita fidem facere possent. Nam si tunc temporis verè extitissent, & eiusmodi etiam fuissent, quæ rem controuersam euincere, & dirimere potuissent, quomodo fieri potuit vt tam diù in obliuione laterent, neque vsque modo in lucem prodirent? præsertim cum ipsimet, quorum maximè interfuit, toties tamque vehementer ad ea producenda, per aduersarios suos, de eorum defectu in hac parte triumphantes, & quodammodo insultantes prouocati fuerint.

Masonus ipse nonnullorum *Catholicorum* contra nouam cleri *Anglicani* ordinationem obiectiones refert, quas hîc describere, vna, vel altera illis adiecta, non pigebit, vt de valore regestorum, quæ ipse quasi postliminio producit, lector prudens clariùs iudicare possit.

Motiuo 21.

Bristous, vt eum refert *Masonus*, ita tunc scripsit. *Vide qualis illa sit Ecclesia, cuius pastores merè laici sunt, non missi, non vocati, non consecrati, idcirco inter nos cum per pœnitentiam redeunt, alium locum vel gradum nisi laicorum non tenentes, ad munus aliquod Ecclesiasticum non admissi, immo neque admitti expectantes, nisi prius à nobis ordinentur.* Et de ipsismet pseudo-Episcopis, de quibus hîc loquimur, ita idem scribit.

Motiuo 24. n. 4.

Parkerus, Grindallus, Hornus, Sandesius, & alij secundum Catholicum ritum olim presbyteri ordinati, idonei visi sunt, qui sine ordinatione noua, non solum presbyteri essent, sed & Episcopi, & Archiepiscopi fierent, vel solis literis regijs, vel ridicula quadam consecratione eorum, qui nullum nisi à regina consecrandi acceperant potestatem.

De schismate Anglicano l. 3. pag. 299.

Sanderus. *Nouus in Anglia clerus partim ex nostris apostatis, partim ex meris*

laicis componitur. Et in dedicatione libri sui, quem *Petram* Ecclesiæ inscripsit, *Parkerum*, cui eũ dicauit, alio titulo non insigniuit, nisi *qui Archiepiscopi Cantuariensis nomen gerit.*

Hovvlettus. *Vel omnes, vel maxima Ministrorum in Anglia pars, meri sunt laici.*

Ratione 7.

Annotationes in Testamentum nouum. *Omnes noui vestri Euangelistæ, qui seipsos in Ecclesias, & pulpita intruserunt, à supremo ad infimum, sunt falsi Prophetæ, currentes non missi.*

In Cap. 10. Epist ad Rom. 15.

Reginaldus. *Nullus in tota Turcia inuenitur bubulcus, qui gregis sui curam potiori ratione, meliore ordine, maiori iure, & authoritate non suscepit, quam magnifici vestri Apostoli & Euangelistæ, pro diuino illo regendi animas, & Ecclesias reformandi sibi commisso munere ostendere queant.*

In Caluino-Turcismo. l. 4. c. 15. p. 975.

Stapletonus in libro, quem contra *Hornum* tunc Pseudoepiscopum *VVintoniensem* quinquaginta ferè abhinc annis scripsit, ita eum alloquitur. *Reuera non es Dominus Episcopus VVintoniensis, neque cuiusuis alterius loci, sed tantum Magister Robertus Hornus. Nonne omnibus notũ est, quod neque tu, neque Collegæ tui ordinati fuistis,*

Fol. 7. et fol. 9.

non dicam iuxta Ecclesiæ præscriptum, sed neque iuxta regni leges, atque statuta. Quo ergo iure nomen & titulum Domini Episcopi VVintoniensis tibi vendicare possis? Nullam omnino à Metropolitano tuo consecrationem habes, ipse miser Episcopus non existens.

fol. 301.

Ex his omnibus testimonijs (præter alia quàm plurima breuitatis caussa hîc prætermissa) quæ nullibi non confutantur modo, sed neque à quoquam, quod sciam falsitatis minimæ redarguuntur, aliud concludere non intendo, nisi quod verisimile non sit, quando ista scripta fuerunt, talia extitisse publica Acta, quæ Canonicam Episcoporum nouæ institutionis consecrationem, vel probabiliter ostendere possent. Nam si talia extitissent, *Parkerum* (qui vt totius *Angliæ* Primas, ea & instituere, & conseruare deberet) neque *Hornum*, & *Iuellum* (quos propria nomina eis inscribere oporteret) latere proculdubio non potuerunt: multo vero minus verisimile est, istos, talium actorum cognitione habita, ea tanto silentio præterire voluisse, vt non obstante aduersariorum suorum importunitate, qua probationem aliquam con-

ſecrationis ſuæ, tanta vehementia exigebant, ne minimam quidem eorum mentionem facerent.

Illud quoque aduerti debet, acta à *Masono* in probationem conſecrationis *Parkeri*, & reliquorum nouorum *Angliæ* Epiſcoporum prolata, cũ eis quæ *Godvvinus* in Catalogo ſuo Epiſcoporum A*nglia* ſequutus eſt, non ſolum dierum & menſium, ſed quandoque anni integri computatione inter ſe pugnare, vt conſtat in cõſecrationibus *Poineti, Ridlei, Couerdalli, Grindalli, Horni, Gueaſti, Pierſi*, quod vel hæc, vel illa falſitatis euidenter arguit, & vtraque ſuſpectæ fidei merito reddit.

Præterea *Maſonus, Sutcliffus*, & *Butlerus*, omnes *Proteſtantes* de *Parkeri* conſecratione loquentes, dum eius conſecratores referunt, apertè inter ſe diſſentiunt. *Maſonus* enim dicit B*arloum, Scoreũ, Couerdallum*, & *Hodgkinſonum* illum conſecrâſſe. *Sutcliffus* tribus illis primo hîc nominatis addit duos ſuffraganeos, adeo vt quinque fuerint ſecundum ipſum, qui dicit *hoc conſtare ex actis ipſis publicis adhuc extantibus*. *Butlerus* vero dicit Suffraganeum *Dorobernenſem* vnum fuiſſe ex con-

Non cõueniunt inter ſe iſti.

ſecrationibus *Parkeri*, qui tamen neque in literis patentibus Reginæ, quibus poteſtas *Parkerum* conſecrandi conceſſa fuit, (alia enim authoritate iſti noui Pſeudopaſtores non fuerunt inaugurati) non continetur, neque à *Maſono* nominatur. Fragmentum illarum literarũ *Maſonus* refert his verbis. *Elizabetha Dei gratia &c. R. in Chriſto Patribus Anthonio Landauenſi, Guilielmo Barloo quondam Bathonienſi, nunc Ciceſtrenſi Epiſcopo electo, Ioanni Scoreo quondam Ciceſtrenſi, nunc Herefordiẽſi electo, Miloni Couerdallo quondam Exoniẽſi Epiſcopo, Iohanni Suffraganeo Bedfordienſi, Iohanni Suffraganeo Thedfordienſi, Ioanni Oſſorenſi Epiſcopo.* Hîc nulla mẽtio fit Suffraganei *Dorobernenſis*, quem *Butlerus* dicit vnum fuiſſe ex conſecratoribus *Parkeri*: Vnde tandem colligitur iſtos tres authores tria diſtincta habuiſſe, vel vidiſſe huius vnius cõſecrationis acta. Et quia cui illorum credendum ſit incertũ omnino eſt, nulli illorum fidem eſſe adhibẽdam, quiuis, vt arbitror, cordatus facilè iudicabit. Hactenus de illis, qui vel tempore *Eduardi* Regis, vel *Elizabethæ* Reginæ, ad ſedes Epiſcopales prouecti fuere, in genere dictum eſto; deinceps ad eorũ

ordinationes magis in particulari discutiendas descendamus.

Cap. decimvm qvartvm.

Vtrum Parkerus, qui nomen & locum Archiepiscopi Cantuariensis quondam gerebat, verus esset Episcopus.

Reginaldvs *Polus* Regio stēmate oriundus, non minus tamen integritate vitæ, & claritudine doctrinæ, quam generis nobilitate illustris S. R. Ecclesiæ Cardinalis, Archiepiscopus *Cantuariensis*, eodem anno, mense, atque etiam die, quo *Maria* Regina *Angliæ* Catholicissima, die nimirum 16. Nouembris, anno 1558. mortem obijt: *Elizabetha Mariæ* sorori in regno succedens, *Matthæū Parkerum* in illa sede suffecit, de cuius ordinatione & consecratione nobis in hoc capite dicendum erit. In primis clarum est omnes illos veræ vocationis defectus

siue ex hæresi, siue ex necessariæ ordinationis carentia prouenientes, (quos tam in *Cranmero*, quam in iis, qui vel tempore *Eduardi* vel *Elizabethæ* ordinati fuerunt extitisse, superioribus capitibus ostendimus) in *Parkero* quoque reperiri. Qui eandem fidem, seu infidelitatem potius, professus, eademque ordinatione, quâ illi, institutus fuit; ac proinde superfluum esse de illis vlterius hîc disputare. Quia tamen præsentis cleri *Protestantici* in *Anglia* successio, ab eo tanquã à fonte, vel capite deriuari manifestum est; non abs re erit quosdam speciales defectus, qui eius consecrationem nullam reddere videntur, ponderare. Inde enim, quales fuerint cœterorum omniũ ordinationes, quæ ab eo acceptæ sunt, clariùs apparebit. A fonte namque turbido & lutoso, riuuli puri ac lympidi manare nequeunt. Ea vero, quæ de isto Metropolitano hîc annotabimus, ex ipso *Masono* vt plurimum desumuntur, ac proinde ab omni malæ fidei suspicione magis aliena censeri debent.

Primum itaque ex vita ipsius *Parkeri* ab authore *Protestante* scripta, ista refert. *Hæc singularis eius fælicitas fuit, vt cum sep-*

Masonus *pag.* 131.

tuagesimus post Augustinum esset Cantuariensis Archiepiscopus, ipse tamen ex toto illo numero solus, & primus omnium erat, qui absq; Pontificis Romani diplomate, & superfluis Aaronicis ornamētis, chirothecis, sandalijs, tyaris, pallio, cæterisque eiusmodi quisquilijs) consecrationem recepit, fælix, faustumque exordium ordinandi magis rite, magisque simplicitati, & puritati Euangelij *conforme instituens, per orationem, sancti Spiritus inuocationē, manuū impositionem, ac religiosa promissa, in habitu qui grauitatem & authoritatem Archiepiscopalem deceret,* (toga scilicet) *concione habita ab erudito Theologo de munere & fidelitate à Pastore gregi suo debita &c.*

Ergo primus erat in eam sedem intrusus

Aduerte: institutionē Cleri Protestantici incepisse tantū in Parkero. Ergo nōdum sexaginta habet annos.

Quid, obsecro, ad euertendam, ac penitus refutandam cuiusuis ordinationem, seu institutionem magis directè, magisque apposite dici posset? P*arkerus* inter septuaginta, qui per spatium mille ferè annorum in sede *Cantuariensi* sibi inuicem successerunt, primus agnoscitur, qui sedem illam absque literis Apostolicis occupauit. Quis itaque iure negare potest, illum primum fuisse, qui absque legitima, & canonica ordinatione, electione, & institutione sedem illam inuasit? Dicitur quoque *primus, qui nouū con-*

Ex suorū testimonio condēnatur Parkerus.

secrandi ritum & ordinem incepit. Quis ergo dubitare potest, consecrationem eius non fuisse à *Christo* institutam, & per successionem ab Apostolis ad illum deriuatam, sed nouiter ab hominibus inuentā, neque antea in mundo auditam fuisse? Si P*arkerus* eodem modo & ritu, quo S. *Augustinus*, qui mille abhinc annis fidem *Christianam* genti *Anglorum* inuexit,) non fuerit consecratus (vt in confesso est nō fuisse) quis sensu communi non priuatus, illius consecrationem veram, validamque fuisse, affirmare audebit?

Qui cōsecrationes Ecclesiæ reiiciūt baptismum quoque illius facile contemnēt.

Nam quemadmodum si alia forma, & ritu baptismi, quàm *S. Augustinus* docuit, baptizatus fuisset, verum absq; dubio non recepisset baptismum, ita neq; veram ordinationem recepisse censendus est: quandoquidem alia ordinationis forma, quam *S. Augustinus* tradidit, ordinatus agnoscitur. Qui enim ordinationem traditam à *S. Augustino*, tanquam falsam & peregrinam reiiciendam existimat, baptismum quoque ab eo prædicatum, falsum fictumque fuisse facilè iudicabit. Et hoc quidem non absonum est. Nam qui in vno errâsse putatur, in altero quoque falsum esse, vel fallere, non

est

eſt improbabile. Quis ergo oculos habens non clarè videt, eum, qui ordinationem à *Sancto Auguſtino* introductam in *Angliam*, tanquam adulterinam deſpiciendam contendat, ad reiiciendum quoque baptiſmum ab eo traditum, gradum facere procliuem, atq; adeò ad priſtinum Paganiſmũ, (à quo viri illius ſanctiſſimi opera & miniſterio Deus nationem noſtram conuertit) nobis viam redeundi aperire? Scio equidem aliquos ex noſtratibus adeo furoris œſtro percitos, eaque peruicacia occæcatos, vt ſcribere non horruerint *S. Auguſtinum nos Anglos à Paganiſmo ad ſuperſtitionem non minus impiam conuertiſſe, & à publica ad ſecretam idololatriam traduxiſſe.* Ita *Harriſonus* quidam in deſcriptione *Britanniæ.* Similia habent alij phrenetici homines, ab authore *Apologiæ Proteſtantum* relati, illius nimirum afflati ſpiritu, qui conuerſioni noſtræ ad Deum grauiter inuidens, ad priſtinos infidelitatis errores, nos retrahere ac reducere cupit, ac proinde iſti ab eo edocti, quod ipſi didicerunt, alios docere laborant. Qui, ſi *S. Auguſtinum* impoſtorem fuiſſe, cuiquam perſuadere poſſint, illud idem de

Intollerabilis quorundã Proteſtantium furor.

Apol. Proteſt. tract. 1. ſect. 1. ad finem.

SS. Apostolis, atque etiam de *Christo* ipso docere, posteà non pertimesceret. Ad istud namque præcipitium miseros homines pertrahere errorum omnium magister modis omnibus pertentat. Et quia illud vnico quasi ictu efficere non confidit, per certos quosdam gradus in istud infidelitatis barathrum incautos, & malè erga Deum affectos homines protrudere non desperat. Atque (proh dolor) plurimum iam in suo præualuit nequissimo proposito, quandoquidem aliquos iam adeo obcæcauit, vt eos, qui nos primo ad *Christum* conuerterunt, in errorem, superstitionem, atq; idololatriã nos induxisse asserere non vereantur.

Masonus p. 131.

Dicet *Masonus Parkerum cum suis collegis. (de quibus dicemus postea) impositione manuum (quæ sola cæremonia ordinationis in sacra Scriptura exprimitur, & quam Bellarminus materiam essentialem sacri ordinis existimat) cõsecratum fuisse. Quantum autem ad alias cæremonias humana inuentione introductas attinet, non possumus ad eas recipiendas constringi, nisi in quantum Ecclesiæ nostræ sapientiæ conuenire videatur.*

Euasio.

Hinc ad pręcedentem nostrum discursum huiusmodi responsio colligi potest.

Forma ac ritus baptismi, quem docuit *S. Augustinus*, in Ecclesia *Anglicana* obseruatur, non quia *S. August.* illum docuit, sed quia Scriptura sacra eum exprimit; similiter etiam, & manuum impositionem in ordinibus conferendis, cæteras verò cæremonias ab humana inuentione introductas, Ecclesiæ *Anglicanæ* sapientia reiicit, atque refutat.

Istud vero est inane effugium, ad eludendam, non ad soluendam difficultatẽ allatam. Nam si nihil aliud ad essentiam baptismi vel sacri Ordinis pertineat, nisi quod in sacra Scriptura exprimitur, reiicienda est tam forma baptismi, quam ordinationis in Ecclesia *Anglicana* vsitata: quippe quæ nullibi in sacra Scriptura sit expressa, vt fusius supra ostendimus. Si vero ab Ecclesiæ, & Pastorum nostrorum traditione formam baptismi, & illam ordinationis partem, quæ in manuum Episcopalium impositione consistit, tanquam diuinitus instituta recipere debeamus, vt ea reuera recipimus, tametsi in sacra Scriptura tanquam forma istorum Sacramentorum non præcipiantur, neque præscribantur; qua ratione, quoue iure alia ad ordinationem

Refellitur.

P. 413.

ſpectantia, quæ eadem Eccleſiæ & traditionis authoritate nobis traduntur, tanquam humana inuenta reiicere poſſimus.

Deinde ſi adeo exactè obſeruanda ſit ſacræ Scripturæ littera, vt in adminiſtrandis Sacramentis, nihil Eccleſiæ vel traditionis authoritati tribuendum ſit, dicat mihi velim *Maſonus*, cur Epiſcopi, & Prælati clericorum, alioꝛumque ſubditorum ſuorum (quaſi Sacramentum aliquod adminiſtrantes) pedes non lauent? quandoquidem *Chriſtus* Dominus exemplum eis dedit, præcepitque expreſsè vt idem ipſi facerent. Dicat mihi quoque velim, cur ipſe baptiſmum, verum propriumque Sacramétum à *Chriſto* inſtitutum credit, & tamen de pedum lotione, non obſtante quod & ſignum ſenſibile, & gratiæ promiſſionem (ſolas ad naturam Sacramenti ab ipſo requiſitas conditiones) continere videtur, idem non credat? Si ſoli Scripturæ literæ, abſque omni ad Eccleſiæ authoritatem & interpretationem recurſu, adhærens, huius diſcriminis rationem probabilem afferre queat, mihi erit magnus magiſter.

Cur lotio pedũ non ſit ſacramentum

Denique quod manuum impositio, quæ ad essentiam sacri Ordinis spectat, non sit qualiscunque, neque cuiuscunque manuum super ordinatum extensio, vt *Masoni* ratio, si quicquam probaret, concluderet, clarè constat ex illo *Sancti Ambrosij*: *Manus impositiones verba sunt mystica, quibus confirmatur ad hoc opus electus, accipiens authoritatem teste conscientia sua, vt audeat vice Domini Sacrificium Deo offerre.*

In. 1. ad Tim. 4.

Ex his tandem intelligat *Masonus* impositionem manuum, qua dicit *Parkerum* fuisse consecratũ, talem non fuisse, qualem Apostoli exercuerunt, & Ecclesiæ tradiderunt, sed inanem tantum illius vmbram.

Secundo, quatuor illos *Parkeri* consecratores, veros Episcopos non fuisse, & consequenter non consecrationem, sed execrationem illi contulisse, ex ipsomet *Masono* euidenter colligitur. Fuerunt vero, vt ipse refert, isti *Guilielmus Barlous*, *Iohannes Scoreus*, *Milo Couerdallus*, & *Iohannes Hodgekinsus*, & citat registrum *Parkeri* Tom. 1. Fol. 2. & 10. vbi primum aduerti debet diuersitas stili in hac *Parkeri* consecratione, à cœteris

2. Cõtra Parkeri cõsecrationem argumẽtum.

Masonus p. 127.

omnibus quas per sex integras paginas *Masonus* ipsemet, ex actis publicis referre prætendit. Nam in ista *Parkeri* consecratione referuntur prædicti quatuor per nomina sua, & cognomina absolutè absque vlla tituli Episcopatus additione his verbis.

Ex registro Matthei Parkeri tom. 1. f. 2. & 10.

Anno 1589. *Mathæi Parkeri Cãt.* cõse. 17. Dec. per ----- { *Guilielmum Barloum. Iohannem Scoreum. Milonem Couerdallum. Iohannem Hodgekinsonum.* }

Cum tamen cœteras omnes consecrationes hoc modo refert.

Anno 1559. *Edm. Grindallus* consecr. 21. Decemb. per { *Math. Archiepisc. Cant. Guilielmum Cicestrensem. Iohannem Herefordiensem. Ioh. Bedfordiensem.* }

Et sic in cœteris omnibus: ponendo scilicet nomen cum Episcopatus titulo, vt in aliis actis publicis fieri solet. Cur igitur iste ordinarius, & assuetus acta publica componendi modus, ac stilus in

Parkeri consecratione immutatus sit, cõiicere non possum, nisi quia ij, qui eum consecrare prætendebant, Episcopi non erant, ac proinde loco tituli Episcopatus, eorum cognomina præter consuetudinem adiecta fuerunt.

Si obiiciat quis, istos in aliis consecrationibus cum titulis suis more solito referri, vt apparet in consecratione *Grindalli* iam relata, in qua secundus, & quartus fuerunt ex eis, qui *Parkerum* ordinârunt. Respondeo tantum abesse, vt hinc soluatur difficultas proposita, vt inde nonnihil augeatur. Nam vnde, obsecro, tam subita mutatio stili, nisi nouum sibi acquisiuissent titulum? Et si quæras, vnde nouos istos titulos sibi acquirerent? Respondeo, partim ex sacrilega vsurpatione potestatis alios consecrandi: partim ex Sedis Episcopalis iniusta, & illegitima occupatione. Qui enim alijs manus licet sacrilegas imponere audent, & prætereà Episcopales Sedes inuadere non vereãtur, titulum, & appellationem Episcoporum apud fautores suos facilè sibi acquirunt. Sed alia iam videamus, & consecrationem singulorum istorum

quatuor, qui *ParKerum* consecrâsse dicuntur, districtius examinemus. Et vt ab vltimo incipiamus,

Ordinatio eorũ qui ParKerum dicũtur consecrasse examinatur.

Primum incertum valdè est, vtrum Iohannes HodgKinsonus Episcopalem consecrationem vnquam obtinuerit. Nã cum ex numero illorum viginti sex suffraganeorum fuerit, quos *Henricus* Octauus propria sua authoritate per totam *Angliam* instituit, quamuis ipse tanquam caput Ecclesiæ voluit, vt quadam ordinatione consecrarentur, non tamen est certum, immo neque admodum probabile, quod Episcopali consecratione eos ordinari voluerit, sed aliqua potius ordinatione noua, quæ eorum institutioni nouæ, & antea inauditæ (& quæ propterea statim euanescere debuit) rectiùs responderet. Certe Sanderus *de Henrico dicit quod nouam formam ordinandi Episcopos præscripserit.* Quod de suis Suffraganeis nouiter institutis plus quã probabile videtur.

Sand. de schis. p. 154. edit. Colon. 1610.

Sed esto Suffraganeos istos omnes, & in particulari illum, de quo nobis est sermo, verè in Episcopum fuisse consecratos, vel consecrationem Episcopalem obtinuisse; manifestum est ta-

men illum vt pote cæterorum omnium nouiſſimũ, non conſecrâſſe *Parkerum*, ſed ad ſummum illius conſecrationi tantum aſtitiſſe. Quod ex libro eorum rituali, quem *Maſonus* in hæc verba citat, clarè conſtat. *Liber conſecrationis docet, quod in Eccleſia Anglicana duo Epiſcopi eum, qui ordinari debet, ſemper præſentent, & quod Archiepiſcopus, vel alius Epiſcopus ab eo deſignatus tanquam præcipuus conſecrator benedictionem pronunciat.* Ex quibus luce clarius conſtat Suffraganeum iſtum, ſiue verè fuerit ipſe conſecratus, ſiue non, *Parkerum* non conſecrâſſe, quia nimirum benedictionem conſecratoriam in illum non effudit. Reſtat iam vt reliquorum trium conſecrationes examinemus.

Maſonus p. 39.

Et quod ad primum illorum attinet, nimirum *Guilielmum* Barloum, qui eum reuera conſecrare, & benedictionem conſecratoriam (vt *Maſonus* ex libro ſuo rituali loquitur) ſuper eum pronunciare debebat, nunquam conſecratum fuiſſe, clarè ex ipſo *Maſono* conſtat.

Barlous primus ex Parkeri cõſecratoribus nunquã fuit cõſecratus.

Nam licet eorum omnium, de quibus eſt controuerſia, acta conſecrationis, (conſecrationis dico non veræ, ſed

qualis fuerit) proferat *Masonus*, nihil tamen tale de *Barloi* consecratione proferre potuit, tametsi monumenta omnia, quæ ad eam rem spectant, diligenter satis euoluerit, vt constat ex eo quod citat acta sub *Cranmero*, quæ testantur *Barloi* promotionem ad prioratum dictum de *Bisham*, electionem eius ad Episcopatum *Asaphensem* & eiusdem electionis confirmationem, ac tandem nominationem eius ad *Meneuensem* Episcopatum. Omnia sub *Henrico* Octauo, sed nullibi inuenitur mentio de illius consecratione: quæ si vnquam extitisset, non minus, imo multo magis quam ea, quæ iam retulimus in acta publica relata fuisset. Propter hanc enim præcipuè rationem habent omnes Archiepiscopi, & Episcopi sua Archiua, in quibus omnium ordinationum, etiam inferiorum clericorum, multo verò magis Episcoporum acta fideliter asseruantur: adeo vt perire non possunt, nisi per incendia & conflagrationes, vel alios rarò contingentes casus. Cum itaque *Barloi* consecratio in Metropolitani archiuis non inueniatur, eaque integra ab omni vastatione permansisse noscantur,

quis dubitare potest, idem de eo statuendum esse, quod olim de ijs iudicatum fuit; *qui quæsierunt scripturam suam in censu, & non inuenerunt: & eiecti sunt de sacerdotio.* Sed coniecturas, quibus illius consecrationem probare nititur *Masonus*, ponderemus.

2.Esdræ 7. 64.

Arguit ipse primò: *Omnia ad Episcopalem functionem spectantia, immo ipsam Episcopalem consecrationem ipse præstitit, & exercuit. Ergo absque dubio consecratus fuit.* Esto hoc verum, cum tamen non sit admodum verisimile, aliud certe inde non cōcluditur, quam ex hoc argumento, quod ei est simile, concluderetur. *Barlous* (qui fuit Sacerdos) habuit mulierem & liberos. Ergo absque dubio legitimus fuit maritus. Quę argumētatio nescio vtrū in logica *Masoni* legitima sit, necné, scio tamē quod in reipsa, insulsa sit atque absurda, vtpote (præter alios defectus) euidenter petēs principiū, atque supponēs id, quod deberet probari. Idem in suo argumento conficiendo vitium incurrit *Massonus*. Nā nisi præsupponat *Barloum* verè fuisse consecratum (quod in quæstione est) ex eo quod alterius consecrationi astiterit, illum verè fuisse consecratum inferre ne-

quit: nisi prius ostenderit eum adeo rectum ac probum fuisse, vt nihil vnquam, quod ei non liceret, facere attentauerit, quod *Masono* non modo difficile, sed & omnino impossibile est probare.

Arguit 2. *quod cōmuniter agnoscebatur Episcopus, & vt tali, subditi ei parebant. Ergo*, &c. Sed hoc argumentum nihil probat, nisi ad summum popularem errorem, fundatum in iniusta sedis Episcopalis occupatione. Quod fiebat quoq; in *Ridleo, Hopero*, & alijs, in sedes Episcopales sub *Eduardo* sexto intrusis, quos tamen non consecratos, neque verè Episcopos fuisse, ex iudicio tam ciuili, quam Ecclesiastico superius clarè vidimus.

Cap. 12. per totū.

Tertiò tandem dicit *Bucananū* eum vocare Episcopum, dum ita scribit. *Anglus misit in Scotiam S. Dauidis siue Meneuensem Episcopum.* Sed quid mirum, si is, qui ad Episcopatū nominatur, vel eum etiā occupat, Episcopus vocetur? Certe magna testimoniorum penuria hac in re laborat *Masonus*, cum ad extraneos confugere cogatur, vt ab eis adeo infirmū, ac inualidū testimoniū emēdicare nō erubescat.

Istæ sunt, prudens Lector, *Masoni* coniecturæ de *Barloi* consecratione, quæ

quanti roboris sint, ad rem in quæstione conuincendam, tuum esto iudiciū. Hoc certissimè scio, quod in nullo foro, nec coram vllo legitimo tribunali ad testificandam infimi cuiusuis Clerici ordinationem satis essent validæ: multo ergo minus, ad Episcopi consecrationem in dubium vocatam conuincendam sufficere possunt.

Et hic diligenter obseruari velim, quam infirmo, vel potius nullo fundamento nouus Ecclesiæ *Anglicanæ* clerus nitatur (tametsi totum, quod in eius defensione à *Masono* affertur, concedatur) cum iste *Barlous*, qui *ParKerum*, totius Cleri primum patrem, & Metropolitanum consecrare, & in Archiepiscopum ordinare debuit, tam obscuram, tam dubiam, ac proindè tam nullam consecrandi potestatem habuisse conuincatur.

Quæ hactenùs in refutationem consecrationis *Barloi* dicta sunt, hoc argumento confirmari possunt. Constat ex literis patētibus *Elizabethæ* Reginę, quibus cōsecratores *Parkeri* designauit *Barlou͂* secūdo loco nominatū, nimirū post *Anthoniū* Episcopum *Landaffensem*, ita enim eas refert *Masonus*. *Elizabetha Dei gratia, &c. RR. in*

Pa. 126.

Aduerte quomodo Papissã agit.

Christo patribus Anthonio Lādauensi, Guilielmo Barloo quondam Bathoniensi Episcopo, nunc Cicestrensi electo, Iohanni Scoreo quondam Cicestrensi, nunc Herefordiensi electo, Miloni Couerdallo quondam Exoniensi Episcopo, Ioh. Suffraganeo Bedfordiensi, Iohanni suffraganeo Thetfordēsi, Ioh. Baleo Ossorensi Episcopo quatenus vos, aut ad minus quatuor vestrum, eūdem Matthæum Parkerum in Archiepiscopum, & pastorem Ecclesiæ Cathedralis & metropoliticæ Christi Cantuariensis prædictæ, sicut præfertur, electum, electionemque prædictam confirmare, & eundem Math. Parkerum in Archiepiscopū & Pastorē Ecclesiæ prædictæ consecrare, cæteraque omnia & singula peragere, quæ vestro in hac parte incumbunt pastorali officio, iuxta formam statutorum in hac parte editorum, & prouisorum, velitis cum effectu &c. Dat. 6. Decem anno 2. Eliza.

Iuxta formiã statutorum in hac parte editorum, *nimirũ sub Eduardo, non iuxta formam canonũ, & Ecclesiæ consuetudinem & ritum.*

Hinc ita arguere licet. Si *Barlous* verè fuisset consecratus Episcopus, non in secundo, sed in primo loco in his literis fuisset nominatus quia notũ est, Episcopos omnes in Anglia vno vel altero excepto, quorum *Landauensis* nullus est, locum & ordinē tenere iuxta ordinationis antiquitatē. Constat autē ex ipso *Masono*, *Barloum* quatuor saltem annis ante *Lan-*

dauensem Episcopum fuisse ordinatum, (si ordinatus omnino fuisset) ponit enim ordinationem *Landauensis* anno 1545. cũ tamen dicat, sed non probat *Barloum* vnũ ex consecratoribus cuiusdam *BuKlei* anno 1541. fuisse. Vnde constat eum quatuor ad minimum annis alium in Episcopatu præcessisse, & consequenter post illum in solemni ista functione non fuisse ponendum, si verè fuisset Episcopus, atque rite consecratus. Immo nullum est dubium quin si *Barlous* se rite sacratum Episcopum sensisset, locum post *Landauensem* tanto se iuniorem in tam solenni actione tenere dedignatus fuisset.

Si dicatur in potestate reginæ situm fuisse, illis ordines suos distribuere, voluisse vero *Landauẽsem Barloo* in illa actione preponere: respondetur nullam aliam probabilem rationem apparere, cur ordinem consuetum in ista actione inuerteret, nisi quia *Landauensem* verè Episcopũ esse, *Barlooum* vero non item cognosceret. Nam quod illud non fecerit ex maiori aliqua gratia & fauore erga *Landauensem*, quam erga alterum, manifestum est. Cum enim *Landauensem* Catholicum esse, quamuis timidum cognosceret, al-

terum, vero religionis suæ sectatorem, illum minorem apud eum gratiam habuisse, quam istum, nulli dubium esse potest. Quod igitur *Landauensem Barloo* contra morem & ordinem in solenni illo ministerio præposuerit, aliam necesse est inuestigare rationem. Quæ vero alia, præter illam à nobis assignatam, afferri possit, non est mihi facile diuinare.

Sed quid dicemus in causa fuisse, cur Episcopus *Landauensis* tanto honore à Regina affectus, vt cum iunior esset Episcopus *Barloo* (si tamen iste Episcopus fuerit) in solenni illa noui metropolitani consecrandi actione, illi prælatus fuerit, munus illud non præstiterit? Ratio in promptu est. Noluit enim tantum scelus & sacrilegium committere, neque censuras Ecclesiasticas, quas *Bonerus Londinensis Catholicus* Episcopus, sed tunc in carcerem ablegatus illi comminatus est, incurrere, timens tamen Reginæ, & senatus indignationem, debilitatem & oculorum infirmitatem in sui excusationem prætendebat. Sed quia huius rei notitia rem totam in quæstione positam egregiè elucidabit, satius erit integram historiam narrare, quæ sic se habet.

Initio regni *Elizabethæ*, depositis & in custodiam coniectis *Catholicis* Episcopis, vt infra videbimus, alij creandi, & illis sufficiendi erant. Qui fuerunt ad illam dignitatem nominati, & electi, ex condicto in quodam hospitio (cui insigne erat caput mannuli in vico dicto *Cheapside*) *Londini* conuenerunt. Illuc etiam inuitatus venit *Landauensis* Episcopus, multa senectute iam decrepitus, vir simplex & meticulosus. Ab ipso expectabant ordinationem noui candidati. Quod *Bonerus* Episcopus *Londinensis* in carcere religionis ergô cõstitutus, subolfaciens, minatus est *Landauensi* excommunicationem, si eos ordinaret: quo nuncio territus, & tactus etiã fortassis intrinsecus conscientiæ stimulis ille pedem retulit, & oculorum infirmitatem causatus, manus eis imponere recusauit. Expectantes ergo isti spe sua frustrati, se illusos interpretantes, senem, quem antea honore & reuerentia non mediocri prosequebantur, opprobrijs lacessere cœperunt quidam inter illos dicentes: *Delirus iste senex, existimat nos Episcopos non fore, nisi liniti & oleo delibuti fuerimus*: tam Epipiscopum senem, quam *Catholicum* con-

Historia cõsecrationis Parkeri & aliorum cũ eo.

ſecrationis ritum, ludibrio habentes. Conſecratore tamen fruſtrati, nouum coguntur quærere conſilium, & ad *Scoreum* Apoſtatam monachum, (qui ſub *Eduardo* ſexto, abſque vlla conſecratione, vt ſtatim videbimus, Epiſcopatum inuaſerat) vt ab eo ordinarentur, recurrunt. Iſte qui cum habitu religioſo, conſcientiam omnem exuerat, rem citò peregit, hac vſus cœremonia. Illis omnibus ante ipſum genua flectentibus, vnicuique illorum Biblia ſuper caput imponens, dixit, *Accipe poteſtatem verbum Dei ſincerè prædicandi.* Et ſic ſurrexerunt omnes Epiſcopi.

Hanc totam narrationem à venerabili Sacerdote *Magiſtro Thoma Bluetto* viro graui, erudito, ac prudenti ſemel atque iterum ego ipſe audiui, qui dixit ſe illam audiuiſſe à *Magiſtro Nealo* viro honeſtiſſimo & literatiſſimo, linguæ *Hebraicæ* in Academia *Oxonienſi* olim profeſſore: tunc vero cum iſta geſta fuerunt, ex familiaribus *Boneri Londinenſis* Epiſcopi, qui illum ad Epiſcopum *Landauenſem* miſit, vt eum ſub pœna excommunicationis prohiberet, à ſacrilega illa conſecratione deſiſtere, &

insuper vt videret quid ibi tandem fieret, adeo vt oculatus rei gestæ testis ipse fuerit. Et huius narrationis tot sunt adhuc hodie testes, quot viuunt Sacerdotes, qui in Castro *Vvisbicensi* cum prædicto *Magistro Bluetto* pro fide captiui fuerunt, in quo etiam loco ego illam ab eo audiui.

Masonus in appendice ad librum suum hanc ipsam narrationem ex *Christophoro Sacrobosco* (qui eam à dicto *Magistro Bluetto* audiuerat, quippe in Castro *Vvisbicensi* ipse aliquandò detentus fuit) refert, nec tamen aliter eam refutat, nisi dicendo. *Quod nemo sensu communi præditus sibi persuadere possit, eos* (nouos scilicet electos) *in taberna conuenire voluisse, vt ibi consecrarentur, atque adeo legis pœnalitatem incurrere: quandoquidem Archiepiscopum, qualem desiderabant, religionis suæ professorem, Ecclesiæ & Cathedræ suæ pacatum possessorem, iam adepti essent.*

Inanis Masoni respõsio.

Sed ista inania sunt. Nam in primis quantum ad leges spectat, quarum pœnalitates conueniendo in taberna incurrere deberent, merum est figmentum: nullæ enim tales extant, si leges regni intelligat. Deinde supponit P*arkerum*,

iam ante solennem illum ad caput manuli conuentum, Archiepiscopum fuisse constitutum & consecratum, & Ecclesiæ suæ possessorem: cum tamen obiectio cui respondere prætendit, *Parkerum* cum cœteris ordinandis, tanquam vnum ex numero illo includit, ac proinde nimis impertinens & inepta est eius responsio. Si vero *Parkeri* consecrationem ex actis publicis se satis demonstrâsse existimet egregiè fallitur. Quandoquidem enim talia sint, quæ *Parkerum* ipsum, *Iuellum*, *Hornum*, cœterosque (quorum consecrationes in eis referri prætenduntur) vel omninò latuerint; vel quæ illos puderet in consecrationis suæ probationem, allegare, vt superiùs ostendimus, magis requirunt, vt ipsa probentur, quam vt rem quamcunque in controuersia positam, probare possint.

Pa. 474

Illud quod addit, nimirum *non esse probabile istos nouos candidatos in taberna vt ibi consecrarentur conuenire voluisse, quandoquidem Ecclesias sibi liberas & apertas habuerint*: nonnihil probabilitatis prima facie habere videtur, sed si res ipsa penitiùs inspiciatur, parum soliditatis in eo reperitur. Vera enim huius ratio erat, quia cum nulla esset illis spes,

Quare ad caput manni conuenerunt.

Episcopum *Landauensem*, (à quo consecrationem recipere & cupiebant, & expectabant) ad Ecclesias suas adducendi, talem locum ad id efficiendum elegerunt, ad quem ipse accedere non hæsitaret, indéque factum est, vt ad caput manni ex condicto conuenirent.

Neque *Catholici* soli (qui aduersarijs nostris suspectæ fidei videri possunt) solennis huius ad caput manni conuentus testes sunt, sed etiam *Iohannes Stovvus* celeberrimus *Angliæ* Chronographus, reformatæ religionis professor, idem testatus est: non quidem scriptis suis, non ausus est enim; sed verbo, quibusdam familiaribus suis amicis integerrimæ fidei viris, quorum aliqui adhuc viuunt, idemque testantur, qui tamen cum non minus timeant hoc de eo iam mortuo publicè affirmare, quam ipse dum viueret, verebatur illud scribere, non sunt hîc nominandi.

Stous huius rei testis.

De hac autẽ re in manuscriptis eruditi *Henrici Constabili*, nobilis, & vt omnes nôrunt, qui eũ nouerũt, magni, acrisque ingenij, & qui leuibus coniecturis non mouebatur, ista reperio. *Parkerus à duobus ad summũ hæreticis sacerdotibus, non Episcopis*

Henric Constabili de eademre testimonium.

ordinatus fuit. Si tamen Barlous *Scoreo in ea actione aſtiterit, quod me quidem latet. Senex enim Landauenſis Epiſcopus, qui ad locum conſecrationi Parkeri, & cæterorum, deſignatum adductus fuit, ſe lumine oculorum priuatum ſimulabat, ne tantum ſacrilegium committeret. Vnde factum eſt, vt ad Scoreum recurrerent, de quo prius non cogitârunt. Quod non tantum Catholici integerrimæ fidei, qui rei geſtæ teſtes erant oculari, teſtantur; ſed etiam Iohannes Stovvs eiuſdem rei teſtis eſt, qui omnes huius actionis circumſtantias diligenter perquiſiuit, tametſi illas in Chronico ſuo referre non auſus ſit.* Hæc ille.

Et quod iſta de *Stovvo* non ſint conficta, præter prædicta teſtimonia, hoc ſuppetit valde probabile argumentum; quod in ſuo Chronico nullam penitus conſecrationis, ſeu ordinationis *Parkeri*, neque cæterorum nouorum Epiſcoporum mentionem facit, ſed adeo omnino eam ſilentio obuoluit, ac ſi nihil tale extitiſſet. Huius vero ſilentij, omnibus bene ponderatis, alia probabilis ratio allegari nequit, niſi quia odium & indignationem, veritatem dicendo, ſibi parere timuerit.

Primum enim clarum eſt, nihil memo-

ria dignum, præsertim *Londini* gestum, (quamuis multo minoris momenti, quam sit tot nouorum Episcoporum ipsiusque metropolitani, atque ipsius etiam *Londinensis* Episcopi consecratio, & ordinatio) prætermittere soleat. Secundò specialem erga *Parkerum* obseruantiam profitetur, ac proinde nonnulla leuioris momenti, quam est eius in Archiepiscopū consecratio, de eo referre non omisit.

Tertiò omnes Chronographi diligentem adhibent operam in notandis innouationibus, & consuetudinum antiquarum immutationibus, in rebus præcipuè maioris momenti, vt sunt consecrationes Episcopales.

Quartò consecrationem, inthronizationem, Pallij receptionem, immo ac primum sacrum *Cardinalis Poli*, immediati *Parkeri* prædecessoris, satis fusè describit. Quæ tamen ordinaria omnibus antecedentibus Archiepiscopis fuerunt; multo ergo minus *Parkeri* consecrationem, quam adeo singularem & inusitatam fatetur *Masonus*, vt omnium Archiepiscoporum à *S. Augustino* (& si dixisset ab ipso *Christo*, non mentitus fuisset, consecrationi dissimilis,

ac dispar fuerit, ex obliuione præterire non potuerit.

Quintò, præter alias ad religionem spectantes innouationes leuioris ponderis, quã est noui cleri institutio, quas anno illo 1559. describit, depriuationis *Catholicorum* Episcoporũ, mense *Iulio* factæ meminit, quod nouorum creationem & ordinationem, eum obliuisci non potuit permittere, præsertim cum *Boneri*, & reliquorum *Catholicorum* Episcoporum, sub *Eduardo* sexto è sedibus suis eiectorum, restitutionem, & in sedes suas intrusorum, expulsionem, sub Regina *Maria* simul coniunxerat. His omnibus rectè consideratis aliam tam pertinacis de consecratione *Parkeri*, & cœterorum silentij rationem fuisse præter meram obliuionem, necesse est affirmare.

P. 1036.

Sextò denique ex eodem *Stovvo* constat, *Grindallum* (prætensum Episcopum *Londinensem*, loco *Boneri* veri Episcopi depositi subrogatum) Episcopum fuisse tres integros menses ante 17. Decembris anni 1559. quo die *Masonus* iuxta acta publica ab eo citata cõsecrationem *Parkeri* ponit. Et tamen ex eisdem actis apparet,

Parkerum cum tribus alijs *Grindallum* 21. Decembris eodem anno consecrasse, Quomodo autem ista cohæreant, viderit *Masonus*.

Stovvus expresse dicit, *Scoreum loco Grindalli Episcopi Londinensis concionem habuisse in* Ecclesia *S. Pauli, dum iusta Henrici II. Galliarum Regis ibidem celebrarentur, die 9. Septembris anno* 1559. Cum igitur dicat *Grindallum* tunc fuisse Episcopum *Londinensem*, clarum est eum ordinatum fuisse tres integros menses ante *Parkerum*, si acta *Masoni* sint certæ fidei, qui tamen in iisdem actis ipsum *Grindallum* ordinâsse dicitur.

Stovvus p. 1083.

Si dicatur *Grindallum* ibi nominari Episcopum *Londinensem*, quia ad illam Ecclesiam iam fuit electus Episcopus, nō tamen consecratus. Respondetur primo, esto ita, tamen hinc saltem habemus friuolum esse illud *Masoni* argumentum, quod superius probare contendebat, *Barloum* fuisse consecratum Episcopum, quia *Bucananus* eum Episcopum nominauit. Deinde, cum in eodem loco iam appellâsset *Parkerum* Archiepiscopum *Cantuariensem* electum, & tamen *Grindallum* nominat Episcopum *Londinensem* abso-

Occurritur obiectioni.

lutè, abſque particula diminuente, apertum inter eos facit diſcrimen, & oſtendit eum tunc fuiſſe non tãtum electum, ſed & ſacratum Epiſcopum, ſcilicet iuxta modum iam dictum.

Praeoccupatur alia obiectio.

Et ſi quis obiiciat, hinc ſaltem colligi *Parkerum* non fuiſſe tunc conſecratum, & conſequenter narrationem noſtram de illius conſecratione vna cum cæteris ad caput manni, ex hac parte claudicare: Reſpondeo neque hoc quidem inde colligi, ſed potius contrarium. Nam cum in eodem loco iam citato *Stovvs* vocet *Scoreum* Epiſcopum *Herefordienſem* electum, & *Barloum Ciceſtrenſem* electum, qui tamen à *Maſono* ponuntur conſecrati, multis ante illud tempus annis, non poteſt ex eo, quod *Parkerus* dicatur Archiepiſcopus electus, colligi, illum non fuiſſe tunc omnino ſacratum, ſed tantum non fuiſſe in ſua Cathedra inthronizatum, vt de *Scoreo* & *Barloo*, qui Epiſcopi tantum electi dicuntur, neceſſe eſt ſentire, niſi forſan meliùs ac veriùs diceremus, neque etiam iſtos tunc conſecratos fuiſſe, quod plus veritatis in ſe videtur habere. Iſto vero poſito, vnde, obſecro, *Maſonus*, vel quiuis alius, *Parkeri*

Difficile contra Maſonũ argumẽtum.

consecrationē deriuare potest? Certè nō aliundè, nisi ex consecratione illa solenni, ad caput manni, vbi vt ait *Sacroboscus* à *Masono* relatus, *Scoreus cæteros, aliquis vero ex cæteris Scoreum consecrauit.* Denique vel Parkerum fuisse Episcopum, vtcunq; consecratum mense Septembri, hoc est tres integros menses ante consecrationem suam in actis à *Masono* citatis testatam, vel saltem *Scoreum*, & *Barloum* tunc non fuisse Episcopos, quando *Parkerum* consecrâsse dicuntur (quorum vtrumvis, eum verè non fuisse Episcopum conuincit) ex eodem *Stovvo* apertè colligitur.

Loco enim iam citato testatur, *Parkerum* in solenni illa Regis *Francorum* Exequiarum celebritate, *Barloum*, & *Scoreum* præcessisse, cum tamen si ipsi consecrati fuissent Episcopi, illi vero non item, illos præcedere non debuit. Archiepiscopus enim tātummodo electus, Episcopos consecratos in celebritatibus publicis non præcedit, præsertim in *Masoni* doctrina (quam in praxi Ecclesiæ *Anglicanæ* fundatam esse nō est dubium) qui, cum Ecclesiam *Romanam* reprehendat, quod Presbyteros Cardinales, Epis-

copos non Cardinales præcedere faciat, multo magis Ecclesiam *Anglicanam* condēnaret, si Presbyt. electos tantū Archiepisc. Episc. iam consecratos præcedere ordinaret. Eligant iam aduersarij vtrum horum voluerint, nimirum vel P*arkerum* Episcopum fuisse vtcunque (ad modum scilicet iam dictum) consecratum, ante Idus Septembris, anno 1559. vel *Scoreum* & *Barloum* tunc temporis non fuisse Episcopos. Vtrumque equidem verum existimo, sed alterutrum saltem, si *Stovvo*, qui scripsit res, quas oculis suis vidit, fides vlla sit adhibenda, verum esse necesse est fateri. Vnde tandem actorum publicorum (quibus tantum gloriatur *Masonus*) fides, non vacillare modo, sed etiam penitus euanescere, iterum conuincitur.

Quocūque se vertunt aduersarij capiuntur.

Illud quoque S*anderus* (qui ea etiam quæ sub oculis habuit, scripsit) egregiè confirmat, ita vero ipse ait. P*erridiculè accidit, vt cum isti superintendentes creandi essent, nec à Catholicis Episcopis impetrare potuerint, vt ipsis manus admouerent; nec inter se, aut tres duosve Episcopos, vel vllū omnino suæ perfidiæ metropolitanum, ab alijs Episcopis prius ordinatum haberent, cuius vel manu, vel*

Sāderus de Schismate l.3. longius ab initio.

consensu consecrari possent: Instabant vehementer apud quendam Archiepiscopum Hybernum (quem tunc Londini in vinculis habebant) vt in hac illis necessitate succurreret, libertate ei, & præmijs propositis, si vellet istorum ordinationi præesse: sed vir bonus nullo modo adduci potuit, vt Hæreticis sacras manus imponeret, vel alieno peccato communicaret. Atque ita cum omni legitima ordinatione destituti vulgò dicerentur, & ipsis legibus Anglicanis verè probarentur non esse Episcopi, brachium sæculare inuocare coacti sunt, vt laici Magistratus confirmationem in futuris comitijs acciperent, cuius authoritate, si quid minus ritè, nec ad præscriptum legum in priori inauguratione gestum esset, aut omissum, ipsis condonaretur; idque postquam Episcopali officio, & Cathedra, absque vlla Episcopali consecratione aliquot annis iam functi essent. Hinc nomen illis impositum, vt Parlamentarij Episcopi dicerentur. Hæc ipse. Sed iam, vnde digressi sumus, reuertamur, & cæterorum *Parkeri* consecratorum, *Scorei* nimirum & *Couerdalli* ordinationes examinemus.

In confesso est apud *Masonum*, istos sub Rege *Eduardo* sexto inauguratos fuisse (si tamen ordinati fuerint) noua

nimirum illa ordinationis forma, quæ tunc primum excogitata fuit, ac proinde non fuisse verè consecratos, vt superius latè ostendimus. Sed nec illo quidē ritu ordinatos fuisse, ex actis publicis à *Masono* ipso adductis, satis manifestè cōuincitur. Dicit enim istos duos consecratos fuisse 30. Augusti, anno 1551. quinq; nimirum mensibus, ante nouam consecrandi formam stabilitam. Stabilita enim fuit noua hæc ordinandi forma, in comitiis generalibus celebratis in fine quinti, & initio sexti anni *Eduardi* Regis, vt constat tum ex ipsomet statuto, de quo P*oultonus* in suo Kalendario ita habet. *Forma ordinandi & consecrandi Archiepiscopos*, E*piscopos, &c. huius* P*arlamenti authoritate editur. anno* 1551. 13. *Ianuarij*; tum etiam ex statuto edito anno primo *Elizabethæ* Reginæ, & confirmato anno 8. regni eiusdem, quod sic se habet: *Ea forma, & modus consecrandi Archiepiscopos, Episcopos &c. quæ edita fuit tempore* E*duardi Regis sexti, & facta authentica in* P*arlamento anno quinto & sexto eiusdem Regis permanebit. Eliza. anno* 8. *cap.* 1. Comitia vero illa quinti & sexti anni *Eduardi* Regis, decimo tertio die Ianuarij anni 1551. in-

Pag. 93.

Vide verba M*asoni su. p* 399. *quæ hoc idem testantur.*

ceperunt, hoc est quatuor integris mensibus cum dimidio, post istorum hominum consecrationem. Nam iuxta computum *Anglicanum*, annus non primo Iãuarij, sed 25. Martij incipit, vt omnes nôrunt. Clarum itaque est, eos noua hac consecrandi forma ordinatos non fuisse, quippe quæ, adhuc cum illi ordinati dicuntur, excogitata, vel saltem stabilita non fuit. Neque tamen minus clarè constat eos antiquo ritu non fuisse inauguratos. Fatetur enim *Masonus* ritum istum penitus abrogatum fuisse in comitijs habitis in fine tertij, & initio quarti anni *Eduardi* Regis his verbis. *In tertio & quarto anno Eduardi sexti editum est decretum de abolendis quibusdam libris superstitiosis, & inter cæteros ordinalibus*: quod clarè etiam constat, ex ipsomet Parlamenti statuto superius relato pag. 399. Vnde tandem ineuitabiliter concluditur, istos duos *Parkeri* consecratores, nunquam consecratos fuisse. Ex quibus omnibus cõstat *Parkerum* noui Cleri *Anglicani* patrem, ac progenitorem, Episcopum non fuisse, ab Episcopis vtique nunquam consecratum.

Pag. 94

His omnibus nihil obstantibus, adeo

vel proteruus, vel inuerecundus est *Masonus*, vt dicere non erubescat. *Sic locum, personas, materiam & formam, illius* (Parkeri) *consecrationis examinauimus, & nihil legibus regni, Ecclesiæ Canonibus, venerandæque antiquitatis praxi, nō conforme inuenimus.* Non existimes me (Lector) veritatis modum excessisse, cum dicerem *Masonū* vel proteruum, vel inuerecundum esse ista affirmando. Ipsemet enim hoc euidēter probat, cum duodecim tantū lineis ante hęc præmiserit. *Hæc singularis eius fœlicitas fuit, vt cum septuagesimus post Augustinum Archiepiscopus Cantuariensis esset, ipse tamen solus ex toto illo numero, & primus omnium erat, qui absque Pontificis Romani diplomatibus, & superfluis Aaronicis ornamentis, &c. consecrationem obtinuit.* Si enim primus omnium Episcoporum extiterit, qui isto ritu cōsecratus fuit; quis nisi gnauiter impudēs diceret, consecrationem eius conformē esse regni legibus, Ecclesiæ Canonibus, & venerandæ antiquitatis praxi? Quamobrem vt illa eius sententia, tam his dictis suis, quam veritati ipsi cohærere possit, delenda est illa particula (non) & sic legenda eius verba: *nihil legibus Regni, Ecclesiæ Canonibus, venerandaque*

Pag. 132.

Proteruus Masonus.

daque

daeque antiquitatis praxi, conforme inuenimus. Quo quidem modo tam cum verbis suis, quam cum veritate ipsa, optimè cōcordabunt.

Sed in sequentibus adhuc magis stupidum se ostendit. Addit enim: *In quo, quantam circumspectionem adhibuit Regina, ex eo constat, quod patentes eius* (quibus nimirum *Parkeri* consecrationem mandauerat) *ad diuersos Iurisperitos missae fuerint, vt sententias suas de eis liberè proferrent: Omnesque in eo conuenerunt, quod Regina & personis nominatis legitimam authoritatem, rem praescriptam exequendi, conferre posset* (nimirum *Parkerum* consecrandi) *& quod personae nominatae actum confirmandi & consecrandi illis commissum, legitimè exercere possent. Quorum nomina proprijs manibus subscripta adhuc in Archiuis asseruantur, & sunt ista: Guilielmus Mayus, Robertus VVestonus, Eduardus Leedeus, Hēricus Harueus, Thomas Yalus, Nicolas Bullingamus.*

Stupidus Masonus.

Ex Registro Matth. Parkeri fol. 3.

Praeclarum nouae ordinationis testimonium.

Nonne in isto supra modum ineptus, & ridiculus est *Masonus*? Nam tametsi isti pro peritia sua in Theologia, *Augustino*, in Iurisprudentia, *Barthole*; in integritate, & constantia, *Curio Dentato* comparandi essent, atque in-

Kk

super illi, cuius nomine ista eis proponebantur, non fuissent subditi, vt sententias suas liberius proferre potuissent, quanti obsecro ponderis, ac momenti fuisset eorum sententia, totius *Christiani* orbis, ab ipsis Apostolis, vsque ad Regnum *Eduardi* sexti Regis Angliæ, iudicio comparata? Nam si toto hoc tam locorum, quam temporum spatio, Apostolos etiam ipsos non excludendo vnicum tantum exemplum Episcopi consecrati ad modum, quo *Parkerus* consecratus fuit, *Masonus*, vel quiuis alius producere possit, causam obtinebit. Cæterum iudicium sex tantum virorũ, qui in iurisprudentia non summi, in sacra vero Theologia nulli, ordinariæ tantum integritatis, & vix ordinariæ constantiæ, & fortitudinis erant, Principis illius, quæ sententias eorum postulabat, dominio subiecti, quæ apud se iam statuerat propositum suum non mutare, quicquid illi in contrarium resoluerent, & istorum opiniones (quas voluntati suæ conformes fore præsciebat) solum vt tenui aliqua vmbra, leuique iuris fuco, factum suum obtegeret, requisierat, sex dico huiusmodi virorum sententiam, con-

tra totius Orbis *Christiani* iudicium in re ſacra, ſummique momenti in mediũ proferre, nonne hoc eſt perfectè inſanire? Dixi, contra totius orbis *Christiani* iudicium: Nam non tantum *Catholici*, quos inimicos verè æſtimant (ſi tamen errores ſuos, & non perſonas conſiderent) ſed etiã omnes prætenſæ reformationis profeſſores, quos fratres appellant, in *Gallijs*, in *Garmania*, *Polonia*, *Hungaria*, *Hollandia*, *Scotia*, *Heluetia*, *Geneua*, immo & in *Anglia* ipſa pro maiore, vel ſaltem puriore parte, Parlamentarios ſuos Epiſcopos abominantur, & deſpuunt. Tale certe teſtimonium, quod *Maſonus* tanquã robuſtiſſimum vltimo loco reſeruauit, ad confirmandam ac concludendam primi metropolitani noui cleri ordinationẽ, & inaugurationem recte inſeruit, quippe quæ non plus habeat probabilitatis, quã teſtimonium dictum habet virium & põderis.

Poſt hæc *Maſonus* in deriuando reliquum clerum *Anglicanum* à *Parkero* multus eſt, & octo integras paginas in iſta deducenda ſtirpe conſumit. Vbi illud aduerti debet. Cum *Parkerus* primus ſui Ordinis fuerit, (vt fatetur

Masonus, & per se constet; tametsi enim *Crannerus* Hæreticus tandem euasit, *Catholico* tamen ritu fuit ordinatus) & nondũ sexaginta viderit annos Ecclesia illa, cuius ille primus erat Pastor, *Christi* Ecclesia nullo modo esse potest. Sed hanc tandẽ disputationẽ ita cõcludit *Masonus*. *Acta publica iam allegata tam inuictæ authoritatis, & æstimationis sũt, vt nullatenus infringi seu debilitari possint. Et quæ summa rei est, ex qua reliqua omnia dependent, nempe Archiepiscopi Parkeri consecratio, vt solenniter in magno conuentu peracta fuerit, ita tunc quoque ipso adhuc superstite, dum omnium adhuc recens esset memoria, typis mandata, & euulgata fuit. Et quamuis maleuoli aliqui ac liuidi, vitam suam ac mores dente canino corroderent, consecrationem tamen suam, nunquam in dubium vocarunt.*

Corollarium necessariũ.

Inanis iactantia.

Quantæ fidei, & authoritatis acta ista sint, de quibus tãtum gloriatur *Masonus*, ex eis quæ hactenus dicta fuerunt, æquo lectori iudicandum relinquo. Et certè tametsi in cæteris omnibus integerrimæ essent fidei, saltem in consecratione *Barloi*, (ex qua *Parkeri* ordinatio omni ex parte dependet) mancam ac mutilam esse, *Masonus* ipse negare non audet. Inepta

ergo & ridicula est ista actorum, quam tam gloriosè ventitat, apud viros cordatos commemoratio.

Quod autem attinet ad nouam probationē, qua *ParKeri* consecrationē hîc confirmare contendit, dicendo, *illam olim fuisse editam, nec tamen à quoquam in dubiū vocatam;* apertissimum est mendacium. Nam *Hardingus*, *Sanderus*, & *Stapletonus*, vt ex propriis eorum verbis, ad finē præcedentis capitis allatis, clarissimè cōstat, *ParKero* adhuc non solùm superstite, sed eorū aliqui ad ipsummet scribentes, consecrationem illius non modo in dubium vocârunt, sed absolutè expresséq; negarunt: idq; absque omni vel ab ipso, vel à quouis alio illius nomine facta contradictione, vel minima replicatione. Idcirco si aliquid ad eius consecrationē spectans editum fuerit, vt *Masonus* asserit, vel priuatis tantùm amicis (qui facilè crederēt, quod verum esse cupiebant) communicatum fuit; vel nullius extitit ponderis atque momenti ad consecrationem eius conuincendam, quandoquidem neq; ipsemet *ParKerus*, neq; *Iuellus*, neq; *Hornus*, quãuis instanter, vt aliquã ordinationis suæ probationem proferrēt interpellati

Apertū mendacium.

Vide quæ ad finē cap. præcedētis de istis diximus.

fuerint atque prouocati, nec minimã illius libelli mentionem fecerint. Et mihi quidem firmiter persuadeo, magnũ *Masono* facessurum negotium, qui ab eo vel vnum exemplar illius exigeret. Deinde si adeo solemniter res fuisset peracta, vt *Masonus* iactitat, mirum omnino est *Ioannem Stovvum*, qui *Parkerum* peculiari obseruantia prosequebatur, tam ingrato & inusitato silentio illam obuoluisse. Si qui vero vitam *Parkeri* corroserint (vt asserit *Masonus*) non *Catholici*, sed *Protestantes* fuerunt, tantum nimirum honorẽ illi inuidentes; ac proinde mirum non esse, quod consecrationem eius in dubium non vocauerint. Et hactenus de *Parkeri* consecratione dictum sit, de qua cæterorum omnium superintendentium *Anglorũ* ordinationes, ita (*Masono* authore) dependent, vt ea reiecta ac refutata, illas quoq; refutari & reprobari necesse sit.

Dum ista ego scriberem incidi in librum inscriptum: *De Præsulibus Angliæ Commentarius*: à Francisco Godvvino Lãdauensi Episcopo elaboratum, & Londini ex officina Nortonianâ, apud Io. Billium anno 1616. editum, in cuius pagel-

lis 218. & 219. author ſcribens de Parkero, primo Cantuarienſi iuxta nouam ordinandi formam, Archiepiſcopo (de quo prolixè ſatis hactenus tractauimus) quædam inſerit ad quæſtionem præſentem ſpectantia à nobis ſilentio non prætereunda; ita vero ait: *Decembris* 17. 1559 *conſecratur* (Parkerus) *ritu in noſtra Eccleſia recepto, miniſterium illud obeuntibus viris quatuor grauiſſimis*, Guilielmo Barloo, &c.

Habet igitur Eccleſia Anglicana ritum ordinandi ſibi peculiarem, qui ſub Rege Eduardo ſexto primum excogitatus, (vt ſupra iam vidimus, & author iſte verbis ſtatim referendis agnoſcit) non modo ſchiſmaticus, ſed etiam planè nullus probatur: pergit Godvvinus.

De loco ſi quæras, huius conſecrationis, haud alius fuit quam conſuetus, capella nimirum palatij Archiepiſcopalis Lamethenſis vtcunque diuerſa tradant impudentiſſimi rabulæ Hardingus, Fitſimons, alij.

Rabulam tu potius agis, Godvvine, dum loco ſolidæ confutationis eorum quæ obiiciuntur; nihil niſi conuitia regeris, ſed cætera videamus.

Quamquam Hardingo, aliquo fortaſsis modo ignoſci poſsit, quòd, quæ nemo adhuc arguerit, tradiderit, ſibi tametſi nunquam credita. Quis enim ſanæ mentis tam ridiculæ, & ab omni probabilitate abhorrenti calumniæ fidem adhibuerit?

Quantum ab omni probabilitate abhorret illud, quod de Parkero, & eius collegis dicitur, ſtatim videbimus; interim cœtera iſtius dicta proſequamur.

Sed quod poſt tot reſponſiones Iuelli, (fælicisſimæ memoriæ Antiſtitis) Maſoni, *& aliorum, huiuſce conſecrationis ſeriem enucleatè tradentium, & publicarum tabularum fide confirmantium, vt tam craſſi mendacij malignitatem cæcus quiuis, ſi non intueri clarè, at manibus poſſet palpare; auſus tamen fuerit quiſpiam eadem rurſus in medium proferre quis ferat?*

Iuelli & Maſoni reſponſiones iã vidimus, ponderauimus, refutauimus, reiecimus. Tu ſi aliquid melius ſolidiuſque habes, illud abſque conuitiis & cõtumeliis (vt Theologũ decet) in medium profer, vt poſt legitimam diſcuſſionem vel approbari, vel reprobari poſſit. Neque exiſtimes, te rem ſatis euiciſſe, cùm

aduersarios tuos contumelijs dicterijsque aspersseris & prosciderис: tales enim non sunt, qui istis vel terreantur, vel moueantur. Incœptum iam tu prosequere.

Anne tales reuerendos patres producit Societas Iesuitica? Errare, labi, decipi humanum est: sed fronte perfrictâ asseuerare, quæ nemo iam vel stupidissimus crediderit, adeoque ne ipse quidem qui asseuerârit, summæ est tàm dementiæ quàm impudentiæ. Apagesis igitur Sinonis potius filius quam Symonis dicende, nisi mendacia tua stoliditatem nimiam saperent.

Isti flores sunt, Godvvine, tuæ eloquentiæ, quam in scholis nouæ reformationis didicisti; similes omnino fructibus noui vestri Euangelij: Sed quid in his omnibus ad causæ, quam propugnas, defensionem attulisti? Dicis summæ stupiditatis esse parisque dementiæ atque impudentiæ asserere Parkerum cœterosque eius commilitones in taberna ad caput Manni consecratos fuisse. Hoc est enim quod bilem tibi mouisse videtur. Sed non aduertis quod Patrum tuorum turpitudinem hac ratione detegas potius, quàm quouis modo cooperias, aut cohonestes: Nam si tales reuera ipsi

Hoc scripsit FizSimons in sua Ministromachia, post Sacroboscũ

extiterint, quales tu propter nimiam fœditatem eos fuisse incredibile existimas. nonne turpiores hac tua defensione eos reddis? Miserabilem certè patronum te exhibes, quæ enim à te prætenditur accusationis incredibilitas, quo solo argumento omnem Patrum tuorum maculam abstergi posse opinaris, adeo leuis pellucidáque est vmbra, vt nullam penitus iustæ purgationis speciem præ se ferat. Quis enim prudens adeo religiosè scrupulosos eos extitisse iudicabit, vt incredibile existimet, illos in taberna ordinari voluisse: quandoquidem multò grauioribus sacrilegijs eos obstrictos fuisse lippis (vt dicunt) & tonsoribus notum sit. Nonne enim ante nonnullos iam annos & ab vnitate Ecclesiæ, & à fidei veritate apostatârant? Nonne castitatis & continentiæ votum, quo, dum sacris initiarentur, sese obstrinxerant, sacrilegis connubijs violârant; adeo vt Parkerum ipsum tu ipse scribas, omnibus beneficijs suis regnante Maria fuisse priuatum, quia vxorem sibi copulasset? denique prophanum ordinationis ritum, recens excogitatum, & Parla-

mentari (vt tu ipse asseris, authoritate constitutum, spreto sacro illo ritu quem Sanctus Augustinus simul cum baptismate & fide Christiana in Angliam induxerat elegerunt, atque amplexati sunt?

His quidem perspectis atque ritè consideratis, nullus cordatus incredibile existimabit, istos adeo fuisse prophanos & irreligiosos, vt in popina initiari vellent: sed potius iudicabit prophanum illum locum, & illas personas, & illos etiam ritus, multo magis decere, quam sacram aliquam Dei ædem & Ecclesiam. Iudicet igitur æquus Lector, num hæc tua defensio non maiorem stoliditatem, (tuis vtor terminis) quam aduersarij tui accusatio vel dementiam vel impudentiam sapiat. Sed aliquid solidius in posterum fortassis proferes: videamus itaque cœtera.

Vt alijs verò consulatur per huiusmodi homines in errorem perductis, (si forte naris tam obesæ quisquam reperiatur, vt figmenti tam absurdi vanitatem statim non olfaciat) hortor primùm, vt Archiua adeant Archiepiscopalia, vbi nemini non licet videre, electionis canonicæ & consecrationis (se-

cundum ritus authoritate parlamentari sub Eduardo sexto constitutos) tam Parkero quam cæteris illorum temporum Episcopis imperita, totum (vt loquimur) processum.

Esto, talia in Archiuis extare acta, qualia tu ais; quid aliud inde habes, quàm quod Parkerus & cæteri illius comparticipes sint Episcopi, non Christiano ritu & ordinatione sed parlamentari tantum authoritate constituti? Et consequenter quòd tantum absit vt veri sint Episcopi, quantum potestas temporalis Parlamenti, quæ illos in tali gradu constituit, ab authoritate Christi, qui omnis legitimæ ordinationis fons est & origo, distare constat. Sed tu perge.

Hoc quibus aut non vacat, aut non libet, aut denique copia non est faciendi, consulant (si placet) Alexandrum Fayr-cloth, & Thomam Lathvvait, alias Scot, Iesuitas, Ioannem Colliton, (post Birkheadi interitum pro tempore Archipresbyterum) & Thomam Leake sacerdotem. His nimirùm iam ante annum, in præsentiâ Archiepiscopi Cantuariensis moderni, necnon & Episcoporum aliquot aliorum Londinensis, Eliensis, Lincolniensis & Roffensis codex registralis eius-

dem Parkeri ostensus est, (pulcherrimus ille quidem & magnâ sollicitudine inter publica monumenta asseruatus) quem quantum libuit, spectarunt, contrectarunt, euoluerunt, perlegerunt, & testimonio tam amplo, omnique exceptione maiori fidem (vt videbatur) habentes; quid viderant literis ad Thomam Fitz-herbert Romæ degentem perscriptis huiusce rei veritatem testati sunt. Quas literas Kellisono traditas, (Collegij Anglicani quod est Duaci præfecto) ad Fitz-herbertum perferendas, dictus Kellisonus in se recepit; neque dubito promissi fidem ab eo exolutam. Ab his igitur Fayrclotho, Lathvvaito, Collitono, Leako, imò & Kellisono, Fitz-herberto, & alijs Romano-Catholicæ Religionis professoribus, harum rerum, quæ à me de Parkeri referuntur consecratione, veritas, si vel pilum boni viri habeant, confirmabitur.

Varia Godvvini mendacia.

Vt mendacium illud (verba tua non tibi displiceant) hoc contentum dicto, *testimonio tam amplo omnique exceptione maiori fidem (vt videbatur) habentes*. Et illud: *literas Kellisono traditas ad Fitz-herbertum perferendas*, atque etiam illud: *dictus Kellisonus in se recepit*, prætercam; illud, quo asseris Alexandrum

Fayrclothum & cæteros quantum libuit librum præfatum *spectasse*, *contrectasse*, *euoluisse*, *perlegisse*, in quo sita est summa tuæ defensionis vis, atque momentum, absque refutatione præterire neque volo, neque debeo. Rem igitur prout gesta est breuiter narrabo, vt inde prudens Lector iudicare possit, quã inanis atque fallax sit tota hæc tua apologia. Edito Francisci Masoni libro de Consecratione Episcoporum Angliæ, quem hactenus refutamus, in quo copiosissima fit mentio de actis & regestis, quæ præfatas consecrationes tali loco & tempore & à talibus personis peractas testantur; Thomas Fitzherbertus, in quodam suo libro in hunc sensum (verba enim eius adhuc non vidi) scripsit, *Se homini illi gratias non exiguas acturum, qui certiorem illum faceret se talia acta conspexisse*. Quibus insinuare voluit se vix in animum inducere posse, vt talia acta extare crederet. Hinc Georgius Abbotus, dictus Archiepiscopus Cantuariensis præclaram occasionem se nactum existimans, præfata acta recens è latebris prodeuntia, in sui suorumque Prædecessorum de-

Præcipuum illius argumentum refellitur.

fensionem in medium producendi; assidentibus illi quatuor alijs hic nominatis Episcopis, vocauit ad se ex diuersis carceribus, vbi ob fidei Catholicæ professionem constricti tenebantur, quatuor prædictos Sacerdotes, & illis ostendit codicem registralem, (vt Godvvinus eum vocat) quem simplici intuitu inspicientes (neque enim pro loco neque pro tempore illis licebat diligentiùs eum contueri nedum perlegere) descriptam in eo Parkeri cōsecrationem se videre agnoscebant. Rogati igitur à præfatis dictis Episcopis, vt quod viderāt Thomæ Fitz herberto significare non omitterent, illudque præstare polliciti, ad carceres suos reducti fuerunt: vbi secum rē totam diligentiùs considerantes, atque adeò perpendentes, se illud solum literis suis testari posse, nimirum quod talia vidissent acta, vtrum vero germana essent atque authentica, & ab omni fraude & falsitate immunia, nihil prorsus statuere posse. Vt pleniorem igitur de hac re certitudinem tàm sibi, quàm alijs procurarent, duo, priori loco nominati, scriptis literis ab Archiepiscopo rogarunt, vt copia illis fieret præfatum

codicem liberiùs atque diligentiùs inspiciendi, sed repulsam passi sunt. Quod totum sicut gestum fuit Thomę Fitzherberto per literas suas significarunt.

Iudicet iam quiuis, licet minus æquus arbiter, qualia censenda sunt illa acta quę adeo lucem abhorrent, & districtiorem examinationem reformidant, vt non nisi in præsentia dominorum suorum idque leuissime & tanquam per transennam spectari, tractarique permittantur: Quales etiam illi æstimandi sunt Episcopi atque pastores Ecclesiæ, quorum ordinationes non alio nituntur fundamento, neque alio confirmantur testimonio, quam prædictarum tabularum fide & veritate. Quæ quamuis ab omni suspicione fraudis & falsitatis liberæ essent atque immunes, remque gestam certissimâ fide testarentur; nihil tamen aliud continent, quàm quod noui isti superintendentes ritu nouiter excogitato, & inter Christianos anteà inaudito, atque inde profano & omnino nullo, fuerint initiati. Quod etiamsi ex mera liberalitate illis daremus, nimirum tali ordinatione eos fuisse consecratos (illud enim nunquam probaturi sunt) non pro-

pterea

ptereà ſanctiori aliqua authoritate vel inſtitutione Sacerdotes vel paſtores eſſe poſſunt, quàm fuerunt illi, quos impius Rex Ieroboam ad Sacerdotium olim aſſumpſit, promouitque. Videat igitur Goduuinus (ſi tamen oculos habeat vt videat) quàm miſerã atque infœlicem pro ſe ſuiſque patribus ac progenitoribus inſtituerit Apologiam.

3. *Reg.* 12.

Et vt nihil quod in iſtorũ defenſionem hactenus à quoquam adductum reperiatur taceamus, non diſſimilem pro eis Apologiam inſtituerunt olim Haddonus & Foxus, qui Oſorio interroganti *quâ ceremoniâ, quo ritu, quáue authoritate inſtituti fuerint noui iſti paſtores & quis manus ijs impoſuerit*, reſponſionem adhibẽt in omnibus penitus ineptam, excepto quod breuis ſit: dicunt enim: *vnico verbo reſpondemus. Manus fuerunt illis legitimè impoſitæ, & preces ſimiliter pro illis factæ iuxta Euangelij præſcriptum; proprijs vtimur ceremonijs, ſicut & vos & cæteræ nationes ſuas adminiſtrant.* Hæc illi. Quæ liquidò oſtendunt, nouos iſtos ſuperintendentes, ritu ſolis Proteſtantibus Anglis proprio, ac proinde prophano atque ſacrilego initiatos fuiſſe. Deinde conſtat, ordinationem iſtorum ab initio

fuisse vbique improbatam,& nullam iudicatã. Denique apparet illos ordinatores qui hodie àMasono &alijs nominantur, ignotos fuisse Haddono & Foxo, qui tamen non vixerunt modò, sed etiã ista eo tempore scripserunt, quo nominati illi viuebant, & cum ijs qui ista scripserunt familiariter versabantur. Quod verò illis non fuerint cogniti; nimirum vt præfatorum superintendentium ordinatores, ex eo satis manifestè colligitur, quod ab aduersario adeo expresse interrogati *quis illis manus imposuit*, neminem omnino nominatim proferunt, sed nudè & veteratoriè tantum asserunt, *illud legitimè fuisse factum*. Egregia quidem interrogationi propositæ satisfactio. Sed alia iam prosequamur.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Vtrum Grindallus, Hornus, cœterique ad ſedes Epiſcopales initio regni Elizabethæ prouecti, veri ac legitimi Epiſcopi fuerint.

QVos hactenus vidimus Epiſcopalis vocationis defectus in *Crãmero*, in ordinatis ſub *Eduardo* ſexto, vel in *Parkero*, in ijs quoque de quibus præſens inſtituitur quæſtio, reperiri nulli omninò dubium eſſe poteſt. Eiuſdem enim & hæreſis, & ordinationis participes fuerunt. Idcirco ſi illi veri ac legitimi Epiſcopi non fuerũt, neque iſti quidem eſſe poſſunt. Prædictis itaque nullius ordinationis, & vocationis notis, eos donec ſe purgant, inſignitos relinquentes, num alium ſibi peculiarem defectum habuerint, impræſentiarum nobis eſt examinandum.

Et primò quidẽ in confeſſo eſt, & omnibus conſtat, tempore quo *Grindallus*, *Hornus*, & reliqui initio regni *Elizabethæ* ad ſedes Epiſcopales euecti fuerunt (quorũ

nomina ſtatim proferentur ſedes illas nō vacaſſe, ſed veris ac legitimis Epiſcopis occupatas fuiſſe. Vnde abſque vlteriore probatione manifeſtę intruſionis,& vſurpationis noui iſti ſuperintendentes conuincuntur. Quod autem Eccleſiæ illæ, in quas iſti Pſeudo-Epiſcopi nominatione principis ſeſe intruſerunt, non vacarent, ſed à legitimis paſtoribus poſſeſſæ fuerint, ex ſequenti tabella, quam ex *Maſono* deſumpſimus, clariſſimè conſtat.

Maſonus pa. 134.

Prouincia.	*Sedes.*	*Depriuati.*	*Intruſi.*
Cātuarienſis	*Londinenſis.*	*Bonerus.*	*Grindallus*
	Vvintoniēſis.	*Vvhitus.*	*Hornus.*
	Elienſis.	*Thurlbeius.*	*Coxeus.*
	Lincolnienſis.	*Vvatſonus.*	*Bulligamus*
	Lichfeildēſis.	*Banus.*	*Benthamus*
	Bathonienſis.	*Bournus.*	*Barclaius.*
	Exonienſis.	*Turberuilus.*	*Allyus.*
	Vorceſterēſis.	*Patus.*	*Sandeus.*
	Petriburgēſis.	*Poolus.*	*Scamblerus*
	Aſaphenſis.	*Gouldvvellus*	*Dauidus.*
Eboracenſis.	*Eboracenſis.*	*Heathus.*	*Yongus.*
	Dunelmenſis.	*Tunſtallus.*	*Pilkitonus*
	Carliolenſis.	*Oglethorpus.*	*Beſtus.*
	Ciſtrenſis.	*Scotus.*	*Dovnham⁹*

Quod vero illi, quos in medio huius tabellæ ordine à sedibus suis eiectos videmus, veri ac legitimi fuerint Episcopi, aduersarij non negant. Neque enim vel ordinationem, vel inuestiturã cuiusquã illorum in controuersiam aliquando vocârunt. Idcircò nisi iustè ac legitimè depositi fuerint, qui eorum sedes illis exclusis inuaserunt, manifestos vsurpatores, ac lupos fuisse magis clarè cõstat, quã vt probari debeat. Restat ergo, vt eorum depositionẽ seu depriuationem discutiamus, vt videamus vtrum iusta fuerit necnè. Atque *Masonus*, vt eos iustè depriuatos ostendat, iam post tot annos, à quo in pace dormiũt, de tribus eos accusat, quæ dum viuerent, & pro se respondere possent, ab acerrimis eorum aduersarijs nusquam contra eos obiecta reperiuntur: adeo nimirum pius in defunctos est iste. Sic vero ipse scribit. *Quam benè de regina meruerunt isti, ex eorum gestis in tribus causis constat. Nimirum de coronatione Reginæ, disputatione, & excommunicatione. In duobus primis actores esse recusarunt: atque ad tertium quod attinet, concilium inierunt, vtrum reginam excommunicare deberent necné.*

Status præsẽtis quæstionis.

Masonus pa. 101.

Falsò eos accusat.

De tribus istis accusationibus prolixè satis disputat *Masonus*, existimans probabilem aliquam venerandos istos pastores deponendi causam in eis reperire, vt deinde nouos suos Superintendentes in Ecclesias & Cathedras vacantes introijsse, & non in iam occupatas intrusos fuisse ostendat. Verba eius hic referre neque licet, neque libet. Prolixiora enim sunt, & multo paucioribus refutari, quam referri possunt.

Vindicantur à calũnijs Masoni Episcopi Catholici.

Dicimus igitur primò, nihil horum contra istos olim obiectum fuisse, neque aduersarios suos quamuis implacabiles, & acerbissimos, minimam cuiusquam horum mentionem, tanquam iustæ causæ priuationis fecisse, quod argumento est, eos nihil tale cogitâsse.

Secundò, falsum est, omnes depositos horum reos fuisse (si tamen reatum aliquem inducerent) nam *Oglethorpus* Episcopus *Carleolensis*, neque excommunicandam *Elizabetham* censuit, neque eam coronare recusauit, quin ipse (vt *Masonus* fatetur & omnibus notum est) coronam regni, capiti eius imposuit; quem tamen ob *Catholicæ* fidei professionem, & iuramenti Primatus repudiationem,

(vt *Masonus* expressis verbis fatetur) ipsa ingrata nimis deposuit. *Odoenus Oglethorpus* (ait *Masonus*) *in religione pontificia perstitit, & Primatus iuramentum recusauit, ac propterea depositus fuit.*

Mason. p. 125.

Tertiò, esto, omnes depositos horum trium reos fuisse, inde tamen depositionem non meritos esse clarum est. Nam neque *S. Ambrosius*, qui & disputationem cum *Arianis* inire recusauit, & *Theodosium* Imperatorem reipsa excommunicauit (nedum de illo excommunicãdo consultauit) neque *Euphemius* Patriarcha *Constãtinopolitanus*, qui *Anastasium* Imperatorem non agnosceret, sed tanquã hæreticum, & indignum vt *Christianis* imperaret, donec de amplectenda concilij *Chalcedonensis* doctrina stipulâsset, eum repulit, depositionem meruisse à quoquam hactenus iudicatus fuit.

Ambr. l. 2. epi. 13. Ruffin. l. 2. hist.

Theodorus Anagnostes l. 2. col. hist.

Quartò, cum vera ac vnica istos depriuãdi causa fuerit fidei *Catholicæ* professio, & iuramenti primatus reiectio, (vt non solũ *Sanderus*, sed etiam *Stovvus* testatur, quinimo & *Masonus* ipse expressis verbis fatetur, vt de Episcopo *Carleilensi* iã supra vidimus, & de cæteris omnibus infra videbimus) ineptè omnino & impertinen-

Stovvus p. 1082.

ter, tot impēdit verba in argumēto quod ad institutum suum nullatenus spectat. Sed miser homo, timens ne ex propria causa depositionem istorum iustificare nequeat, alias causas non minus ineptus, quàm impius, contra eos confingit.

Summa quæstionis.

Summa igitur præsentis controuersiæ in eo stat, vtrum Regina *Elizabetha*, & eius senatus, Episcopos istos, suis sedibus iure priuare posset, quia eam esse caput Ecclesiæ *Anglicanæ* iurare recusarint. Quòd vero non posset ad me spectat probare, quod hoc vnico argumento præstabo.

Iniustè fuerunt depositi Episcopi Catholici.

Nullum iudicium iustum ac legitimum esse potest, nisi à iudice competenti, hoc est potestatem & authoritatem tam in causam quam in personas iudicatas habente proferatur. Sed Regina *Elizabetha* & eius senatus, siue coniunctim, siue separatim considerentur, nullam legitimā potestatem in Episcoporum istorum personas, & causam iudicatam habuerint. Ergo iudicium depriuationis contra eos à Regina & eius senatu latum, iustum ac legitimum esse non potuit.

Nihil in toto hoc argumento excepta minore propositione probatione eget.

Maior enim propositio præterquam quod omnibus lumine tantum naturali præditis, ex se nota sit, expresse ab aduersario nostro traditur his verbis. *Quomodo potest iudicium aliquod esse validum, vbi iudex nullam habet authoritatem?* Minorem iam probabo: his tamen (quæ adeo per se manifesta sunt vt probari non debeant) præsuppositis, nimirum personas iudicatas Episcopos fuisse, causam vero ad fidē ac religionem directè pertinere, iudices autem laicos fuisse. His præsuppositis,

Mason. p. 107.

Dico, eos, qui adeo in omnibus, ad fidē & religionem spectantibus, aliorum preceptores, & doctores à Deo constituuntur, non posse in eisdem rebus eorū iudicio esse subiectos, quorum magistri & doctores ordinantur, aliàs enim discipulus esset super magistrū suū in illismetipsis, in quibus discipulus eius esse debet, tā cōtra lumen rationis, quam *Christi* Domini doctrinam, qui docet *discipulū nō esse super magistrum.* Sed Episcopi & Pastores Ecclesiæ, à Deo constituuntur omniū laicorū, siue Principes sint, siue populi, in eis quæ ad fidē & religionē spectāt, præceptores & Doctores. Ergo in rebus ad fidē spectantibus nō possunt, laicorū iudicio,

Argumentum demonstratiuū.

Matth. 10. 24.

etiamsi principes sint, esse subiecti, ac proinde principes temporales potestatem eos iudicandi in illis rebus habere non possunt. Vnde tandem clarè concluditur, Reginam *Elizabetham* vna cum suo senatu dictos Episcopos in causa præfata iudicare non potuisse.

Addidi de industria in hoc argumento illa verba (*in rebus ad Fidem & Religionem spectantibus*) quia quæstionem illam vtrum Ecclesiastici in omnibus causis à iudicio sæculari iure diuino liberentur, vtpote ad controuersiam præsentem minimè necessariam hîc tractare nolo.

Prima huius argumenti propositio, per se & ex terminis suis nota est, cōclusio sequitur directè ex præmissis, ac proinde restat tantum minor propositio probanda, quæ ex his expressis *Christi* Domini verbis manifestè conuincitur: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, euntes ergo docete omnes gentes &c. docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis, & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.* Postrema hæc verba declarant potestatem hic à Domino traditam, omnes omnino gentes cu-

Matth. 28. 19. 20.

iuscunq; gradus & qualitatis, omnia ad fidem, & salutem necessaria docēdi, non solis Apostolis, quos tūc in personis propriis præsentes alloquebatur, communicandam fore, quia illi vsque ad finem sæculi non essent in hoc mundo permansuri, sed illis etiam omnibus qui in Pastorali officio Apostolis succedere deberēt, quales sunt Episcopi.

Eadem veritas simul etiam cum priori illa propositione, quod *Episcopi, & Pastores in rebus fidei per sæculares iudicari nequeant*, ex alio *Christi* Domini testimonio probatur, quo Pastoribus, & Prædicatoribus à se in mundum missis ait, *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Vnde ita infertur, qui vos in eis quæ ad fidem, quam ego vobis prædicādi potestatem dedi, spectant, iudicat, me quoque iudicat.

Luc. 10. 16.

Idem quoque ex Apostoli expressa doctrina adhuc clarius conuincitur. *Obedite* (inquit) *præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant, quasi de animabus vestris rationem reddituri.* In eis enim Prælati, ac Pastores nostri, nobis subiecti, & inferiores esse nequeunt, in quibus nos per diuinam

Heb. 13. 17.

ordinationem illis ſubiicimur, & obedire debemus (quemadmodum ſol ſuper lunam exiſtens, illi ſubeſſe nequit) ſed Prælatis, & Paſtoribus noſtris, in eis, quæ ad ſalutem animarum noſtrarum ſpectant (quorum primum locum obtinet fides) adeo ex Apoſtolo ſubiecti ſumus, vt illi rationem de animabus noſtris reddituri ſunt. Ergo illi nobis in eiſdem ſubiecti eſſe non poſſunt, & conſequenter neque à nobis in illis iudicari.

Porro idem Apoſtolus docet, *Deum poſuiſſe Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam* (inquit) *acquiſiuit ſanguine ſuo.* Quomodo ergo poſſunt ipſi ab eis iudicari, qui ſunt, vel ſaltem deberent eſſe membra illius Eccleſiæ, cuius ipſi rectores à Deo ipſo conſtituuntur?

Act. 20 28

Paucis iſtis, ſed firmiſſimis diuini eloquij teſtimoniis, vnam vel alteram humanam authoritatem adiiciam, non tam ad confirmanda prædicta, quam ad declarandum quid ſummorum hominũ vtriuſque ſtatus tam ciuilis, quam Eccleſiaſtici, antiquis temporibus hac de re iudicium fuerit.

Conſtantinus ergo merito dictus mag-

nus, tantum abfuit, vt authoritatẽ Episcopos in rebus fidei iudicandi sibi vendicaret, vt de priuatis, quas inter se mutuo habuerunt, causis, & querelis, nullã iudiciariam potestatem se habere pronunciauerit, ita eos compellans: *Deus vos cõstituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi, & ideo nos à vobis rectè iudicamur. Vos autem non potestis ab hominibus iudicari. Propter quod, Dei solius inter vos iudicium expectate, & vestra iurgia quæcunque sunt, ad illud diuinum reseruẽtur examen. Vos enim nobis à Deo dati estis dij, & conueniens non est vt homo iudicet Deos, sed ille solus, de quo scriptum est, Stetit Deus in Synagoga Deorum.*

Ruffin. l.1. c.2.

Et *Valentinianus* primus, professus quoque est, *sibi qui vnus è laicorum numero erat, non licere se negotiis Ecclesiasticis, & ad fidem spectantibus interponere. Et ideo Sacerdotes, & Episcopi* (inquit) *quibus hæc curæ sunt, vbicũq; ipsis libitum fuerit, in vnum conueniant*: nimirum de fidei controuersijs tractaturi.

Sozomẽ. l.6.c.7.

Theodosius quoque cum *Valentiniano* iuniore, ita ad patres Concilij *Ephesini* scribit. *Ea lege & conditione Candidianum comitem ad sacram vestram Synodum abire iussimus, vt cum quæstionibus & controuersiis, quæ*

Concil. Ephes. apud Bin. to.1 p.732.

circa fidei dogmata incidunt, nihil quicquam commune habeat. Nefas est enim, qui sanctissimorum Episcoporum Catalogo ascriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis & consultationibus sese immiscere.

Potentissimi isti Monarchæ, qui omne ius, imperiali sublimitati debitũ sibi cõpetere non ignorabant, à iudiciis Ecclesiasticis, & ad fidem spectantibus sibi vẽdicãdis, lõgissime aberant. Sed videamus paucis, si forte illorũ temporũ Pastores, & Episc. hanc illis potestatẽ ascripserint.

Epist. ad Constã-tiũ apud S. Athanas. epist ad solitarios.

Audi ergo magnum illum *Hosium Cordubensem*, *Constantium* Imperatorem ita alloquentem. *Reformida diem iudicij, serua te in illum diem purum, ne te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea à nobis disce. Tibi Deus imperium cõmisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Neq; igitur fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes Imperator.*

S. Athanas. epist ad soli-tarios longius à fine. Ibidem versus finem.

Et *S. Athanasius* gloria Episcoporum. *Quando à condito æuo auditum est iudicium Ecclesiæ authoritatem suam ab Imperatore accepisse?* Et iterum. *Non de re Romana iudicium est, quo tibi vt superiori fides habeatur, sed de Episcopo agitur.* Atque ite-

rum. *Quis videns eum, in decernendo principem se facere Episcoporum, & præsidere iudicijs Ecclesiasticis, non merito dicat, illum; eam ipsam abominationem desolationis esse, quæ à Daniele prædicta est?*

Gregorius quoque *Nazianzenus* cognomento Theologus, ita præsidem alloquitur. *An me libere loquentem æquo animo feretis? vos quoque imperio meo, atque throno, lex Christi subijcit. Imperium enim nos quoque habemus, addo etiam præstantius, ac perfectius: nisi vero æquum sit, spiritum carni fasces submittere, & cælestia terrenis cedere.*

Naziãz orat. 17. ad populũ timore perculsum.

Sanctus Ambrosius ex quatuor doctoribus Latinis antiquissimus ad *Valentinianum* Imperatorem ita scribit. *Augustæ memoriæ Pater tuus, non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit; In causa fidei, vel Ecclesiastici alicuius ordinis, eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis, (hæc sunt verba rescripti) hoc est, Sacerdotes de Sacerdotibus voluit iudicare. Quin etiam, si alius quoque argueretur Episcopus, & morum esset examinanda causa, etiam hunc voluit ad Episcopale iudicium pertinere.* Et paucis interiectis. *Quando audisti clementissime Impe-*

S. Ambros. l. 2. epist. 13. ad Valentinianum.

rator, in causa fidei laicos de Episcopo iudicasse? Si docendus sit Episcopus à laico, laicus ergo disputet, & Episcopus audiat, Episcopus discat à laico. At certe si vel Scripturarum seriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat, in causa fidei, in causa inquam fidei, Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis iudicare? Pater tuus vir, Deo fauente, maturioris æui, dicebat, Non est meum iudicare inter Episcopos, tua nunc dicit clementia, Ego debeo iudicare, Et alia nonnulla.

Serenissimus etiam magnæ *Britanniæ* Rex *Iacobus* idem satis expressè testatur his verbis. *Verum quidem est Imperatores nunquam asseruisse, se in rebus fidei, & Doctrinæ supremos esse iudices.* Et paulo inferius. *Fateor quod de latitudine, & extensione potestatis clauium iudicare, ad Theologiam spectat, & quod clerici* (hoc ipse vtitur verbo) *contra eos Principes, qui bellum contra* IESVM CHRISTVM *gerunt, censuras suas proferre & possint, & debeant, absque eo quod laicos earum rerum iudices faciant.*

In declaratione sua cō. Card. Perron. pag. 70. Impress. Paris.

Adeo vt clarè constat tam diuino quã humano, Ecclesiastico & ciuili, Imperiali ac

ac Regali iudicio homines sæculares, siue principes sint, siue populares, Episcopos in rebus fidei, & religionis iudicandi potestatem nullam habere. Neque contrarium ab vlla prætensæ reformationis secta, Parlamentariis nostris Superintendentibus exceptis, propugnatum inuenio. Isti autem, quia originem suam à temporali sæcularium principum potestate trahunt, conseruationem suam, ab eàdem etiam sperant, ac propterea non tam quia Principi debitum credant, quam quia sibi maxime necessarium intelligunt, insulsissimum illud dogma, de primatu principis sæcularis in rebus Ecclesiasticis defendere præ se ferunt. Quod adeo absurdum est paradoxum, vt omnes aliæ prætensæ reformationis Synagogæ, illud detestentur atque abhorreant. *Caluinus blasphemum, atque sacrilegum*, illud vocat. *Centuriatores* doctrinam directè contrariam tradunt, dicentes, *Non sunt* (Ciuiles scilicet Magistratus) *Capita Ecclesiæ, quia ipsis non competit iste primatus*. Et *Kemnitius* de Regina *Elizabetha*, ait, *Fæmineo, & à sæculis inaudito factu se Papissam, & caput*

Primatus sæcularium in rebus Ecclesiasticis ab ipsis nouatoribus improbatus.

In cap. 7 Amos.

Præfat. cent. 7. p. 11. ad medium

Epist. ad Electorem Brandeburg.

Ecclesiæ facit. Sed de his fusius capite sequenti.

Interim aduerti debet, *Elizabetham* in hac *Catholicorum* Episcoporum depriuatione impiissimum *Constantium Arianum*, impietate, & iniustitia longe superâsse. Ille enim ad instantiam & solicitationem *Arianorum* suorum, *Sanctum Athanasium* sede sua eiicere summoperè cupiens, illud tamen, nisi sub specie & prætextu Synodalis iudicij, attentare noluit. Duo enim concilia, seu potius conciliabula, *Antiochiæ* vnum, alterum *Tyri*, hac præsertim occasione conuocari fecit; illa vero absque omni Ecclesiastico iudicio præuio, non vnum sed nonnullos Episcopos è sedibus suis eiecit, & insuper in custodiam coniecit. Neque in facti illius defensionem dici potest, illam vt supremum Ecclesiæ *Anglicanæ* caput hoc legitimè facere potuisse. Nam si iste primatus, seu suprema potestas, atque iurisdictio in Ecclesia *Anglicana* illi competat, eadem *Constantio* in totius Imperij Ecclesiam negari nequit. Quam tamen sibi non vendicâsse (quamuis alioquin vecordissimus hæreticus,) neque quemuis alium

Sozomenus l.2. c.24.

Socrates l.2.c.5.

Elizabetha Constantio deterior.

ante *Henricum* Octauum *Angliæ* Regem) certissimum est.

> *Qualem potestatẽ in rebus fidei habẽt principes.*

Habent quidem principes in suis regnis potestatem condendi leges, in conseruationem, & propagationem religionis *Catholicæ*, & extirpationem hæresis cuiuscunque, hęcque maxima eorum est gloria, & præcipua etiam ratio, propter quam gladij potestate à Deo donantur, vnde & *Ecclesiæ nutricij* in sacris Scripturis dicuntur. Quæ autem sit *Catholica* veritas, quæue hæresis seu error in fide, ab Episcopis & Pastoribus, quos Deus Ecclesiæ suæ rectores constituit, illisque docendi omnes gentes vniuersa ad salutem suam necessaria potestatem tribuit, addiscere debent, non verò illos in istis docere. Ista vero edocti, non solum credere ipsi debent, sed etiam gladij, sceptrique sui potestate, ab omni falsitatis & erroris inuasione defendere, & propugnare. Quod vero aliam in rebus fidei ac religionis potestatem principes sæculares non habeant, *Masonus* ipse cogitur fateri.

> *Esaiæ 49. 23.*

> *Act. 20*
> *Matth. 28.*

> *Quod est in quæst. à Masono conceditur.*

Postquam enim Principum primatum in causis spiritualibus hoc argumento confirmâsset, (*Quod Gratianus Imperator*

legem contra Arianos tulisset, qua eos tanquam feras pessimas ab Ecclesijs arceri, & sedes suas legitimis Pastoribus reddi præcepit, Ducique Saporæ, rei executionem commisit: vnde infert *Elizabetham* potiori iure propter penuriam bonorum pastorum (quorum magna erat copia tempore *Gratiani* idem præstare potuisse) sibi tandem obiicit, *Gratianum*, qui Conciliorum determinationes contra *Arianos* factas, eos tanquã hæreticos condemnantes nouerat, & leges contra eos condere, & earum executionem duci suo committere legitimè potuit. Cui quidem obiectioni hanc efformat responsionem.

Elizabetham quoque definitionem Synodi, in qua Episcopus Roffensis aderat, pro suo primatu habuisse. Illa namque Synodus Regi Hẽrico primatum Ecclesiæ Anglicanæ tribuebat, quæ definitio in alia quoq; Synodo post duos annos habita renouata fuit, & adhuc post alios duos annos, vtraque Academia idem tulit iudicium, nempe, Papam non maiorem ex lege diuina potestatem in Anglia habere, quam quiuis alius Episcopus. Hęc ipse.

Imponit Roffensi

In hac responsione obseruandum est, illud cõcedi, quod obiectio facta probare intẽdit, nimirũ *Elizabetham* Reginam,

absque synodali determinatione præuia, nullam legẽ de rebus ad fidẽ vel religionem spectantibus, iure & legitimè cõdere potuisse: ac proinde leges omnes in regno eius contra religionẽ *Catholicam* factas, non solũ iniustas & iniquas esse, sed etiam nullas, vtpote à competenti potestate & authoritate nõ latas. Nulla enim Synodus quicquam hactenus definiuit, quod huiusmodi leges in minimo approbare potest.

Elizab. leges de religione nullæ.

Quod vero ad primatum Ecclesiæ attinet, de quo præsens instituitur controuersia, Synodi illæ, de quibus iste loquitur, non extant, nisi vna in manuscriptis vt ait, altera verò nullibi. Sed esto, talem fuisse Synodalem determinationem, qualem ipse dicit, quanti quæso ponderis, & authoritatis esse potuit? Nullius penitus. Primum enim ij, qui tempore *Henrici* illi determinationi timore impulsi consenserunt, postea tempore *Mariæ* Reginæ consensum suum reuocârunt, vt *Masonus* ipse testatur. Immo *Roffensis* quem *Masonus* tanquam consentientem dictæ determinationi hîc fraudulenter nominat, mori potius, quam illi consentire elegit. Et re

Roffẽsis vindicatur à calũnia.

ipsa mortem, vt omnes norunt, ea de causa constanter obiit. Qui tametsi Regis primatui, absolutè consentire numquam adduci potuit, quia tamen necessitati cedendum esse ratus, consensit cũ hac expressa restrictione (*Quantum per verbum Dei liceret*) obedientiam Regi in causis Ecclesiasticis & spiritualibus iurare: facti illius vsque adeo eum pœnituit, vt publicè se incusans diceret, suas, id est Episcopi, partes fuisse, non cum exceptione dubia, sed apertè & disertis verbis cœteros potius docuisse, quid verbum Dei permitteret, quidve prohiberet, quo minus alij in fraudem incurrerent. Neq; vnquam sibi deinceps peccatum hoc satis expiâsse videbatur, quovsque proprio sanguine hanc maculam eluisset. Hæc de eo *Sanderus*.

Sander. l.1. de schismate Anglicano.

Deinde quantæ potest esse authoritatis Synodus, vnius tantum Regni Episcoporum (Regis sui mandato inter dominiorum suorum limites conuocata, in re sũmoperè ab eo desiderata, & omni studio quæsita) contra totius *Christiani* orbis iudicium? Primum enim Synodus illa (si tamen Synodi nomen mereri possit) non erat plenaria, qualis esse debe-

bat, vt eius determinatio in illa quæstione definitionis Synodalis authoritatem, vimque obtineret. Deinde non erat libera, vt patet tam ex circumstantijs iam dictis, quam ex eo quod sententias suas postea cum à timore immunes erãt, mutârint omnes Episcopi. Qui solus libertatis defectus illius Synodi authoritatem etiamsi generalis fuisset, eleuâsset, vt accidit in magno illo Concilio *Ariminensi*, quod post *Constantij* Imperatoris minas receptas nullius authoritatis fuisse omnes consentiunt. Idcirco Synodalis illa determinatio, quam *Masonus* dicit præcessisse sententiam *Elizabethæ*, qua Episcopos *Catholicos* sedibus suis priuauit, & cuius authoritate munita, Ecclesiæ *Anglicanæ* primatum sibi vendicauit, tantum abest vt illam à sacrilega impietate liberare possit, vt omnium risui ipse se exponat, causam illius tam inepte agendo.

Causam Elizabethæ ridiculè defendit Masonus

Post hæc prolixè ex facto *Salomonis* abdicantis *Abiatherum*, vti validissimo argumento, *Masonus* probat *Elizabetham Catholicos* hos Episcopos iure deponere potuisse. In summa argu-

Obiectio vliaßima Masoni euacuatur.

3. Reg. 2.26.

mentum eius huiusmodi est. *Salomon* Rex deposuit *Abiatherum* summum Sacerdotem, aliumque illius loco subrogauit. Ergo & *Elizabetha* Regina Episcopos regni sui deponendi, aliosq; eorum locis substituendi potestatem habuit. Cui respondeo quod etiamsi ponamus primo, factum *Salomonis* legitimum fuisse, quod non est omnino clarum, & euidens; secundo, illum vt Regem, & non, vt Prophetam, vel ex speciali reuelatione, & præcepto diuino deposuisse *Abiatherum*, quod saltem incertum est; Tertio, quod Sacerdotium, & Sacerdotes veteris legis, æqualis dignitatis, & prærogatiuæ fuerint cum sacerdotibus & sacerdotio nouæ legis, quod apud omnes veros *Christianos* falsissimum est: tametsi (dico) ista omnia supponamus, nihilominus argumentum eius friuolum, ac futile omnino ostenditur, & instituto suo ineptum. Causa enim *Abiatheri* lōge dispar fuit ab illa Episcoporum nostrorum, de quibus nostra est cōtrouersia. Nam illius causa fuit coniuratio cum *Adonia* contra *Salomonem*, quæ si in persona Sacerdotis, non extitisset, absque omni controuersia ad sæculare

tribunal mandanda fuisset, horum vero causa fidei ac religionis erat, quæ tamets i in personis Ecclesiasticis non extitisset, ad iudicium sæculare pertinere nullatenùs potuit, vt ex lege diuina, Ecclesiastica, & ciuili, iam ostensum est. Quapropter impertinenter est illud *Salomonis* factum à *Masono*, in *Elizabethæ* Episcopos *Catholicos* deponentis defensionem, allegatum.

Hactenus depriuationem *Catholicorum* Episcoporum iniustam iniquamque ex vsurpato iudicio, & ex defectu potestatis & iurisdictionis in iudice, qui eos iudicauit, ostendimus. In sequenti capite causam ipsam depositionis examinabimus, vt inde etiam appareat, quam legitimi sint Episcopi, qui eorum sedes postea occupârunt.

Cap. decimvmsextvm.

De Iuramento Primatus Ecclesiastici, pro quo repudiato, & reiecto Catholici Episcopi sedibus suis priuati fuerint.

ISte est ipsissimus titulus, quem *Masonus* tertio capiti tertij sui libri præponit. Vbi primò est aduertendum, vnicam, veramque deponendi prædictos Episcopos causam fuisse iuramenti præfati abnegationem, ac proinde, tres illas rationes, contra eos à *Masono* obiectas, & à nobis capite præcedenti reiectas, voluntariè ab eo confictas esse.

Secundò, nostrum tantum esse, argumentis quibus *Masonus* primatum Reginæ in rebus Ecclesiasticis stabilire contendit, hîc satisfacere, non autem contrarium probare, hoc enim capite præcedenti breuiter quidem, sed efficaciter, vt mihi videtur, præstitum fuit.

Ad rem igitur vt veniamus, describenda est primum iuramenti dicti forma & tenor. Sic igitur se habet, vt refertur à *Poultono* legum *Anglicanarum* Abbreuiatore.

Ego A. B. prorsus testificor & declaro in conscientia mea Reginam esse solam supremam gubernatricem, & istius regni Angliæ, & aliorum omnium suæ maiestatis dominiorum, & regionum, non minus in omnibus spiritualibus atque Ecclesiasticis rebus vel causis, quam temporalibus, & quod nemo externus Princeps, persona, prælatus, status, vel potentatus, aut facto, aut iure habeat aliquã iurisdictionem, potestatem, superioritatem, præeminentiam vel authoritatem Ecclesiasticam aut spiritualem in hoc regno. Ideoque plane renuncio & repudio omnes externas iurisdictiones, potestates, superioritates, atque authoritates, &c. Elizabethæ anno primo. His præmissis videamus, quid *Masonus* affert in probationem primatus principis sæcularis in rebus spiritualibus & Ecclesiasticis.

Tenor iuramẽti primatus.

Cum initio huius capitis dixisset *Marcianum*, *Iustinianum*, *Theodosium*,

atque *Gratianum* Imperatores, leges de rebus Ecclesiasticis condidisse, eandemque suam allegationem euacuasset, replicando istos principes leges suas condendo, synodorum determinationes sequutos fuisse, quod *Elizabetham* quoque fecisse cauillando ait, vti capite præcedēti vidimus & refutauimus, ista ex *Alano* nostro sibi obijcit. *Fuitne vnquā princeps aliquis Christianus, aut paganus, Catholicus, aut hæreticus in vniuerso orbe ante seculum hoc nostrum, qui vel exercuit, sibi vendicauit, vel acceptauit istum primatus titulum?* Quibus ipse hanc efformat responsionem. *Ponantur ante oculos pij reges Iudææ; inspiciantur gesta Christianorum Imperatorum, Constantini, Gratiani, Theodosij, & similium; euoluantur leges Caroli, & Ludouici; & inuenientur idem exercuisse, quod nos isto primatus iureiurando ascribimus Reginæ.*

Alanus Apolo. *pro seminarijs cap.* 1.

Verba dat nuda Masonus.

Ad quid obsecro ista? Non adducit neque factum, dictum, legem, vel statutum alicuius istorum, quæ vel minimam præfati primatus vsurpati speciem præ se ferat. Nonne ergo validè institutum suum probat? Ex hac ta-

men eius responsione inferre quis potest, quod si modo viueret *Elizabetha*, læsæ maiestatis reus inueniretur *Masonus*, dicens: se aliam potestatem illi per iuramentum primatus non tribuere, quam dicti principes vel exercuerint, vel sibi vendicauerint. Nullus enim illorum Pontificis *Romani* iurisdictionem è suis imperijs exclusit, quam tamen *Masonus* è Reginæ dominijs excludere iureiurando tenetur, vt ex eius tenore constat.

Maiestatis reus Masonus.

Et quod *Constantinus*, & *Theodosius* huiusmodi primatum, qui in præfato iuramento Reginæ tribuitur, sibi non vendicarint, ex proprijs eorum testimonijs superiori capite relatis clarè constat. De *Gratiano* etiam *Masonus* ipse fatetur, ipsum in legibus quæ religionem concernebant condendis, synodorum determinationes sequutum fuisse: ac proindè talem primatum, qualis in iureiurando *Elizabethæ* asseritur, sibi non vendicasse constat. *Carolus* vero *Magnus* tantum abfuit, vt supremam Ecclesiæ iurisdictionem sibi assumeret, vt *Constantini*, ac *Valentiniani* dicta supe-

Capitulariū Caroli Magni l. 6. c. 301.

rius relata in contrarium allegauerit, & approbauerit, dicens: *Constantinus Imperator de accusationibus Episcoporum ait: Hæ quidem accusationes tempus habent proprium, id est diem magni iudicis. Iudicem vero illum, qui tunc futurus est, omnes iudicare. Mihi ergo homini constituto de huiusmodi rebus non licet habere auditorium, Sacerdotum scilicet accusantium & simul accusatorum, quos minime conuenit tales debere monstrari, qui iudicentur ab alijs. Imperator quoque Valentinianus de Episcoporum causis sic ait. Supra nos, inquit, est vestrum negotium, & ideo vos de vestris inter vos agite causis, quia supra nos estis.* Idcirco vel voluntariè stupidus, vel gnauiter peruicax est *Masonus*, dum scribere non erubescat, se aliam Reginæ potestatem, & Iurisdictionem Ecclesiasticam in iuramento primatus non tribuere, quam isti *Christianissimi*, pijssimique Imperatores vel exercuerint, vel sibi vendicauerint. Sed videamus quid amplius afferat.

Cum Pseudosynodus (inquit) *Ephesina, per Dioscori fraudem, hæresim Eutychetis approbâsset, Flauianumque Patriarcham*

Constantinopolitanum deposuisset, Leo Papa, Theodosio Imperatori in hæc verba scripsit: Ecce ego Christianissime, & venerabilis Imperator, cum consacerdotibus meis, obsecramus coram vnius deitatis inseparabili Trinitate, & coram sanctis Angelis Christi, vt omnia in eo statu esse iubeatis, in quo fuerunt ante omne iudicium, donec maior ex toto orbe sacerdotum numerus congregetur. Quæ verba ita exaggerat *Masonus. Quis hanc fecit supplicationem? Sanctus & eruditus Papa Leo. Cui? Imperatori Theodosio. Propter quid? vt omnia in eodem statu manerent. Quæ fuerunt ista? Summa religionis mysteria de naturis & persona Christi. Sed quid est in eodem manere statu? Vt eodem modo de illis mysterijs, quo ante exortam Eutichianam hæresim, omnibus loqui & sentire liceret. Tunc enim veritatem iuxta Apostolorum fidem tenuerunt. Hoc rogat Imperatorem præcipere, non obstante pseudosynodi Ephesinæ determinatione.*

Leo epist. 43.

S. Leo sanctos angelos nostris adesse actionibus agnoscit.

Sed quid inde? Ergo Imperator est supremus in rebus Ecclesiasticis iudex? Quid ineptius effutiri potest? Si *Clemens* Papa septimus *Henrico* Octauo Regi *Angliæ* eisdem verbis scrip-

ſiſſet, rogans vt non obſtante determinatione ſynodi, qua *Maſonus* dicit primatum Eccleſiæ regi delatum fuiſſe, iuberet, vt omnia in eodem ſtatu manerent, quo ante ſynodum illam fuerunt, donec maior numerus Epiſcoporum conueniret, (quod abſque dubio facere non omiſiſſet, ſi minimam ſpem habuiſſet, quod Rex ſibi auſcultaret) quis obſecro ſenſu tantum communi præditus inde inferret, *Clementem* Papam iudicâſſe regem ſupremum illius controuerſiæ eſſe iudicem, atque quid de ea loqui, & ſentire deberent homines, plenam iubendi authoritatem habere? Nouit *S. Leo*, & nullus niſi ſtupidus ignorare poteſt, quantum vel ad propugnandam veritatem, vel ſuſtinendam falſitatem, Principum ſæcularium poteſtas & fauor valeat; ac proindè piè ac prudenter rogauit *Theodoſium Leo*, vt *Dioſcoro* & complicibus ſuis non faueret, ne ea occaſione in præiudicium veritatis error peſtifer creſceret. Quod vero *S. Leo* nullum primatum Eccleſiaſticum in Imperatore agnouerit

gnouerit, clarius est ex ista eadem epistola, quam vt à quoquam qui eam legerit, negari poterit: ac proinde non tam ex ignorantia errare, quam ex peruicacia præuaricari conuincitur *Masonus*. Primum enim rogat *S. Leo* suspensionem decreti Pseudo-Synodi, donec maior Sacerdotum numerus, qui rem iudicaret, conueniret. Non ergo Imperatorem, sed Concilium Sacerdotum illius controuersiæ iudicem existimauit *S. Leo*.

Masonus adduxit testimonium cōtra seipsum.

Deinde *S. Flauianus* impij *Dioscori* fraude ac violentia in illa Synodo depositus, ab iniusta sententia per appellationem refugiens, non Imperatorem, sed Pontificem *Romanum* tanquam supremum causæ suæ iudicem appellauit, appellationemque suam sedis Apostolicæ legatis tradidit, vt *S. Leo* in hac eadem epistola refert. Quo vnico facto, sciente illud, & non contradicente, immo approbante Imperatore, & Primatus sæcularium Principum in rebus Ecclesiasticis destruitur, & sedis Apostolicæ Primatus, (etiamsi disrumpantur inuidia Nouatores) efficaciter astruitur.

Denique ipſemet *Theodoſius* tantum abfuit vt huiuſmodi primatum ſibi vendicaret, vel debitum ſibi iudicaret, vt contrarium expreſsè proteſtaretur his verbis. *Nefas eſt qui ſanctiſſimorum Epiſcoporum catalogo aſcriptus non eſt, illum Eccleſiaſticis negotijs & conſtitutionibus ſeſe immiſcere.*

Epiſt. ad ſyno. Epheſi.

Atque hîc obiter illud *Maſonum* ſeriò ponderare velim, quod ipſemet ex verbis *Sancti Leonis* contra ſe, ſectamque ſuam bene obſeruat; nimirum, quod quemadmodum ante exortam hæreſim *Eutichianam*, omnes vtriuſque naturæ, diuinæ ſcilicet ac humanæ veritatem in *Chriſto* crediderunt, ita etiam ante exortam hæreſim *Lutheranam*, omnes eandem *Catholicam* veritatem in ſingulis articulis, de quibus nunc inter nos controuertitur, tenuerunt & ſectati ſunt. Ac proinde quemadmodum *Eutiches* ad illam fidem, quæ ante eius hæreſim excitatam in Eccleſia viguit, reuocandus fuit; ita & Lutherani, & tota eius infœlix progenies, ad illam fidem, quam orbis *Chriſtianus* ante eius diſſeminatam hæreſim, coluit, reduci reuocarique debent. Sed iſta obiter.

Seipſum iterum reprehēdit.

Pergit vero *Masonus*, & ex alia *Sancti Leonis* epistola Reginæ primatum astruere contendit.

Secundum Concilium Ephesinum, quod Concilium vocari non potest (*dicit S. Leo*) *quod in euersionem fidei constat fuisse agitatum, quodque vestra clementia amore veritatis Catholicis affutura, aliud statuendo cassabis gloriosissime Imperator. Vnde per ipsum Iesum Christum, qui regni vestri est Author, & Rector, obtestor & obsecro clementiam vestram, vt in præsenti synodo* (*Chalcedonensi*) *fidem quam beati patres nostri, ab Apostolis sibi traditam prædicarunt, non patiamini quasi dubiam retractari, & quæ olim maiorum sunt authoritate damnata, rediuiuis non permittatis conatibus excitari, illudque potius iubeatis, vt antiquæ Nycenæ synodi constituta, remota hæreticorum interpretatione permaneant. Hic Papa, Concilia quæ conformia sunt sacris Scripturis, rata habendi, & stabiliendi potestatem Imperatori ascribit, ea vero quæ contraria sunt prohibendi, ac inualidandi, immo potestatem prohibendi Concilia generalia, ne veritatem in quæstionem vocent, Imperatorem habere agnoscit. Quod & Marcianus Imperator præstitit. Propria enim persona Concilium ingressus prohibuit,*

Epist. 45.

Vana collectio.

ne aliquid de Natiuitate Christi tractare-tur, aliter quam in Concilio Nyceno habe-tur.

Epist. 59.

Rursus finito Concilio Chalcedonensi, Leo Papa his verbis iterum ad Imperatorem scri-psit. Quia omnibus modis obediendum est pietati vestræ, religiosissimæque volunta-ti, constitutionibus synodalibus, quæ mihi de confirmatione fidei Catholicæ, & hæretico-rum damnatione placuerunt, libens adieci sententiam. Imperator requisiuit (inquit Ma-sonus) vt Papa subscriberet, & ipse illud prom-ptè præstitit, professus, quod ad eum specta-ret principis voluntati in ijs casibus obedire. Dicant mihi iam vtrum Imperatorem omnium personarum, etiam in causis Ecclesiasticis su-premum gubernatorem non agnouerit Papa, atque etiam Imperator illum primatum non exercuerit.

Neutrum quidem, neque leui con-iectum ex verbis *sancti Leonis* colligi potest, nedum efficaciter probari. Prio-ri enim loco paternè benignéque Impe-ratorem tantùm hortatur decreta fidei sanctorum patrum defendere, quod vt princeps *Catholicus* præstare tenebatur, atque etiã reipsa præstitit, non vt habens

plenam ac supremam in illis rebus potestatem, sed *S. Leonis* præscriptum præcisè sequutus, prohibens *ne quicquam de Natiuitate Domini & Saluatoris nostri disputaretur, præterquam quod sanctorum patrum Concilij Nyceni consonum esset doctrinæ, sicut Sanctissimi Leonis Papæ, qui Apostolicum gubernat thronum ad sanctæ memoriæ Flauianũ testantur literæ.* Quæ postrema verba *Masonus* iuxta morem sectariorum omnium fraudulenter tacuit, ne illius Lector inde clarè perspiceret, quanto honore & reuerentia Romanum Pontificem Imperator prosequeretur, dum doctrinam eius, tanquã regulã à concilio sequendã proponeret.

Concil. Chalced. apud Bin. to. 2. p. 4.

Secunda verò allegatio minus probat. Verba enim illa, *quia omnibus modis obediendum est pietati vestræ, & religiosissimæ voluntati* (in quibus consistit tota vis illationis *Masoni*) obligationem vel debitum, quo Papa Imperatori tanquam superiori in illo negotio obedire deberet non significant, sed promptam voluntatem faciendi, quod rationabiliter, ac religiosè ei ab Imperatore fuit propositum. Quod clarissimum est tum ex eadem epistola, in qua scribit, *Malum, quod in suis ducibus oppressum iam fuit* (*ex definitione sci-*

licet Concilij) in quibuſcunque etiam reliquijs deleretur, ſi per vniuerſas Eccleſias, definitiones ſanctæ ſynodi Chalcedonenſis Apoſtolicæ ſedi placuiſſe Imperatoris curâ docerentur. Et in fine eiuſdem Epiſtolæ ita ait: *Fratri meo Iuliano Epiſcopo, nouerit veſtra clementia, hoc me propriè delegâſſe, vt quicquid illic ad cuſtodiam fidei pertinere probauerit, meo nomine veſtræ fiducialiter ſuggerat pietati, quoniam certus ſum vos ad hæc omnia emendanda vel defendenda Deo auxiliante ſufficere.* His clarè conſtat & Imperatorem, & vniuerſas etiam Eccleſias à Pontifice *Romano*, & Sedem Apoſtolicam in eis quæ ad fidem ſpectant, erudiri ac informari ſolitas, non vero econtrà.

Epiſt. 60.

Sũmus Pontifex Cõcilium generale confirmat.

Et in epiſtola proximè ſequenti, quæ eſt ad *Pulcheriam Auguſtam* de hac eadem re ita ſcribit *Sanctus Leo. Quod pijſſimus Imperator ad omnes Epiſcopos, qui Chalcedonenſi Concilio interfuerunt, voluit me ſcripta dirigere, quibus, quæ illic ſunt de regula fidei definita firmarem, libenter impleui, ne fallax cuiuſquam ſimulatio, ſententiam meam vellet haberi incertã, &c.* Hinc apparet Imperatorẽ non poſtulâſſe *S. Leonis* ſubſcriptionem tanquam vnius ex cœteris Epiſcopis, ſed vt quæ cœteri iam definierant, ipſo

confirmaret. Neque imperauit vt hoc faceret, sed consuluit tanquam necessarium, vt omnes scirent eius sententiam de eis, quæ in Concilio definita fuerant: quandoquidem Patriarcha *Constantinopolitanus* fraudulenter eam in dubium vocare satagebat, vt *S. Leo* expressè declarat. Vnde manifestè patet, quanti ponderis fuerit tunc temporis in controuersijs fidei decidendis *Romani* Pontificis iudicium.

Si vero ista non sufficiant *Masono* persuadere, *S. Leonem* primatum in rebus Ecclesiasticis Imperatori non attribuisse inter cœteras epistolas in causa *Eutychetis* scriptas, videat Epistolam eius septimam, ad *Theodosium* Imperatorem; & octauam, ad *Flauianum*, quæ illum docebunt *S. Leonem* (vtpote sedis Apostolicæ atque *Romanæ* Episcopum) supremum in rebus fidei iudicem, & cognitorem se existimare: ac proinde de causa *Eutychetis* tunc nuper exorta, certiorem se fieri requirit *vt qui praua* (inquit) *defendunt, ab errore reuocentur, & quorum fides probata fuerit, sua authoritate muniantur.*

De S. Leonis doctrina in hac materia, videat qui lubet Spalatēsē sedis Apostolicæ iurasū hostem lib. 4. ca. 10. n. 30. de repub. Christiana.

Quod vero *Marcianus* Imperator principatum in rebus Ecclesiasticis sibi non

Capitulariũ Caroli Magni l. 6. c. 301.

rius relata in contrarium allegauerit, & approbauerit, dicens: *Constantinus Imperator de accusationibus Episcoporum ait: Hæ quidem accusationes tempus habent proprium, id est diem magni iudicis. Iudicem vero illum, qui tunc futurus est, omnes iudicare. Mihi ergo homini constituto de huiusmodi rebus non licet habere auditorium, Sacerdotum scilicet accusantium & simul accusatorum, quos minime conuenit tales debere monstrari, qui iudicentur ab alijs. Imperator quoque Valentinianus de Episcoporum causis sic ait. Supra nos, inquit, est vestrum negotium, & ideo vos de vestris inter vos agite causis, quia supra nos estis.* Idcirco vel voluntariè stupidus, vel gnauiter peruicax est *Masonus*, dum scribere non erubescat, se aliam Reginæ potestatem, & Iurisdictionem Ecclesiasticam in iuramento primatus non tribuere, quam isti *Christianissimi*, pijssimique Imperatores vel exercuerint, vel sibi vendicauerint. Sed videamus quid amplius afferat.

Cum Pseudosynodus (inquit) *Ephesina, per Dioscori fraudem, hæresim Eutychetis approbâsset, Flauianumque Patriarcham*

Constantinopolitanum deposuisset, Leo Papa, Theodosio Imperatori in hæc verba scripsit: Ecce ego Christianissime, & venerabilis Imperator, cum consacerdotibus meis, obsecramus coram vnius deitatis inseparabili Trinitate, & coram sanctis Angelis Christi, vt omnia in eo statu esse iubeatis, in quo fuerunt ante omne iudicium, donec maior ex toto orbe sacerdotum numerus congregetur. Quæ verba ita exaggerat *Masonus. Quis hanc fecit supplicationem? Sanctus & eruditus Papa Leo. Cui? Imperatori Theodosio. Propter quid? vt omnia in eodem statu manerent. Quæ fuerunt ista? Summa religionis mysteria de naturis & persona Christi. Sed quid est in eodem manere statu? Vt eodem modo de illis mysteriis, quo ante exortam Eutichianam hæresim, omnibus loqui & sentire liceret. Tunc enim veritatem iuxta Apostolorum fidem tenuerunt. Hoc rogat Imperatorem præcipere, non obstante pseudosynodi Ephesinæ determinatione.*

Leo epist. 43.

S. Leo sanctos angelos nostris adesse actionibus agnoscit.

Sed quid inde? Ergo Imperator est supremus in rebus Ecclesiasticis iudex? Quid ineptius effutiri potest? Si *Clemens* Papa septimus *Henrico* Octauo Regi *Angliæ* eisdem verbis scrip-

ſiſſet, rogans vt non obſtante determinatione ſynodi, qua *Maſonus* dicit primatum Eccleſiæ regi delatum fuiſſe, iuberet, vt omnia in eodem ſtatu manerent, quo ante ſynodum illam fuerunt, donec maior numerus Epiſcoporum conueniret, (quod abſque dubio facere non omiſiſſet, ſi minimam ſpem habuiſſet, quod Rex ſibi auſcultaret) quis obſecro ſenſu tantum communi præditus inde inferret, *Clementem* Papam iudicâſſe regem ſupremum illius controuerſiæ eſſe iudicem, atque quid de ea loqui, & ſentire deberent homines, plenam iubendi authoritatem habere? Nouit *S. Leo*, & nullus niſi ſtupidus ignorare poteſt, quantum vel ad propugnandam veritatem, vel ſuſtinendam falſitatem, Principum ſæcularium poteſtas & fauor valeat; ac proindè piè ac prudenter rogauit *Theodoſium Leo*, vt *Dioſcoro* & complicibus ſuis non faueret, ne ea occaſione in præiudicium veritatis error peſtifer creſceret. Quod vero *S. Leo* nullum primatum Eccleſiaſticum in Imperatore agnouerit

gnouerit, clarius est ex ista eadem epistola, quam vt à quoquam qui eam legerit, negari poterit: ac proinde non tam ex ignorantia errare, quam ex peruicacia præuaricari conuincitur *Masonus*. Primum enim rogat *S. Leo* suspensionem decreti Pseudo-Synodi, donec maior Sacerdotum numerus, qui rem iudicaret, conueniret. Non ergo Imperatorem, sed Concilium Sacerdotum illius controuersiæ iudicem existimauit *S. Leo*.

Masonus adduxit testimonium cõtra seipsum.

Deinde *S. Flauianus* impij *Dioscori* fraude ac violentia in illa Synodo depositus, ab iniusta sententia per appellationem refugiens, non Imperatorem, sed Pontificem *Romanum* tanquam supremum causæ suæ iudicem appellauit, appellationemque suam sedis Apostolicæ legatis tradidit, vt *S. Leo* in hac eadem epistola refert. Quo vnico facto, sciente illud, & non contradicente, immo approbante Imperatore, & Primatus sæcularium Principum in rebus Ecclesiasticis destruitur, & sedis Apostolicæ Primatus, (etiamsi disrumpantur inuidia Nouatores) efficaciter astruitur.

Denique ipſemet *Theodoſius* tantum abfuit vt huiuſmodi primatum ſibi vendicaret, vel debitum ſibi iudicaret, vt contrarium expreſsè proteſtaretur his verbis. *Nefas eſt qui ſanctiſsimorum Epiſcoporum catalogo aſcriptus non eſt, illum Eccleſiaſticis negotijs & conſtitutionibus ſeſe immiſcere.*

Epiſt. ad ſyno. Epheſi.

Atque hîc obiter illud *Maſonum* ſeriò ponderare velim, quod ipſemet ex verbis *Sancti Leonis* contra ſe, ſectamque ſuam bene obſeruat; nimirum, quod quemadmodum ante exortam hæreſim *Eutichianam*, omnes vtriuſque naturæ, diuinæ ſcilicet ac humanæ veritatem in *Christo* crediderunt, ita etiam ante exortam hæreſim *Lutheranam*, omnes eandem *Catholicam* veritatem in ſingulis articulis, de quibus nunc inter nos controuertitur, tenuerunt & ſectati ſunt. Ac proinde quemadmodum *Eutiches* ad illam fidem, quæ ante eius hæreſim excitatam in Eccleſia viguit, reuocandus fuit; ita & Lutherani, & tota eius infœlix progenies, ad illam fidem, quam orbis *Chriſtianus* ante eius diſſeminatam hæreſim, coluit, reduci reuocarique debent. Sed iſta obiter.

Seipſum iterum reprehẽdit.

Pergit vero *Masonus*, & ex alia *Sancti Leonis* epistola Reginæ primatum astruere contendit.

Secundum Concilium Ephesinum, quod Concilium vocari non potest (*dicit S. Leo*) *quod in euersionem fidei constat fuisse agitatum, quodque vestra clementia amore veritatis Catholicis affutura, aliud statuendo cassabis gloriosissime Imperator. Vnde per ipsum Iesum Christum, qui regni vestri est Author, & Rector, obtestor & obsecro clementiam vestram, vt in præsenti synodo* (*Chalcedonensi*) *fidem quam beati patres nostri, ab Apostolis sibi traditam prædicarunt, non patiamini quasi dubiam retractari, & quæ olim maiorum sunt authoritate damnata, rediuiuis non permittatis conatibus excitari, illudque potius iubeatis, vt antiquæ Nycenæ synodi constituta, remota hæreticorum interpretatione permaneant. Hic Papa, Concilia quæ conformia sunt sacris Scripturis, rata habendi, & stabiliendi potestatem Imperatori ascribit, ea vero quæ contraria sunt prohibendi, ac inualidandi, immo potestatem prohibendi Concilia generalia, ne veritatem in quæstionem vocent, Imperatorem habere agnoscit. Quod & Marcianus Imperator præstitit. Propria enim persona Concilium ingressus prohibuit,*

Epist. 45.

Vana collectio.

ne aliquid de Natiuitate Christi tractaretur, aliter quam in Concilio Nyceno habetur.

Epist. 59.

Rursus finito Concilio Chalcedonensi, Leo Papa his verbis iterum ad Imperatorem scripsit. Quia omnibus modis obediendum est pietati vestræ, religiosissimæque voluntati, constitutionibus synodalibus, quæ mihi de confirmatione fidei Catholicæ, & hæreticorum damnatione placuerunt, libens adieci sententiam. Imperator requisiuit (inquit Masonus) vt Papa subscriberet, & ipse illud promptè præstitit, professus, quod ad eum spectaret principis voluntati in ijs casibus obedire. Dicant mihi iam vtrum Imperatorem omnium personarum, etiam in causis Ecclesiasticis supremum gubernatorem non agnouerit Papa, atque etiam Imperator illum primatum non exercuerit.

Neutrum quidem, neque leui coniectum ex verbis *sancti Leonis* colligi potest, nedum efficaciter probari. Priori enim loco paternè benignéque Imperatorem tantùm hortatur decreta fidei sanctorum patrum defendere, quod vt princeps *Catholicus* præstare tenebatur, atque etiã reipsa præstitit, non vt habens

plenam ac supremam in illis rebus potestatem, sed *S. Leonis* præscriptum præcisè sequutus, prohibens *ne quicquam de Natiuitate Domini & Saluatoris nostri disputaretur, præterquam quod sanctorum patrum Concilij Nyceni consonum esset doctrinæ, sicut Sanctissimi Leonis Papæ, qui Apostolicum gubernat thronum ad sanctæ memoriæ Flauianũ testantur literæ.* Quæ postrema verba *Masonus* iuxta morem sectariorum omnium fraudulenter tacuit, ne illius Lector inde clarè perspiceret, quanto honore & reuerentia Romanum Pontificem Imperator prosequeretur, dum doctrinam eius, tanquã regulã à concilio sequendã proponeret.

Concil. Chalced. apud Bin. to. 2. p. 4.

Secunda verò allegatio minus probat. Verba enim illa, *quia omnibus modis obediendum est pietati vestræ, & religiosissimæ voluntati* (in quibus consistit tota vis illationis *Masoni*) obligationem vel debitum, quo Papa Imperatori tanquam superiori in illo negotio obedire deberet non significant, sed promptam voluntatem faciendi, quod rationabiliter, ac religiosè ei ab Imperatore fuit propositum. Quod clarissimum est tum ex eadem epistola, in qua scribit, *Malum, quod in suis ducibus oppressum iam fuit* (*ex definitione sci-*

licet Concilij) in quibuscunque etiam reliquijs deleretur, si per vniuersas Ecclesias, definitiones sanctæ synodi Chalcedonensis Apostolicæ sedi placuisse Imperatoris curâ docerentur. Et in fine eiusdem Epistolæ ita ait: *Fratri meo Iuliano Episcopo, nouerit vestra clementia, hoc me propriè delegâsse, vt quicquid illic ad custodiam fidei pertinere probauerit, meo nomine vestræ fiducialiter suggerat pietati, quoniam certus sum vos ad hæc omnia emendanda vel defendenda Deo auxiliante sufficere.* His clarè constat & Imperatorem, & vniuersas etiam Ecclesias à Pontifice *Romano*, & Sedem Apostolicam in eis quæ ad fidem spectant, erudiri ac informari solitas, non vero econtrà.

Epist. 60.

Et in epistola proximè sequenti, quæ est ad *Pulcheriam Augustam* de hac eadem re ita scribit *Sanctus Leo. Quod pijssimus Imperator ad omnes Episcopos, qui Chalcedonensi Concilio interfuerunt, voluit me scripta dirigere, quibus, quæ illic sunt de regula fidei definita firmarem, libenter impleui, ne fallax cuiusquam simulatio, sententiam meam vellet haberi incertā, &c.* Hinc apparet Imperatorē non postulâsse *S. Leonis* subscriptionem tanquam vnius ex cœteris Episcopis, sed vt quæ cœteri iam definierant, ipso

Sūmus Pontifex Cōcilium generale confirmat.

confirmaret. Neque imperauit vt hoc faceret, sed consuluit tanquam necessarium, vt omnes scirent eius sententiam de eis, quæ in Concilio definita fuerant: quandoquidem Patriarcha *Constantinopolitanus* fraudulenter eam in dubium vocare satagebat, vt *S. Leo* expresse declarat. Vnde manifestè patet, quanti ponderis fuerit tunc temporis in controuersijs fidei decidendis *Romani* Pontificis iudicium.

Si vero ista non sufficiant *Masono* persuadere, *S. Leonem* primatum in rebus Ecclesiasticis Imperatori non attribuisse inter cœteras epistolas in causa *Eutychetis* scriptas, videat Epistolam eius septimam, ad *Theodosium* Imperatorem; & octauam, ad *Flauianum*, quæ illum docebunt *S. Leonem* (vtpote sedis Apostolicæ atque *Romanæ* Episcopum) supremum in rebus fidei iudicem, & cognitorem se existimare: ac proinde de causa *Eutychetis* tunc nuper exorta, certiorem se fieri requirit *vt qui praua* (inquit) *defendunt, ab errore reuocentur, & quorum fides probata fuerit, sua authoritate muniantur*.

De S. Leonis doctrina in hac materia, videat qui lubet Spalatẽsẽ sedis Apostolicæ iurasũ hostem lib. 4. ca. 10. n. 30. de repub. Christiana.

Quod vero *Marcianus* Imperator principatum in rebus Ecclesiasticis sibi non

vendicârit, (vt *Masonus* vanè colligit) luce clarius constat ex epistola sua, quam cum *Valentiniano* ad *S. Leonem* dedit, vbi ista habet. *Tuam sanctitatem principatum in Episcopatu diuinæ fidei possidentem, sacris literis in principio iustum credimus alloquendum.* Et iterum. *Quatenus omni impio errore sublato, per celebrandam synodum te authore, maxima pax, circa omnes Episcopos fidei Catholicæ fiat.* Procedit in suis probationibus *Masonus* dicens,

Apud Bin. to. 2. in præambulo ad Concil. Chalcedon.

Sicut *Marcianus* Imperator hunc exercuit primatum in rebus Ecclesiasticis, ita etiam *Basilius* eundem sibi vendicauit, cum in Concilio *Constantinopolitano* diceret, *Diuina clementique Dei prouidentia totius Ecclesiasticæ nauis gubernacula nobis committente omnem dedimus operam &c.* Hinc enim (inquit *Masonus*) manifestum est, Imperatorem vniuersæ nauis tam Ecclesiasticæ, quam ciuilis gubernationem sibi vendicâsse, idque in Concilio generali nemine reclamante. Nihil vero hoc differt *à supremo Ecclesiæ gubernatore*, vt in Ecclesia *Anglicana* loquimur.

Summa hominũ peruica-

Nescio vtrum risum magis, an indignationẽ tenebriones isti mereantur, qui cum nihil quicquam credere pro-

fiteantur, quod ex ſacris Scripturis non probetur, ad obſcura incertaque humana teſtimonia in re ſummi momenti, cum meliora non habeant, recurrere non erubeſcunt: *Obſcura* dixi *&* *incerta teſtimonia*. Nam teſtimonium iſtud varias habet lectiones, vt ipſemet fatetur. Dicit enim *Surium* iſta verba legere ſine particula, *Eccleſiaſticæ*. *Binnium* vero pro (*nobis*) legere (*vobis*) ſcilicet Epiſcopis, quarum vtraque lectio illius argumentum penitus eneruat. Vt ergo argumentum aliquod inde deducat, tertiam adhuc lectionem afferre non veretur, neque vllum tamen affert authorē, qui illa verba ita legit. Quis igitur tale argumentum merito non irrideret? Sed demus miſello quod à nobis aduerſariis ſuis emendicare cogitur, & videamus ſi *Baſilius* Imperator ei faueat, vel potius inſulſam eius hæreſim penitus non euertat. Si tamen eius authoritas aliquid cum eo valeat. Omnia eius dicta, quæ ad præſens inſtitutum appoſitè faciunt, non referam, hoc enim nimis eſſet prolixum, paucis tantum illius ſententijs, in oratione ſua poſt finitum Concilium habita prolatis, contentus ero.

Non est (inquit) *datum laicis secundum Canonem, dicendi quicquam penitus de Ecclesiasticis causis, opus enim hoc Pontificum, & Sacerdotum est.* Et paulo post.

Basil. Imper. in Conc. 8. apud Bin. to. 3 p. 861.

De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui absolutè conuersamini, quid amplius dicam non habeo, quam quod nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem mouere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ, & vniuersali Synodo aduersari. Hæc enim inuestigare & quærere Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui soluendi, & ligandi potestatem habent, qui Ecclesiasticas & cœlestes adepti sunt claues: non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamento solui egemus. Quantæcunque enim religionis & sapientiæ laicus existat, vel etiam si vniuersa virtute interius polleat, donec laicus est, ouis vocari non desinet. Rursus Episcopus quantacunque sit irreuerentia plenus, & nudus omni virtute, donec antistes est, & veritatis verbum rectè prædicauerit, Pastoris vocationis, & dignitatis damna non patietur. Quæ ergo nobis ratio est, in ordine ouium constitutis? Pastores verborum subtilitatem discutiendi, & ea quæ super nos

Egregiũ Imperatoris dictũ atq; omnino verum.

sunt quærendi & ambiendi habent potestatem. Oportet nos ergo cum timore, & fide sincera hos audire, & facies eorum vereri (cum sint ministri Domini omnipotentis, & huius formam possideant) & nihil amplius, quam ea quæ nostri ordinis sunt, requirere. Hactenus *Basilius* Imperator.

Iam *Masoni* ipsius iudicium appellare audeo, vtrum ille principatum in rebus Ecclesiasticis sibi vendicauerit necne. Sed videamus reliqua eius argumenta.

Sicut Basilius supremam hanc Ecclesiæ administrationem nemine refragante sibi arrogauit, ita eandem nonnullæ Synodi Principibus eam recusantibus attribuerunt. Celebratum fuit Moguntiæ in Germania Concilium anno 814. *Carolo Magno Imperatore, & Leone tertio Pontifice Romano, quod ita incipit: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; Gloriosissimo & Christianissimo Imperatori Carolo Augusto veræ Religionis rectori, & Sanctæ Dei Ecclesiæ defensori. Et paulo inferius: Gratias agimus Deo Patri Omnipotenti, quia Sancta Ecclesiæ tam pium ac deuotum concessit habere rectorem. Atque iterum: De his omnibus valde indigemus vestro adiutorio atque sana doctrina, quæ & nos instru-*

Concil. Mogũt. *apud Bin.* 10.3 *p.* 462.

moneat, atque clementer erudiat, quatenus ea quæ paucis subter perstrinximus capitulis, à vestra authoritate firmentur: si tamen vestra pietas ita dignum esse iudicauerit, & quicquid in eis emendatione dignum reperitur, vestra magnifica Imperialis dignitas iubeat emẽdare, vt ita emendata nobis omnibus & cunctæ Christianæ plebi, ac posteris nostris proficiant ad vitam & salutem.

Anno etiam 847. *aliud celebratum fuit in eadem ciuitate Concilium sub Leone Quarto Pontifice Romano, & Lothario Imperatore, quẽ Episcopi similiter appellant strenuissimum veræ religionis Rectorem, & sanctæ Ecclesiæ defensorem.* De Rege etiam Recesuintho Concilium E*meritanum* in Lusitania circa annum 705. celebratum ita loquitur. *Cuius vigilantia & sæcularia regit cum pietate summa, & Ecclesiastica plenius diuinitus sibi concessa sapientia.* Quibus tam Ecclesiasticarum quam sæcularium rerum Rectorem illius Concilij patres eum agnoscũt. Istã Synodum multum roboris recepisse ex Epistola Innocentij 3. ad Petrũ Archiepiscopum Compostellæ testatur. *Garsias*. Atq; ita videmus celeberrimos Episcopos in Synodis congregatos eosdẽ principibus tribuisse titulos, qui Angliæ Re-

Garsias in notis in idem [c]*onciliũ*

gibus nunc tribuuntur. Sic *Masonus*.

Quibus respondemus plusquam falsũ esse, vllam vnquam Synodum, vel etiam singularem aliquem Episcopum *Catholicum* vel hęreticum, ante Regnum *Henrici* Octaui Regis Angliæ principibus sæcularibus tribuisse *ius, & titulum supremi capitis seu gubernatoris Ecclesiæ, tam in Ecclesiasticis & spiritualibus quam temporalibus,* quod faciunt hodie *Protestantes Angli*, neq; authoritates allatæ quicquam huiusmodi sonant.

Taceo primũ, quod istæ Synodi neq; generales fuerint, neq; inter quintã, vel sextam post *Christum* ætatem, quas cõditiones cum *Protestantes* in nostris probationibus requirant, neque iniustum, neq; irrationabile erit nos easdẽ ab eis exigere: deinde aliũ titulũ Imperat. nõ tribuunt, quã *Rectoris Religionis*, qui hominib. multo inferioris cõditionis, cũ debita proportione tribui etiã potest nimirũ Aedituis, Officialib. & similib. qui in suo gradu rectores religionis (quia scilicet quædam ad religionem spectantia administrant) dici possunt. Principes quidem sæculares rectores religionis sunt in supremo gradu, quo laici esse queunt: quia pro de-

Qualem auctoritatem in rebus Ecclesiast. habẽt principes.

fensione veræ Religionis, (quam tamen à Pastoribus Ecclesiæ discere tenentur) leges condere, eiusque executioni mandare possunt, immo & tenentur. Cæterum quod potestatem habeant iudicandi, aut definiendi res Ecclesiasticas, & ad religionem pertinentes, tanquam proprij illarum rerum iudices & cognitores, nouum est paradoxũ, in *Christiano* orbe ante *Henricum* nostrum Octauum, inauditum.

Et hoc ex testimoniis sacræ Scripturæ, sanctorum Patrum, Imperatorum, & nominatim *Caroli Magni* supra allatis manifestè conuincitur. Quæ quia irrefragabilia sunt, vt ex testimonio Serenissimi Regis nostri *Iacobi* satis constat, *Masonus* scienter errans dissimulat. Immo hoc idem à Synodis istis *Moguntinis* à *Masono* allegatis, non in præfatione ad Imperatorem, vbi formalis ac præcisus modus loquendi non semper strictè obseruatur; sed in ipsismet canonibus & constitutionibus, ex quibus verus cuiusque Concilij sensus desumendus est. Prima enim *Moguntina* Synodus à *Masono* citata hunc edidit Canonem, *Vt Episcopi potestatem habeant res Ecclesiasticas prouidere, re-*

Regis Iacobi contra Masonũ testimonium.

gere, gubernare, atque diſpenſare ſecundum Canonum authoritatem, volumus, & vt laici in eorum miniſterio obediant Epiſcopis ad regendas Eccleſias Dei, viduas & orphanos defenſandos, & vt obedientes ſint eis ad eorum Chriſtianitatem ſeruandam. Et iſte Canon repetitur ad verbum in ſecunda *Moguntina* Synodo, ſed ibi ſeptimum habet locum. Iudicet iam *Maſonus* vtrum iſtarum Synodorum Patres Imperatorem ſupremum Eccleſiæ caput & gubernatorem etiam in ſpiritualibus eſſe crediderint.

De poteſtate Epiſcoporum pro rebus Eccleſiaſticis ac de cõuenientia Epiſcoporum cũ laicis. Cap. 8.

Quod vero illos duos Imperatores veræ religionis rectores dixerint, id ob ſingularem eorum pietatem, ac Religionis *Catholicæ* conſeruandæ zelum, & induſtriam factum eſt, non quia poteſtatem vllam in iudiciis Eccleſiaſticis illos habere voluerint, vt patet ex eiuſdem præfationis verbis, quibus ita ſcribunt: *Congruum nobis videbatur, vt Sacerdotes Eccleſiæ Dei iure legitimo, & inconuulſo honorentur, de quibus Dominus ait. Qui vos audit, me audit, &c. Et Apoſtolus. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis, &c. Nam de reuerentia Eccleſiarum dicit Dominus. Domus mea domus orationis vocabitur*

Dispositio obseruata in Concilio allegato.

cunctis gentibus. Idem etiam colligitur ex eo quod in illa Synodo tres turmas, (vt ipsi loquuntur) constituerint: in quarum prima congregati erant Episcopi, in secunda Monachi, in tertia vero Comites, & cœteri laici; qui illi quidem Synodo interfuerunt, non vt de rebus Ecclesiasticis deliberarent, sed vt de rebus ciuilibus, quæ ibi quoque tractabantur, (vt ex 6. & 7. canone apparet) consultarent. Atque propter hãc rationem, Imperatoris approbationem vel emendationem eorum quæ statuerant, postulârunt.

Quare laici aderant in Concilio.

Quod ex Concilio *Emeritano* affert, ad suum institutum nihil facit. Quod enim Reges in suo ordine, & gradu res Ecclesiasticas regant, nimirum leges condendo pro Ecclesia, iuxta tenorem Canonum, & iudicium Episcoporum, nullus est qui negat; immo hoc præcipuũ eorum est officium, propter quod gladij potestate à Deo donantur. Et quia *Masonus* obseruat istud concilium multũ roboris ex Epistola Innocentij tertij recepisse (vt videat omnia sua argumenta similia esse morsui scorpionis, qui tametsi maximè venenosus, nunquã tamen est lethalis,

Similitudo nõ incongrua.

lethali, ipse serpens super partem læsam comprimatur) referam hic initium illius Epistolæ, ex qua doctrina *Masoni*, qua primatum in rebus Ecclesiasticis principibus sæcularibus tribuit vanitas clarè apparebit. Sic igitur doctissimus ille Pontifex scribit.

Licet vnum sit corpus Ecclesiæ, in quo Christus est caput, & vniuersi fideles sunt membra, ille tamen qui à Christo Petra dictus est Petrus, & à Christo capite vocatus est caput, ipso testante qui ait: Tu vocaberis Cephas: quod secundum vnam interpretationem exponitur caput: quia sicut plenitudo sensuum abundat in capite, ad cætera vero membra pars aliqua plenitudinis deriuatur, ita cæteri vocati sunt in partem solicitudinis: solus autem Petrus assumptus est in plenitudinem potestatis, ad quem velut ad caput maiores Ecclesiæ causæ non tam constitutione Canonica, quàm institutione diuina merito referuntur.

Innocentius Epistola ad Petrum Archiep. Compostellæ.

Iudicet iam *Masonus*, vel quiuis alius, etiam minus ęquus, quãtum vim ac robur hæc epistola *Protestantium Anglorum* doctrinæ de principatu Regum in rebus Ecclesiasticis confert. Subdit vero *Masonus*.

Addere hîc possumus aliorum Patrum iudicium. *Tertullianus* ait: *Colimus Impera-*

Tertull. ad Scapulam.

verba (omnis anima) omnes personas tam Ecclesiasticas quam sæculares comprehendunt, immo etiamsi Euangelistæ, Prophetæ, & Apostoli essent, vt S. Chrysostomus verè interpretatur. Idcirco cum omnis anima sublimioribus potestatibus subiecta sit, princeps (sæcularis) omnibus superior erit, & consequenter supremus in suis dominiis.

Contra seipsum arguit Masonus.

Mirum est, quod iste semper cõtra seipsum argumentetur: siue id fiat ex iudicij defectu, siue ex causæ quã defendit prauitate, quæ meliora argumenta non subministrat, aliorum esto iudicium. Allegat, atque id quidem meritò, Apostoli mandatum, vt omnes subditi sint potestatibus sublimioribus. Vnde infert, Principes in suis dominijs supremos esse, & intelligit in rebus Ecclesiasticis & spiritualibus. Cum tamen ex his ipsis Apostoli verbis, euidenter (ni me mea fallit opinio) concluditur contrarium hoc modo.

Principes, quibus Apostolus omnes esse subditos præcipit, idem ius, eandémque imperandi authoritatem in subditos suos *Christianos* habuerunt, quam modò Principes *Christiani*, in quantum Principes sæculares, habent in suos. Non enim habent Principes *Christiani* aliud ius impe-

randi in quantum Principes sunt, quam quod habuerunt Principes Pagani: Sed Principes Pagani (de quibus loquutus est Apostolus) nullam penitus habuerunt authoritatem imperandi subditis suis *Christianis* in rebus fidei & religionis, vt per se constat. Nam neque Principes *Christiani*, qui habent subditos *Iudæos* vel *Paganos* illis possunt imperare in rebus ad religionem suam spectantibus. Ergo neque Principes *Christiani*, in quantum Principes sunt, talem potestatem & imperium in subditos suos habent. Videat iam *Masonus*, si dum probare nititur institutum suum per Apostoli authoritatem, illud penitus non euerterit.

Argumentum efficax contra Masonum.

Atque hactenus primatum principum sæcularium in spiritualibus probare laborauit; quam malè autem ac infœliciter (quandoquidem omnia eius argumenta non solum soluta, sed etiam contra eum retorta sunt) iudicent alij. Postea quibusdam obiectionibus, quas sibimet proponit, satisfacere præ se fert. In quo causæ, quam defensam cupit, imbecillitatem & iniquitatem multo magis ostendit. Primùm enim fortissima quæque argumenta, quæ pro veritate *Catholica* in hac parte af-

Masonus causæ suæ imbecillitatem prodit.

Non est (inquit) *datum laicis secundum Canonem, dicendi quicquam penitus de Ecclesiasticis causis, opus enim hoc Pontificum, & Sacerdotum est.* Et paulo post.

Basil. Imper. in Conc. 8. apud Bin. to. 3 p. 861.

De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui absolutè conuersamini, quid amplius dicam non habeo, quam quod nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem mouere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ, & vniuersali Synodo aduersari. Hæc enim inuestigare & quærere Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui soluendi, & ligandi potestatem habent, qui Ecclesiasticas & cœlestes adepti sunt claues: non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamento solui egemus. Quantæcunque enim religionis & sapientiæ laicus existat, vel etiam si vniuersa virtute interius polleat, donec laicus est, ouis vocari non desinet. Rursus Episcopus quantacunque sit irreuerentia plenus, & nudus omni virtute, donec antistes est, & veritatis verbum rectè prædicauerit, Pastoris vocationis, & dignitatis damna non patietur. Quæ ergo nobis ratio est, in ordine ouium constitutis? Pastores verborum subtilitatem discutiendi, & ea quæ super nos

Egregiũ Imperatoris dictũ atq; omnino verum.

sunt quærendi & ambiendi habent potestatem. Oportet nos ergo cum timore, & fide sincera hos audire, & facies eorum vereri (cum sint ministri Domini omnipotentis, & huius formam poßideant) & nihil amplius, quam ea quæ nostri ordinis sunt, requirere. Hactenus *Basilius* Imperator.

Iam *Masoni* ipsius iudicium appellare audeo, vtrum ille principatum in rebus Ecclesiasticis sibi vendicauerit necne. Sed videamus reliqua eius argumenta.

Sicut Basilius supremam hanc Ecclesiæ administrationem nemine refragante sibi arrogauit, ita eandem nonnullæ Synodi Principibus eam recusantibus attribuerunt. Celebratum fuit Moguntiæ in Germania Concilium anno 814. *Carolo Magno Imperatore, & Leone tertio Pontifice Romano, quod ita incipit: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; Gloriosissimo & Christianissimo Imperatori Carolo Augusto veræ Religionis rectori, & Sanctæ Dei Ecclesiæ defensori. Et paulo inferius:* Gratias agimus Deo Patri Omnipotenti, quia Sancta Ecclesiæ tam pium ac deuotum conceßit habere rectorem. *Atque iterum: De his omnibus valde indigemus vestro adiutorio atque sana doctrina, quæ & nos instru-*

Concil. Mogũt. apud Bin. to. 3 p. 462.

moneat, atque clementer erudiat, quatenus ea quæ paucis subter perstrinximus capitulis, à vestra authoritate firmentur: si tamen vestra pietas ita dignum esse iudicauerit, & quicquid in eis emendatione dignum reperitur, vestra magnifica Imperialis dignitas iubeat emẽdare, vt ita emendata nobis omnibus & cunctæ Christianæ plebi, ac posteris nostris proficiant ad vitam & salutem.

Anno etiam 847. aliud celebratum fuit in eadem ciuitate Concilium sub Leone Quarto Pontifice Romano, & Lothario Imperatore, quẽ Episcopi similiter appellant strenuissimum veræ religionis Rectorem, & sanctæ Ecclesiæ defensorem. De Rege etiam Recesuintho Concilium E*meritanum* in Lusitania circa annum 705. celebratum ita loquitur. *Cuius vigilantia & sæcularia regit cum pietate summa, & Ecclesiastica plenius diuinitus sibi concessa sapientia.* Quibus tam Ecclesiasticarum quam sæcularium rerum Rectorem illius Concilij patres eum agnoscũt. Istã Synodum multum roboris recepisse ex Epistola Innocentij 3. ad Petrũ Archiepiscopum Compostellæ testatur. *Garsias.* Atq; ita videmus celeberrimos Episcopos in Synodis congregatos eosdẽ principibus tribuisse titulos, qui Angliæ Re-

Garsias in notis in idem [Co]ciliũ

gibus nunc tribuuntur. Sic *Masonus*.

Quibus respondemus plusquam falsũ esse, vllam vnquam Synodum, vel etiam singularem aliquem Episcopum *Catholicum* vel hęreticum, ante Regnum *Henrici* Octaui Regis Angliæ principibus sæcularibus tribuisse *ius*, *& titulum supremi capitis seu gubernatoris Ecclesiæ, tam in Ecclesiasticis & spiritualibus quam temporalibus*, quod faciunt hodie *Protestantes Angli*, neq; authoritates allatæ quicquam huiusmodi sonant.

Taceo primũ, quod istæ Synodi neq; generales fuerint, neq; inter quintã, vel sextam post *Christum* ætatem, quas cõditiones cum *Protestantes* in nostris probationibus requirant, neque iniustum, neq; irrationabile erit nos easdẽ ab eis exigere: deinde aliũ titulũ Imperat. nõ tribuunt, quã *Rectoris Religionis*, qui hominib. multo inferioris cõditionis, cũ debita proportione tribui etiã potest nimirũ Aedituis, Officialib. & similib. qui in suo gradu rectores religionis (quia scilicet quædam ad religionem spectantia administrant) dici possunt. Principes quidem sæculares rectores religionis sunt in supremo gradu, quo laici esse queunt: quia pro de-

Qualem auctoritatem in rebus Ecclesiast. habẽt principes.

fenſione veræ Religionis, (quam tamen à Paſtoribus Eccleſiæ diſcere tenentur) leges condere, eiuſque executioni mandare poſſunt, immo & tenentur. Cæterum quod poteſtatem habeant iudicandi, aut definiendi res Eccleſiaſticas, & ad religionem pertinentes, tanquam proprij illarum rerum iudices & cognitores, nouum eſt paradoxũ, in *Chriſtiano* orbe ante *Henricum* noſtrum Octauum, inauditum.

Et hoc ex teſtimoniis ſacræ Scripturæ, ſanctorum Patrum, Imperatorum, & nominatim *Caroli Magni* ſupra allatis manifeſtè conuincitur. Quæ quia irrefragabilia ſunt, vt ex teſtimonio Sereniſſimi Regis noſtri *Iacobi* ſatis conſtat, *Maſonus* ſcienter errans diſſimulat. Immo hoc idem à Synodis iſtis *Moguntinis* à *Maſono* allegatis, non in præfatione ad Imperatorem, vbi formalis ac præciſus modus loquendi non ſemper ſtrictè obſeruatur; ſed in ipſiſmet canonibus & conſtitutionibus, ex quibus verus cuiuſque Concilij ſenſus deſumendus eſt. Prima enim *Moguntina* Synodus à *Maſono* citata hunc edidit Canonem, *Vt Epiſcopi poteſtatem habeant res Eccleſiaſticas prouidere, re-*

Regis Iacobi contra Maſonũ teſtimonium.

gere, gubernare, atque dispensare secundum Canonum authoritatem, volumus, & vt laici in eorum ministerio obediant Episcopis ad regendas Ecclesias Dei, viduas & orphanos defensandos, & vt obedientes sint eis ad eorum Christianitatem seruandam. Et iste Canon repetitur ad verbum in secunda *Moguntina* Synodo, sed ibi septimum habet locum. Iudicet iam *Masonus* vtrum istarum Synodorum Patres Imperatorem supremum Ecclesiæ caput & gubernatorem etiam in spiritualibus esse crediderint.

De potestate Episcoporum pro rebus Ecclesiasticis ac de cõueniencia Episcoporum cũ Laicis. Cap. 8.

Quod vero illos duos Imperatores veræ religionis rectores dixerint, id ob singularem eorum pietatem, ac Religionis *Catholicæ* conseruandæ zelum, & industriam factum est, non quia potestatem vllam in iudiciis Ecclesiasticis illos habere voluerint, vt patet ex eiusdem præfationis verbis, quibus ita scribunt: *Congruum nobis videbatur, vt Sacerdotes Ecclesiæ Dei iure legitimo, & inconuulso honorentur, de quibus Dominus ait. Qui vos audit, me audit, &c. Et Apostolus. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis, &c. Nam de reuerentia Ecclesiarum dicit Dominus. Domus mea domus orationis vocabitur*

cunctis gentibus. Idem etiam colligitur ex eo quod in illa Synodo tres turmas, (vt ipsi loquuntur) constituerint: in quarum prima congregati erant Episcopi, in secunda Monachi, in tertia vero Comites, & cœteri laici; qui illi quidem Synodo interfuerunt, non vt de rebus Ecclesiasticis deliberarent, sed vt de rebus ciuilibus, quæ ibi quoque tractabantur, (vt ex 6. & 7. canone apparet) consultarent. Atque propter hãc rationem, Imperatoris approbationem vel emendationem eorum quæ statuerant, postulârunt.

Dispositio obseruata in Concilio allegato.

Quare Laici aderant in Concilio.

Quod ex Concilio *Emeritano* affert, ad suum institutum nihil facit. Quod enim Reges in suo ordine, & gradu res Ecclesiasticas regant, nimirum leges condendo pro Ecclesia, iuxta tenorem Canonum, & iudicium Episcoporum, nullus est qui negat; immo hoc præcipuũ eorum est officium, propter quod gladij potestate à Deo donantur. Et quia *Masonus* obseruat istud concilium multũ roboris ex Epistola Innocentij tertij recepisse (vt videat omnia sua argumenta similia esse morsui scorpionis, qui tametsi maximè venenosus, nunquã tamen est lethalis,

Similitudo nõ incongrua.

lethali, ipse serpens super partem læsam comprimatur) referam hic initium illius Epistolæ, ex qua doctrina *Masoni*, qua primatum in rebus Ecclesiasticis principibus sæcularibus tribuit vanitas clarè apparebit. Sic igitur doctissimus ille Pontifex scribit.

Licet vnum sit corpus Ecclesiæ, in quo Christus est caput, & vniuersi fideles sunt membra, ille tamen qui à Christo Petra dictus est Petrus, & à Christo capite vocatus est caput, ipso testante qui ait: Tu vocaberis Cephas: quod secundum vnam interpretationem exponitur caput: quia sicut plenitudo sensuum abundat in capite, ad cætera vero membra pars aliqua plenitudinis deriuatur, ita cæteri vocati sunt in partem solicitudinis: solus autem Petrus assumptus est in plenitudinem potestatis, ad quem velut ad caput maiores Ecclesiæ causæ non tam constitutione Canonica, quàm institutione diuina merito referuntur.

Innocentius Epistola ad Petrum Archiep. Compostellæ.

Iudicet iam *Masonus*, vel quiuis alius, etiam minus æquus, quãtum vim ac robur hæc epistola *Protestantium Anglorum* doctrinæ de principatu Regum in rebus Ecclesiasticis confert. Subdit vero *Masonus*.

Addere hîc possumus aliorum Patrum iudicium. *Tertullianus* ait: *Colimus Impera-*

Tertull. ad Scapulam.

Con. Parme. l. 5. *Ad populum Antioche. hom. 2.*

torem vt hominem à Deo secundum, & solo Deo minorem. Et *Optatus*: *Super Imperatorem non est nisi solus Deus qui fecit Imperatorem.* Similia habet *S. Chrysostomus*. Sed ista non sunt ad Rhombum. Loquuntur enim isti patres de potestate gladij temporalis, non vero de potestate clauium regni cælorum, quos *Christus* Dominus *S. Petro*, & non *Cæsari* tradidit.

Hoc conforme est (ait *Masonus*) *sacris scripturis, quæ piissimos reges sacerdotibus, immo summis sacerdotibus, in rebus ad religionem spectantibus præcepisse testantur.*

Verum quidem est nonnullos reges tam in Ecclesia *Iudæorum* quàm *Christianorum* multa præcepisse ad religionem spectantia, sed hoc fecerunt iuxta præscriptum & iudicium sacerdotum & Ecclesiæ pastorum; quod non indicat principatum in rebus Ecclesiasticis in ipsis principibus, sed in sacerdotibus. Et quod regimen Ecclesiæ in rebus fidei & religionis ad sacerdotes, & non ad reges spectaret, etiam in Ecclesia *Iudæorum* constat ex clarissimo illo Malachiæ testimonio, vt cætera in præsenti taceamus. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est.*

Malac. 2. 7

Certum est quod in tota sacra scriptura non legitur talem promissionem factam esse regibus. Sed clarius adhuc idem conuincitur ex expresso Dei mandato tradito in libro *Deuteronomij* hisce verbis. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram: & iudicum intra portas tuas videris verba variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Venie(que ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore: quaeresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcumque dixerint qui praesunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta leges eius; sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israël.*

Deut. 17. 8. 9. 10. 11. 12.

Sed adhuc proteruit *Masonus* & addit. *Neque ista authoritas (primatus scilicet) in noua lege tollitur, sed eadem semper manet, vt ex Apostolo videri potest, qui vocem suam tanquam tubam exaltans clamat. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Quae*

Rom. 13. 1.

verba (omnis anima) omnes personas tam Ecclesiasticas quam sæculares comprehendunt, immo etiamsi Euangelistæ, Prophetæ, & Apostoli essent, vt S. Chrysostomus verè interpretatur. Idcirco cum omnis anima sublimioribus potestatibus subiecta sit, princeps (sæcularis) omnibus superior erit, & consequenter supremus in suis dominijs.

Contra seipsum arguit Masonus.

Mirum est, quod iste semper cõtra seipsum argumentetur: siue id fiat ex iudicij defectu, siue ex causæ quã defendit prauitate, quæ meliora argumenta non submi-nistrat, aliorum esto iudicium. Allegat, atque id quidem meritò, Apostoli mandatum, vt omnes subditi sint potestatibus sublimioribus. Vnde infert, Principes in suis dominijs supremos esse, & intelligit in rebus Ecclesiasticis & spiritualibus. Cum tamen ex his ipsis Apostoli verbis, euidenter (ni me mea fallit opinio) concluditur contrarium hoc modo.

Principes, quibus Apostolus omnes esse subditos præcipit, idem ius, eandémque imperandi authoritatem in subditos suos *Christianos* habuerunt, quam modò Principes *Christiani*, in quantum Principes sæculares, habent in suos. Non enim habent Principes *Christiani* aliud ius impe-

randi in quantum Principes sunt, quam quod habuerunt Principes Pagani: Sed Principes Pagani (de quibus loquutus est Apostolus) nullam penitus habuerunt authoritatem imperandi subditis suis *Christianis* in rebus fidei & religionis, vt per se constat. Nam neque Principes *Christiani*, qui habent subditos *Iudæos* vel *Paganos* illis possunt imperare in rebus ad religionem suam spectantibus. Ergo neque Principes *Christiani*, in quantum Principes sunt, talem potestatem & imperium in subditos suos habent. Videat iam *Masonus*, si dum probare nititur institutum suum per Apostoli authoritatem; illud penitus non euerterit.

Argumentum efficax contra Masonum.

Atque hactenus primatum principum sæcularium in spiritualibus probare laborauit; quam malè autem ac infœliciter (quandoquidem omnia eius argumenta non solum soluta, sed etiam contra eum retorta sunt) iudicent alij. Postea quibusdam obiectionibus, quas sibimet proponit, satisfacere præ se fert. In quo causæ, quam defensam cupit, imbecillitatem & iniquitatem multo magis ostendit. Primùm enim fortissima queque argumenta, quæ pro veritate *Catholica* in hac parte af-

Masonus causæ suæ imbecillitatem prodit.

ferri solent, tam ex sacris scripturis, quam ex antiquis patribus, Conciliis, atque ipsorum Imperatorũ constitutionibus (quorum partem aliquam præcedenti capite proposuimus) ipse magis cautus, quam candidus, vidit enim quòd irrefragabilia sint, silentio prætermittit. Deinde ea quæ sibi soluenda proponit, vel inuertit, vel adeo obscurè proponit, vt maxima eorum vis & energia non appareat. Denique quod pessimum est, neq; eis vtcunque propositis satisfacit. Primo ita sibi obiicit.

1. Obiectio. *Si princeps supremus sit in rebus & causis spiritualibus Rector & caput, qualemcunque sibi libuerit religionem subditis suis proponere, tenebuntur eam amplecti, eique obedire.*

Vim argumenti abscondit. Hoc argumentum ita deberet formari. Si princeps sæcularis sit supremus in rebus spiritualibus Rector & caput, eius subditi tenerētur illius mandatis de rebus fidei & religionis obedire, subditus enim tenetur superiori suo in eis quibus est superior obedire, iuxta iam allatum Apostoli testimonium, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Sed princeps sæcularis potest ea præcipere, quæ sunt falsa ac perniciosa, vt reipsa multi principes fecerunt. Neque mirum. Omnis enim

homo speciali spiritus sancti gratia, & assistentia non munitus mendax est, & fallax. Cum ergo principibus sæcularibus nullibi fiat talis assistentiæ promissio, fallaces sunt & falli possunt, & consequenter falsa ac perniciosa subditis suis proponere possunt. Ergo si princeps sæcularis supremus sit in rebus spiritualibus rector & Iudex, tenebuntur eius subditi ea, quæ sunt falsa ac perniciosa aliquando amplecti, & opere complere. Hoc autem absurdum esse nullus negabit. Huic argumento hoc modo proposito, quid *Masonus* cum probabilitate respondere posset, non benè capio. Sed videamus quid ei vt à semetipso proponitur, respondet.

Psal. 115. Rom. 11. 3. 4.

Non ita se res habet (inquit) *nam supremus est in rebus temporalibus, & tamen non potest præcipere, vt quis falsum testimonium ferat, aut innocentem condemnet, vt fecit olim Iezabel: vel si ista præciperet, Deo potius obediendum esset, quam illi. Idem in causis religionis dicendum est. Nam Nabuchodonozor imaginem suam adorandam erigendi potestatem non habuit, neque Ieroboam vitulos aureos faciendi. Rex enim quâ Rex, supremus*

Respōdet.

Nihil dicit ad rem.

est sub Deo non contra Deum, vt pro veritate imperet, non contra veritatem, & si impia & perniciosa præciperet, ei obedire non debemus, sed pœnalitates à se propositas patienter subire.

Refellitur. Ista impertinenter dicta sunt: nullam enim tradit regulam, neque vllam tradere potest, quomodo subditi scire queant, quando Rex in rebus controuersis præcipiat pro Deo & veritate, quando vero contra Deum, & eius veritatem. Exempli gratia, Rex *Angliæ* Missam in toto suo regno prohibet cum aliis Catholicis ritibus, fideique articulis, de quibus inter *Catholicos* & *Protestantes* controuertitur: reges vero *Galliarum* & *Hispaniarum* illa omnia in suis regnis præcipiunt, & approbant. Scire iam velim *à Masono*; quomodo vel *Angli*, vel *Galli*, vel *Hispani* (posita eius opinione de Primatu principis sæcularis) possint inuestigare quis istorum regum pro Deo & veritate, quis vero contrà imperare dicẽdus sit. Quandoquidem enim directè opposita præcipiant, aliquem eorum contra Deum, & veritatem præcipere manifestum est. Vel quomodo ipse sciat *Henricum* octauum præcepisse contra Deum & veritatem, quando instituit sex

istos articulos contra *Protestantismum.*

Fox pag. 1036. edit. Lond. 1610 & Sand. de Schism. 152.

1. *Transubstantiationem credendam esse.*
2. *Communionem sub vna specie sanctam esse.*
3. *Cælibatum sacerdotum retinendum esse.*
4. *Vota castitatis non violanda.*
5. *Missas celebrandas.*
6. *Confessionem auricularem retinendam esse*: & pro Deo quando fecit se supremum Ecclesiæ in *Anglia* caput, & non potius contrarium.

Dicet fortasse iuxta morem suorum, eos quorum præcepta conformia sunt sacris scripturis, pro Deo & eius veritate præcipere. Verum ineptè hoc dicitur, ipso in eodem semper luto hærente, semper enim manet eadem difficultas, nimirum cuius præcepta conformia sint sacris scripturis, ad quam rectè enodandam aliquam regulam ab eo audire vellem. Cùm enim iuxta illius doctrinam vnusquisque istorum supremam in suo regno de his iudicādi & præcipiendi habeat potestatem; & singuli etiā prætendant præcepta sua conformia esse sacris scripturis; videtur necessario sequi, subditos singulorum proprij principis præceptis obedire debere Quod tamen manifestè incommodum, immo

Non euadit Masonus.

absurdum est : quandoquidem aliquis eorum contra veritatem necessario præcipiat.

Masoni, vel cuiusuis alterius primatum principum propugnantis ad hanc difficultatem expectabo responsionem ; quam donec videro nostrorum *Angliæ Protestantium* de primatu principum sæcularium in rebus spiritualibus & Ecclesiasticis doctrinam, non tantum in materia fidei turpissimam hæresim, sed etiam in politia ciuili absurdum perniciosumque paradoxum, censendam existimabo ; vtpote principes *Christianos* in fide & religione, (in qua maxime concordare deberent) inter se committentem,& præterea subditos suos ad vnum horum necessario compellentem ; nimirum vt vel principibus suis, in rebus perniciosis & saluti animarum suarum nociuis obediant : vel (ne huic periculo sese exponant) in rebus licitis obedientiam suam illis subtrahant; vel saltem principum suorum mādata, vtrum pro Deo, vel contra Deum sint, iudicandi potestatem subditis facientem ; quod latissimam ad omnem rebellionem, & seditionem portam aperire nullus nō videt.

Grauissima doctrina Protestantium incommoda.

2. Obiectio

Secundo sibi obijcit *Masonus*. *Quod si su-*

premum rerum spiritualium imperium principibus temporalibus debeatur, nihil refert vtrũ princeps sit vir an fœmina, puer an adultus, Christianus aut Paganus. Ius enim imperandi non minus in Traiano fuit, quam in Theodosio, in Henrico quam in Eduardo puero, in Maria noui Euangelismi hoste, quam in Elizabetha eiusdem protectrice, immo non minus fuit in S. Lucio antequam baptizaretur quam postea, cum iam factus esset Christianus. Vnde tãdem sequitur Imperatorem Turcicum supremum in rebus spiritualibus principatum intra regni sui fines obtinere.

Argumentum istud dilucidè expositum est validũ.

Huius argumenti vis clarior appareret sub hac forma. Si princeps sæcularis supremus sit Ecclesiæ in rebus spiritualibus rector & gubernator, sequeretur Principes Paganos eandem habere in Ecclesiam *Christianam* potestatem. Sed hoc falsum est & absurdum. Nullus enim potest esse alicuius corporis caput, cuius non est membrum. Sed Pagani non sunt membra Ecclesiæ *Christi*, vt per se constat. Ergo neque possunt esse capita & Rectores illius. Sed audiamus illius responsum.

Respondet

Hic duo sunt consideranda. Primum est principis potestas & authoritas: secun-

dum eius aptitudo & habilitas eandem potestatem exercendi; *potestatem* (scilicet regendi Ecclesiã *Christi*) *omnes principes tam Ethnici, quam Christiani immediatè à Deo recipiunt; sed facultas seu aptitudo illam rectè debitéque exercendi solis fidelibus communicatur. Rex Niniue potestatem ieiunium indicendi ab initio regni sui habuit, sicut & Nabuchodonosor præcipiendi, vt omnes Deum Danielis timerent, ista tamen reipsa non fecerunt, nisi postquam tetigisset eorum corda Deus. Quando vero ista præceperunt, non ex noua authoritate, sed ex priori quam habuerunt potestate, id præstiterunt, diuina eos iam instruente gratia, vt ea rectè vterentur. Nam Reges vt Reges Christo seruiunt: quando leges ferunt pro Christo, vt ex Augustino colligitur epist.* 48. Hæc summa est eorum, quæ ipse Masonus pluribus verbis deducit.

Refellitur. Ex quibus obseruandum est, cum ipse inter potestatem ipsam principum sæcularium, & rectum ac legitimum illius vsum & exercitium non malè distinguat, illam similem distinctionem inter potestatem Episcopalem (siue in charactere sacramentali, siue in quacunque alia re consistat) & rectum ac legitimum illius

vsum, quàm supra ex ipsius doctrina tradidimus, neque debere neque posse negare.

Quam malè vero ac ineptè hanc distinctionem suo instituto applicet, ex eo perspici potest, quod eadem adhibita doctrina, seipsum regem non solum *Angliæ*, sed etiam totius orbis probare posset. Posito enim quod adeo insaniret, vt sibi totius mundi imperium vendicaret, vt principibus Paganis in Ecclesiam *Christi* imperium tribuendo insanire deprehenditur. Et quis contra vastam eius dementiam eandem proponeret obiectionem, quam hic contra deliramentum suum de primatu Principum paganorum in Ecclesiam *Christianam* sibimet obiicit: Illam certè nullo negotio dilueret, hanc eandem adhibendo distinctionem. Dicere enim posset, quod vt filius *N. Masoni*, habet quidem immediatè à Deo potestatem, & ius imperandi omnibus hominibus; tantumque illi deesse facultatem seu potentiam, ius suum & imperium exequendi. Ac proinde si modo inciperet vt Rex imperare, illud non faceret per nouam aliquam authoritatem, sed per potestatem, quam antea habuit. Vitium, quod *Masonus* reperiret in ista ratiocinatione (si tamē ratiocinatio

Delirus ostenditur Masonus.

dici debeat tanta insania) responsionem suam delirium esse insanum ostendet.

Sed ne forte adeo sit stupidus, vt nec adhuc responsionis suæ nugacitatem videat, aduertat obiectionem procedere de potestate ipsa, & non de facultate illam exercendi, atque adeo requirere vt probetur, & non tantum dicatur, vel supponatur, nimirum principes sæculares, & præsertim Paganos, talem habere in Ecclesiam *Christi* potestatem & iurisdictionem, qualem ipse principibus competere stupidissimè præsupponit, cum illud probare deberet. Cæterum quia ipse supponit id, quod est in quæstione, & quod probare deberet, quæram ab illo, vndenam existimet principes istam habere authoritatem; Ex natura forte, & in quantum sunt homines? Sed hoc euidenter falsum est, neque enim natura talem potestatem cuiquam tribuere potest in res supernaturales, quales sunt, quæ ad Ecclesiæ *Christianæ* administrationem spectãt: neque principibus esset peculiaris, sed omnibus hominibus esset communis; neque ex voluntario aliorum hominum consensu, vel etiam violenta eorum ex iure belli subiugatione principibus acquiri potest

Supponit quod est in questine.

Insolubilis Masono quæstio.

talis potestas. Quamuis enim his titulis in corpora, & bona fortunæ tale ius aliquis acquirere possit, in animas tamen, & quæ spectant ad salutem earum æternam, quæ soli Deo subijciuntur, nullum tale acquiri potest dominium. Quare necesse est vt cuicunque tale ius competat, illud vel immediatè à Deo recipiat, vel saltem talibus medijs illi deriuetur, quibus Deus ipse instituit deriuandum.

Dicat igitur nobis *Masonus*, quo sacræ paginæ loco talis principibus *Christianis* (nedum Paganis) conceditur in Ecclesiam *Christi* potestas, qualem ipse illis tribuit? Tale enim testimonium ab eo iure merito exigere possumus, cum expressis verbis profiteatur, *se fidem suam non super Pontificum Romanorum, Conciliorum, vel Patrum, sed super solius sacræ scripturæ in scriptis Apostolorum, & Prophetarum digestam authoritatem ædificare.* Sed ne nimium in hac parte videamur iusti, tales probationes ab illo exigendo, quales ipse à nobis requirit, similes paresque vel Patrum, vel Conciliorum, vel Imperatorum authoritates, ijs quas pro veritate *Catholica* superiori capite adduximus, afferat, & acquiescimus.

Mason. p. 101.

Armis propriis iugulatur Masonus.

Indulgetur illi.

Ad ea vero, quæ in craſſiſſimi erroris refutationem ſuperiori capite attulimus, illud hîc adiungemus ex Apoſtolo, qui dicit, *Quid mihi de ijs quæ foris ſunt iudicare*? Si enim Apoſtolus nullam habuit poteſtatem eos, qui extra eccleſiam ſunt, iudicandi; quis ſenſu communi præditus, eos, qui foris exiſtunt, (quales ſunt omnes Pagani) ſupremam poteſtatem iudicandi Eccleſiam *Chriſti* habere dicet?

1. Cor. 5. 12.

Sed vrget *Maſonus* Regem *Niniue* ieiunium indicendi, & *Nabuchodonoſorem* poteſtatem habere præcipiendi Deum *Danielis* eſſe timendum, cæteroſq; reges leges pro *Chriſto* cõdendi, in quo vt reges ei ſeruiunt, poteſtatem ſimiliter habere. In quo quidem nemo ei contradicit, ſi tamen rectè ſe intelligat. Si enim reges abſque iudicio, nedum contra iudicium, ſacerdotum & Eccleſiæ paſtorum, leges de rebus Eccleſiaſticis condendi poteſtatem habere velit, falſum dicit. Contrarium enim tam ex ſcriptura ſacra, ſanctis Patribus, conciliis, imperatorumq; placitis, clariſſimè demonſtratur. Si vero reges iuxta iudicium ſacerdotum, & Eccleſia paſtorum leges, quibus ea quæ Eccleſiæ præſcribit, ordinat, & approbat, præcipiuntur

Vrget Maſonus.

Excipitur.

tur & imperantur, condendi potestatem habere velit, rectè quidem ait; propter hoc enim præcipuè gladium portant, & *nutricij Ecclesiæ* dicuntur. Tantum vero abest, vt supremi rerum Ecclesiasticarum iudices hinc existimari debeant, vt ipsos Ecclesiæ iudicio subiectos esse directè inde concludatur.

Nutricij Ecclesiæ Principes & quare.

Confirmat *Masonus* responsionem suam, & dicit, *quod Sacerdos etiamsi impius & nequam, semper tamen Dei est minister, qui si impietatem suam deserat, & munere suo recte fungatur, noua vocatione vel potestate non indiget, sed prioris authoritatis virtute omnia legitimè exercet.* Si ista præsenti instituto applicentur, difficultatem omnem euacuabunt inquit ipse.

Confirmat dicta.

Scilicet, quasi quæstio hîc esset de legitimo vsu vel facultate recte vtendi potestate, & non de ipsamet potestate. Quando *Masonus* Reges & principes quâ tales, potestatem iudicandi res Ecclesiasticas habere probauerit, quam in sacerdotibus esse nos omnes agnoscimus, ista confirmatio solutioni suæ applicata aliquam probabilitatis speciem habere potest. Donec vero istud probauerit, tam solutio, quam eius confirmatio non solum ine-

Refellitur.

Arguitur petitionis principij. pta, ſed & inſulſa eſt, vtpote ſupponens tanquam certum & conceſſum, quod eſt in quæſtione poſitum, quo in nulla diſputatione maius vitium eſſe poteſt.

3. Obiectio. Tertiam denique obiectionem ita ſibi efformat *Maſonus. Contra ius naturæ eſt Principem ſupremum caput & gubernatorem Eccleſiæ conſtituere. Paſcuntne enim oues paſtorem? aut filius, regitne patrem ſuum?*

Reſpondet. Reſpondet. *Quemadmodum ſacerdos eſt pater, & paſtor reſpectu principis, ita etiam princeps reſpectu ſacerdotis. Elegit enim Dominus Dauid ſeruum ſuum, vt paſceret Iacob ſeruum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam, & pauit eos in innocentia cordis ſui. Et Ezechias vocauit ſacerdotes filios ſuos. Idcirco ſi princeps ſit paſtor ſacerdotum, naturale eſt vt eos paſcat; & ſi eorum pater ſit, eos regere debet.*

Pſalm. 77. 70.
2. Paralip. 29. 11.

Eluitur. *Magna vbique veritatis vis, & præualet. Maſonus* poſt omnem, quam hactenus vidimus, tergiuerſationem, principes filios & oues reſpectu ſacerdotum, ac proinde iuxta naturæ ipſius ordinem, & præſcriptum ab eis paſcendos, & regendos eſſe fateri compellitur; non quidem in rebus temporalibus (in ijs enim principes patres & paſtores reſpectu ſacerdo-

tum esse dicit) ergo in spiritualibus; nisi forte adeo absurdus sit, vt vnum ac eundem respectu eiusdem, in eisdem rebus pastorem & ouem, patrem & filium, superiorem & inferiorem posse esse existimet. Ex sua ergo ipsius conclusione luce clarius constat, quod principes vtpote oues ac filij à sacerdotibus pasci, ac regi debeant in spiritualibus, ac proinde quod supremi Ecclesiæ iudices in eisdem rebus esse nequeant.

Et hic aduertere te velim lector, istorum hominum insaniam, qui *S. Petri*, cui *Christus* promisit, atque adeo etiam tradidit claues regni cœlorum; cui etiam oues, agnosque suos pretioso suo sanguine redemptos, pascendos regendosque commisit, primatum contra expressa sacræ scripturæ verba, ab omnibus antiquis interpretata pernegantes: eundem principibus sæcularibus, absque vlla vel diuini, vel humani testimonij authoritate, tribuendum contendunt. Isti nimirum sunt, qui *Ecclesiæ Dei, quæ columna est & firmamentum veritatis*, ex puro puto Dei verbo reformatores se gloriantur. Quam rectè vero hæc doctrina de primatu principum sæcularium, & præ-

Matth. 16. Io. 21.

Summa nouatorum peruersitas

cipuè Iuramentum illud nouum, & ante *Henricum* nostrum Octauum in Orbe *Christiano* inauditum, cum reliqua *Protestantium* nostrorum *Anglorum* doctrina conueniat, dicemus capite vltimo huius libri, vbi constabit eos non solum hæreticos esse in hoc particulari, sed etiam sibi ipsis euidenter contradicere.

Et vt caput istud tandem claudamus; cum iusiurandum iam dictum, quo Regina *Elizabetha* dicebatur *supremum caput, summaque gubernatrix Ecclesiæ Anglicanæ, in omnibus causis & rebus tam spiritualibus quam temporalibus*, impium sacrilegumque ex sacra scriptura, sanctis patribus, & Conciliis, summorumque imperatorum placitis, ac serenissimi etiam Regis magnæ *Britanniæ Iacobi* expresso testimonio probetur, ac proinde tale esse, quale si à quocunque Principe præcipiatur, à clero prohiberi debeat, vt idem serenissimus Rex expresse etiam docet; *Fateor* (inquit Rex) *quod principe aliquid contra Dei verbum, & in religionis subuersionem imperante, clerum non solum cum subditis de eorum obedientia illi debita dispensare debere, sed etiam ne ei obediant, expresse prohibere*: Episcopi *Catholici*, qui illud repudiarunt, nihil

Declar. con. Card. Perron. p. 70. edit. Paris.

penitus contra fidelitatem, & obedientiam suam reginæ debitam eo reijciendo commiserunt, quo depriuationem mereri potuerunt. Vnde tandem irrefragabiliter sequitur, eos, qui illorum sedes (ipsis hoc tantummodo prætextu depositis) inuaserunt, intrusores atque sacrilegos vsurpatores esse.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Vtrum illi, qui Parkero, *& cæteris in sedes Episcopales initio regni* Elizabethæ *intrusis, vsque ad præsentem diem successerunt, veri ac legitimi Episcopi sint vel fuerint.*

EOS omnes, qui *Parkero*, & cæteris, Cathedras Episcopales sub initium Regni *Elizabethæ* inuadentibus, vsque in hunc diem subrogati fuerunt, in hac quæstione comprehendimus, quia omnes eodem omnino scelere constringuntur. De quibus illud imprimis manifestum est, omnes singulosque eos defectus, quos vel

in *Cranmero*, vel cæteris, de quibus hactenus disputauimus (intrusione excepta, de qua in superiori capite facta est mentio) in eodem etiam gradu in istis de quibus præsens instituitur quæstio, reperiri. Quapropter de illis non est hîc disputandum, sed vtrum in istis non sit adhuc aliquis nouus defectus, qui in aliis non extiterit.

Non fuerũt isti sacerdotes: ergo neque Episcopi.

Et dicendum, talem, tamque essentialem illis inesse ordinationis defectum prę ter omnes supradictos, qualis solus, eorum ordinationem nullam omnino reddat, & consequenter illos nullos Episcopos faciat. Huiusmodi vero est, quod non sunt, neque vnquam fuerunt veri sacerdotes. Ac proinde istorum vocatio, & ordinatio non tantum ex parte vocantis, & vocationis, sed etiam ex parte ipsorum vocatorũ defectuosa, ac vitiosa reperitur.

Quod gradus, & ordo sacerdotalis, adeo necessario ac essentialiter Episcopali ordini præsupponatur, vt absque illo, iste esse vel existere non possit, ac proinde qui sacerdos primo non sit, Episcopus esse nequeat, à nullo aduersariorum (de ijs loquor, qui Episcopalem ordinem in Ecclesia admittendum esse credunt) in dubium vocari reperio. Neque reuera de ea re du-

bium vllum esse potest. Quomodo enim Episcopus, hoc est, summus sacerdos, esse potest, qui non est sacerdos? Deinde neque in scriptura sacra neq; in historia Ecclesiastica vsquam inuenitur mentio de Episcopo, qui non fuit etiam sacerdos. Et propter hanc rationem Episcopi vbique sacerdotes vocantur, quia reuera sacerdotes sunt, vt supra iam vidimus.

Concilium *Sardicense* admiratur, ac simul etiam abhorret *Arianorum* impudentiam, qui *S. Athanasium* de falsis quibusdam criminibus per calumniam accusantes, testimonium cuiusdam, quem dixerunt Episcopum, qui sacerdos non erat, contra eum protulerunt. *Ei* (inquit Concilium) *qui ne presbyter quidem erat, titulum Episcopi indulsere.* Et paulo inferius. *Nihilominus tamen eum, qui presbyter non erat, vt Episcopum in testem produxerunt.* Atque iterum ex *Theodoreto, Episcopum nuncupârunt, qui presbyter nondum fuit factus.* Et paulo inferius. *Itaque qui presbyter non esset, eum Episcopi dignitate auxerunt, vt hoc nomine calumnijs audientium animos percellerent.*

Athanas. apol. 2. in epist. Conc. Sardic. ante medium. Theod. l. 2. hist. c. 8. ante med.

Atque hoc adeo certum est etiam apud aduersarios, vt *Fieldus* noster ac Plessæus velint, Presbyterum seu sacerdotem,

& Episcopum reipsa eundem esse, eiusdemque authoritatis & potestatis, & tantummodo inter se discrepare, ex institutione Ecclesiæ, quæ ordinis seruandi, & schismatis euitandi gratia, Episcopum presbytero præposuit. Quæ quidem doctrina, quantumuis in se falsa (vt superius ostendimus) manifestè tamen supponit, gradum sacerdotalem adeo Episcopali dignitati necessarium esse, vt absque eo nullus Episcopus esse possit.

Hoc itaque ab omnibus concesso, summa præsentis controuersiæ in eo solo stat, vtrum nouæ legis sacerdotium, veram realemque sacrificandi potestatem in se contineat. *Veram* dico *& realem*, quia non est hîc quæstio de sacrificio interno, improprio, seu metaphorico, quale est sacrificium orationis, laudis & gratiarum actionis, sed de sacrificio externo, sensibili, ac proprio, qualia fuerunt sacrificia veteris legis, atque etiam illud, quod *Christus* summus sacerdos æterno patri suo obtulit. Nam si conuincatur sacerdotium nouæ legis talem in se includere potestatem, ineuitabiliter inde sequetur nouum clerũ prætensæ reformationis, tam in *Anglia* quam aliàs (quippe qui ab omni tali po-

Nodus quæstionis.

teſtate, tanquam ab *Antichriſtiana* idololatria abhorret) verum ſacerdotium non habere,& conſequenter neque veros Epiſcopos, & paſtores apud eum eſſe,atque hoc eſt quod hîc intendimus probare.

Ordo præſentis diſputationis.

Vt ergo magis diſtinctè & clarè noſtra diſputatio in hac quæſtione procedat,primum,per teſtimonia ſacræ ſcripturæ, iuxta interpretationem patrum primorum quingentorum annorum intellecta, probabimus, in *Chriſti* Eccleſia eſſe ſacerdotium, quod ſacrificium verum,proprium, externum, ac ſenſibile offerendi poteſtatem habeat. Deinde argumentis & obiectionibus aduerſariorum contra tale ſacerdotium afferri ſolitis, ſatisfaciemus. Tertio denique illud,quod in tota hac noſtra diſputatione intenditur, clarè deducemus. Et quod ad primum attinet, non multus ero in teſtimoniis ſacræ ſcripturæ multiplicandis, ſed duo vel tria ad ſummum, cum antiquorum patrum interpretationibus in medium afferam;quæ cuiuis ingenio propria ſua peruerſitate in tranſuerſum nō acto,plenè ſatisfacere poſſunt. De iis vero, qui obfirmatis animis errori ſuo adhæreſcunt, non eſt multum laborandum; de illis enim verè dixit olim

S. Hieron. con Lucif. ad finem. *S. Hieronymus*, quod licet vinci possint, persuaderi tamen nunquam possunt.

Primum ergo testimonium erit ipsius *Christi* Domini factum & præceptũ, atque adeo nouæ legis, noui sacerdotij institutio, quæ *SS. Lucas* & *Paulus* referunt his verbis. *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem.* Hîc *Christus* Apostolis suis, atque ijs omnibus, qui in munere sacerdotali illis succedunt præceptum, atque adeo potestatem illud idem faciendi, quod ipse tunc fecit, tradidit, vt ex illis verbis (*hoc facite*) clare constat. Idcirco si ipse tunc verè sacrificauerit, manifestum est, quod ipsis quoque veram sacrificãdi potestatem, immò ac præceptum dederit. Quapropter, totus huius controuersiæ nodus in eo consistit, vt probetur *Christum* Dominum, tũc verè sacrificasse.

Luca. 22. 19. 1. Cor. 11. 24. & 25.

Christum in cœna sacrificasse probatur. Istud vero sic probamus: *Christus* Dominus erat sacerdos secundum ordinem *Melchisedechi*, vt Deus ipse iureiurando testatur. *Iurauit Dominus* (inquit *Dauid*) *& non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, ac proinde

Psal. 109. 4. Hebr. 5.6.

eâdem formâ, eodemque ritu, quo olim *Melchiſedech* ſacrificauit (ſola propria ſacerdotij actio & functio) debuit etiam ipſe ſacrificare; alioquin enim neque dici, neque cognoſci potuit peculiaris illius ordinis ſacerdos. Sed niſi in vltima cœna quando ſumendo panẽ dixit, *Hoc eſt corpus meũ &c.* ſacrificauerit, numquam in formâ & ritu *Melchiſedechi*, ſcilicet in pane & vino ſacrificiũ obtulit. Ergo neceſſe eſt ad hoc vt ſcriptura illa vera ſit quod tunc verè ſacrificauerit. Totum hoc argumentum clarum eſt, nec quicquam in eo contentum ab aduerſarijs noſtris in dubium vocatur, niſi quod contendant peculiare ſacrificiũ *Melchiſedechi* non ſitum fuiſſe in pane & vino, & quod ſub illis formis nunquam ſacrificauerit, hoc itaque reſtat nobis probandum.

Sacrificiũ Melchiſedechi in pane & vino fuiſſe probatur.

Et quod hoc verum ſit nimirum ſacrificium proprium & peculiare *Melchiſedechi* in pane & vino extitiſſe, nemo qui ſacris ſcripturis, iuxta antiquorum patrum interpretationem intellectis credendum eſſe exiſtimat, vllatenus dubitare poteſt. De hac re ita imprimis teſtantur ſacrę paginę. *At verò Melchiſedech Rex Salem proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altiſ-*

Gen. 14 18.

ſimi, benedixit ei & ait, Benedictus Abraham, &c. Vnde omnes antiqui patres vno conſenſu docent, quod *Melchiſedech* Dei ſacerdos exiſtens, ibi panis & vini ſacrificium obtulerit, idque in figuram ſacrificij oblati à *Chriſto* in vltima ſua cœna. Hoc poſtremum, tametſi veriſſimum ſit, vt ex teſtimoniis ſtatim referendis apparebit, noſtro tamen inſtituto non eſt omninò neceſſarium.

Epiſt. 63. ad Cecilianum.

Sanctus Cyprianus Epiſcopus & martyr, qui ante annos 1300. vixit, ita ſcribit. *In ſacerdote Melchiſedech ſacrificij dominici ſacramentum præfiguratum videmus, ſecundum quod ſcriptura diuina teſtatur & dicit: Et Melchiſedech rex Salem protulit panem & vinum. Fuit autem ſacerdos Dei ſummi, & benedixit Abraham. Quod autem Melchiſedech typum Chriſti portaret, declarat in Pſalmis Spiritus ſanctus ex perſona Patris ad Filium dicens: Ante Luciferum genui te: tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Qui ordo vtique hic eſt, de ſacrificio illo veniens & inde deſcendens; quod Melchiſedech ſacerdos Dei ſummi fuit, quod panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis ſacerdos Dei ſummi, quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus? qui ſacri-*

ficium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem? Et addit. *Vt ergo in Genesi per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham posset rite celebrari, praecedit antè imago sacrificij Christi, in pane & vino scilicet constituta, quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem, & calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatem praefiguratae imaginis adimpleuit.*

Ibidem.

Quid ad ista respondebunt noui nostri magistri? nihil aliud nisi quod *Sanctus Cyprianus*, Sacrificium corporis & sanguinis *Christi*, sub speciebus panis ac vini, in quibus etiam *Melchisedech* iuxta cuius ordinem *Christus* dicitur sacerdos, sacrificium obtulit, adeo expressè docens, papismo plurimum faueat, & parum abest, quin papistam eum dicant.

Itaquidem Centuriatores infra citandi.

Sanctus etiam *Augustinus* aliud Ecclesiae *Africanae* lumen idem docet. *Iurauit Dominus* (inquit) *& non paenitebit eum: Quibus verbis immutabile futurum esse significat; quod adiungit; Tu es sacerdos in*

De ciuit. Dei. l. 17. c. 17.

æternum secundum ordinem Melchisedech: ex eo quod iam nusquam est sacerdotium & sacrificium secundum ordinem Aaron, & vbique offertur (Aduerte ista verba vbique offertur) sub sacerdote Christo, quod protulit Melchisedech, quando benedixit Abraham, quis ambigere permittitur, de quo ista dicantur?

De hac eadem re prolixam habet idem sanctus doctor disputationem in Psal.33. quæ nimium est prolixa, vt hîc inseratur.

In cap. 5. ad Hebræos.

Sanctus quoque *Ambrosius Mediolanensis*, *Sancto Augustino* aliquantulum antiquior, (si tamen illorum commentariorum ille fuerit author) non minus est in hac quæstione clarus, dicens: *Huius ordinem sacrificij per mysticam similitudinem Melchisedech iustißimus Rex instituit, quando Domino panis & vini fructus obtulit. Constat enim pecudum victimas periisse, quæ fuerunt ordinis Aaron, non Melchisedech: sed hoc manere potius institutum, quod toto orbe in sacramentorum erogatione celebratur.*

Clemens Alex. l. 4. stromat. ad finem.

Clemens vero *Alexandrinus*, qui vixit ante annos 1400. eandem habet doctrinam in his, paucis quidem, sed satis

claris verbis. *Melchisedech Rex Salem, sacerdos Dei altissimi, qui panem & vinum sanctificatum dedit nutrimentum in typum Eucharistiæ.*

Theodoretus Græcus doctor, qui ante annos 1200. floruit, idem adhuc clariùs docet his verbis: *Cæterùm Melchisedech non Iudæorum, sed gentium est sacerdos. Sic & Dominus Christus non pro Iudæis tantum, sed pro omnibus hominibus semetipsum obtulit Deo. Exorditur autem sacerdotium in nocte, qua crucem subiuit, cùm accepit panem, & gratias egit, fregit, & dixit. Accipite & comedite ex ipso, Hoc est corpus meum. Similiter & calicem cùm temperâsset, dedit discipulis suis dicens, Bibite ex hoc omnes, Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Inuenimus autem Melchisedech sacerdotem & regem esse, (figura igitur erat veri sacerdotis, & regis) & offerentem Deo non sacrificia ratione carentia, sed panem & vinum.*

In Psal. 109.

Christus sacerdotium suum exercere cæpit in nocte cœnæ.

Sancti vero *Hieronymi* testimonium, qui non suam solam, sed etiam eorum, qui illo antiquiores erant, doctrinam recensens, nimirum *Sancti Hippolyti* martyris,

Sancti Irenæi etiam martyris, vtriusque *Eusebij* & *Eustachij*, adhuc maioris est ponderis. Ita vero ille scribit. *Neque ille (Melchisedech) carnis & sanguinis victimas immolauerit, & brutorum animalium sanguinem dextera susceperit, sed pane & vino simplici, puroque sacrificio, Christi dedicauerit sacramentum.*

Epist. 126.

Clarissimis his incorruptæ atque æquissimæ antiquitatis testimoniis (quibus nonnulla alia si necesse esset addi possent) non obstantibus, *Masonus* nomine omnium prætensæ reformationis fratrum suorum, audacter, ne dicam impudenter, *Melchisedechum* in pane & vino vnquam obtulisse, & consequenter Christum Dominum in vltima sua cœna sub eisdem formis sacrificâsse, negat. Et certe necesse est *Melchisedechi* sacrificium in pane & vino negent, ne manifestæ hæresis seipsos, qui Eucharistiæ sacrificium non credunt, condemnent. Sed videamus quibus solidis rationibus innixus, contra tot clarissima venerandæ antiquitatis testimonia, super sacræ scripturæ authoritatem fundata hanc veritatem negare audeat.

Mason. pag 209. obijcit.

Non potest colligi ex isto textu (inquit:)

At vero

[At vero Melchisedech Rex Salē proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei Altissimi] *quod Deo panem, & vinum in sacrificio obtulerit. Iosephus ait quod militibus Abrahæ conuiuium parabat. Tertullianus, quod panem & vinū Abrahamo à prælio reuertenti obtulerit. S. Ambros. idem dicit, quod nimirum Melchisedech Abrahamo panem obtulerit. Et vester Andradius* (inquit *Masonus*) *ait*. Ego cum illis sentiam, qui lassos Abrahæ milites, & diuturna pugna fractos, Melchisedechum pane & vino refecisse aiunt. *Cardinalis quoque Caietanus*. Nihil hic scribitur de sacrificio seu oblatione, sed de prolatione seu extractione, quam Iosephus dicit factam ad reficiendum victores.

Antiquit. l. 1. c. 11.

Con. Iudæos c. 14.

De Sacramentis lib. 4. c. 3.

Defens. Latinæ edit. l. 4.

In 14. cap. Genesis.

Sed esto ita, quid repugnantiæ est in omnibus his cum sacrificio panis & vini à *Melchisedecho* oblato? Prolato enim pane & vino, & Deo primum in sacrificium oblato & sanctificato, postea *Abrahamo* & militibus suis in eorum refectionem apponi potuisse nemo dubitat. Receptissimus enim mos tā inter *Iudæos*, quā Gentiles de eisdem ipsis escis, quæ Deo primū in sacrificium immolatæ fuerunt, conuiuia instituendi, (cuius *Masonus* non

Refellitur.

Ex cibis oblatis Deo institui solebant conuiuia

potest esse ignarus) nullam omnino inter sacrificium *Melchisedechi* ex pane & vino, & refectionem exercitus *Abrahami* repugnantiam, sed maximam conuenientiam esse, clarè ostendit. Cum itaque ex sacra Scriptura per sincerissimam antiquitatẽ interpretata, illius habeamus sacrificiũ, quis nimia peruicacia in voluntariam cæcitatem non abductus, ex eo quod *Abrahami* milites conuiuio parato refecerit, illud negare audebit? *Iosephus* ipse, quem citat *Masonus*, satis indicat, conuiuium, quo *Melchisedech Abraham* eiusque exercitum excepit, fuisse sanctum & religiosum, & non tantum prophanum vel ciuile, dicit enim eum pro prosperitate *Abrahami* benedixisse Deum.

Sed quia testimonium incertum *Iudæi*, in re ad cultum & religionem *Christianã* spectante, contra illustrissimorum *Christianitatis* professorum clarissimã authoritatem, vrgere non erubescat, ad *Philonis Iudæi*, qui & *Iosepho* antiquior fuit, & tam doctrina, quam religionis suæ zelo, & sinceritate multũ ei præluxit, testimonium eum remitto, qui de occursu *Melchisedechi Abrahamo* de prælio redeũti, loquens, dicit expresse *eum sacrificâsse & cõ-*

Philo lib de Abrahamo

uiuio exercitum eius recepisse: Et de Sacerdotio & Sacrificio eius alio loco scribens, ait: *Offeratque animæ alimenta plena lætitiæ, & gaudij; panes enim & vinum offert.* Sed cōsulat *Masonus Bibliandrum* suum, qui fidē & doctrinam antiquiorum *Iudæorum* de *Melchisedechi* sacrificio eum docebit. *Erat apud veteres Hebræos* (inquit ipse) *dogma receptissimum, in aduentu Messiæ benedicti. cessatura omnia legalia sacrificia, tantumque celebrandum sacrificium Thoda: gratiarum actionis &c. & illud peragendum pane & vino, sicut* Melchisedech *Rex Salem, & Sacerdos panem & vinum protulit.* Et si *Hebræos* ipsos videre cupiat, consulat *Petrum Gallatinum* de arcanis *Catholicæ* veritatis l. 10. c. 5. 6. 7. qui fontes ipsos, ei indice monstrabit, vt si lubeat, eos videre possit.

Lib. 2. de legis allegorijs

Bibliād. de Trinit. p. 89

Præterea valdè deprauatè authores suos refert *Masonus*. S. enim *Ambrosius*, & *Andradius*, in illis ipsis locis ab eo citatis, expressā sacrificij *Melchisedechi* (quod *Masonus* impudenter negat) mentionem faciunt: *Melchisedech* (inquit *S. Ambrosius*) *panem & vinum obtulit.* Et non loquitur de oblatione facta *Abrahamo*, sed Deo, vt contextum legenti apparebit. Et in

Deprauat au-ctores suos Masonus

Li. 4. de sacra. c. 3

commentariis suis in Epistolam ad *Hebræos*, si tamen sua sint, ita scribit. *Melchisedech secundum legalia mandata non fuit Sacerdos, sed secundum cuiusdam singularis Sacerdotij dignitatem, panem offerens Deo & vinum, non brutorum animalium sanguinem, in cuius ordine Sacerdotij Christus factus est Sacerdos.*

In cap. 5 ad Heb.

Andradius etiam, dum vulgarem Bibliorum editionem, quæ hunc textum *Genesis* 14. sic legit. *Melchisedech panem & vinum proferens, erat enim* Sacerdos, &c. cõtra *Chemnitium* defendit, indeque veritatem *Catholicam* de Eucharistiæ sacrificio eruditè probat, expressam sacrificij *Melchisedechi* mentionem facit. Illum vide Lector, si libeat, & *Masoni* malam fidem, in qua à fratribus suis non degenerat, detestare.

Cardinalis quidem *Caietanus* habet verba relata à *Masono*, sed videtur loquutus potius ex sententia *Iosephi*, quam ex propria: si vero ex mente sua loquutus sit, quis, obsecro, est ille, si cæteris omnibus tam antiquis, quam modernis Doctorib. comparetur?

Relictis interpretibus, in quibus nihil aut valde parum, quod errori suo fa-

ueat inuenire poteſt, vt vidimus, ad textum ipſum ſe conuertit *Maſonus*, & vt aliquid in nouitatis ſuæ defenſionẽ inde colligat, non minus impiè, quam impudẽter vulgarem editionem erroris inſimulat, dicens.

Vulgaris verſio, quam vos (Catholici) *ſequimini, eſt erronea: Nam iuxta textum Hebraicum, non legitur (Erat enim Sacerdos) ſed (Et erat Sacerdos) vt Arias Montanus vertit, & Bellarminus ipſe admittit, adeo vt non coniungantur clauſulæ particula cauſali, ſed copulatiua, ac proinde argumentum ductum à coniunctione cauſali euaneſcit.*

Maſon. pag. 110.

Impudẽter temerarius.

Cuius obiectionis difficultatẽ ipſemet diſſoluit: paucis enim lineis interiectis affert exẽpla eiuſdem lectionis per eandẽ copulatiuam particulam in *Hebræo*, quam tamen ipſimet reddunt per cauſalem. Vt *Ecce tu iratus es, & peccauimus*. Et *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus*. Quæ exempla adducit *Maſonus*, quibus ego alia duo addam. *En morieris propter mulierẽ, & habet virum*. *Et habitabat in terra Auſtrali*. In quibus omnibus locis ipſi pro copulatiua (*&*) legunt cauſalem (*enim*) vel (*quia*.) Cum itaque *Maſonus* cum omnibus nouæ reformationis fratribus, fatea-

Rete quod ipſe texuit demolitur.

Iſaiæ 64. 5.
Lucæ. 1. 42.
Gen. 20. 3.
Gen. 24. 62.

tur particulam *Hebraicam* copulatiuam, quæ in isto textu, quem præ manibus habemus, ponitur, verissimè per causalem verti, & cum in isto loco à doctissimis & antiquissimis patribus semper ita versa fuerit, vt constat tã ex propriis eorum testimoniis, quam ex vulgari editione, quæ antiquissima atq; etiã æquissima est, vtpote multis sęculis ante exortã aliquam hac de re controuersiã edita, nonne plusquam peruersus & impius est, qui eam versionẽ, seu electionem erroris cõdẽnare audet? Sed huic effugio nõ multũ confisus, testimonij istius authoritatem alia ratione eleuare conatur, dicendo,

Tergiuersatur

Quod Melchisedech conuiuio receperit Abrahamũ, proprij muneris contemplatione ad hoc motus; nimirum, quia non tantum veræ religionis professor, sed & Sacerdos extitit. Quãuis enim omnes, qui eandem amplectuntur fidem, specialis amoris, & gratulationis officiis se mutuo prosequi debeant; hoc tamen amicitiæ obsequium ad Sacerdotes specialiter spectare videtur, hincque Andradius vester, magnum religionis vinculum esse obseruat. Non itaque necesse est eum panem & vinum in sacrificio obtulisse, quandoquidem ipse textus etiam iuxta versionem & lectionem vestram, ex iudicio

quorundam vestrorum doctorum absque omni sacrificij mentione, præclarum habere potest sensum.

Quasi vero *Melchisedech* in pane & vino litâsse dicitur, quia nulla apparet alia ratio, cur *Abrahamo* occurrens panem, & vinum protulerit, nisi vt illa sacrificaret: Et non quia sacra Scriptura à sanctis Doctoribus, & Pastoribus Ecclesiæ (quibus clauem scientiæ tradidit Deus, vt sacra eius eloquia populo suo interpretarentur) elucidata, ita loquatur. Verba enim sacri textus lecta, & intellecta, vt ab initio vsque ad nostrum sæculum semper lecta, & intellecta fuerunt, (si sacrificij mentionem excludamus) sensum commodum habere nequeunt. Nam tametsi *Melchisedech*, ex vinculo religionis moueri posset, vt *Abrahamo* de parta victoria congratularetur, & conuiuium etiam ei pararet: Cum tamen Spiritus sanctus ratione, cur panem & vinum protulerit, afferat, *quod Sacerdos esset Dei summi*, necesse est aliquid intelligi ab eo circa panem & vinũ factum, quod Sacerdotali muneri erat peculiare, hoc autem fuisse sacrificiũ nemo dubitare potest. quod enim cõuiuio

Refellitur.

Abrahamum exceperit, magis ad regalem quam Sacerdotalem dignitatem ſpectat. Ac proinde ſi alia occaſio proferendi panem & vinum *Melchiſedecho* non fuiſſet, quam vt *Abrahamum* hoſpitio reciperet, ac reficeret, Scriptura ſacra illius actionis rationem reddens dixiſſet potius: (*Erat enim Rex illius Regionis*) & non (*Erat enim Sacerdos Dei altiſſimi.*)

Deinde quandoquidem ex religionis vinculo motus fuerit *Melchiſedech*, vt *Abrahamo* aduenæ de parta victoria congratularetur, eique epulum ciuile apponeret, potius quam vicinis Regibus de perdita victoria condoleret, idem Religionis vinculum eum Sacerdotem exiſtentem, vt Deo ſacrificium Euchariſticum pro eo offerret, & conuiuium ſacrum illi pararet, à fortiori monere deberet, præſertim cum mos fuerit conuiuia publica & ſolennia (quale illud fuit) à ſacrificiis Deo oblatis ſemper inchoare. Neque *Andradius* ſenſum aliquem, non præclarum modo, ſed nec vllum omnino, qui ſacrificium *Melchiſedechi* excludat, illorum *Geneſis* verborũ admittit, vt ei *Maſonus* imponere cupit.

Sed præcipuum iam *Masonus* contorquens iaculum, ait. *Tametsi fingamus Melchisedechum panem & vinum Deo obtulisse, id tamen nihil quicquam causæ nostræ* (Catholicæ) *prodesse poterit. Quia in nostra doctrina, Christus Dominus panem & vinum nunquam immolauit, sed corpus suum & sanguinem. Ac proinde ex sacrificio panis & vini, quod Melchisedechum obtulisse contendimus, tale Sacerdotium, quale Christum in vltima sua cœna instituisse voluimus probari nequit.*

Præcipua Masoni obiectio.

Huic obiectioni, quam ex *Iuello* desumpsit *Masonus*, *S. Cyprianus* iam ante mille & trecentos annos satisfecit, neque aliter ei respondebo, quam illius verba referendo, vt *Masonus*, & omnes nouatores videre possint, doctrinam præsentis Ecclesiæ *Catholicæ* eandem esse in hac cōtrouersia, cum eiusdem Ecclesiæ doctrina tempore *S. Cypriani*. Sic igitur habet sanctissimus ille Episcopus, & Martyr. *Quis magis Sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerit, id est panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem?*

Contunditur.

Epist. 63 ad Cecilianum.

Præclara S. Cypriani doctrina.

Et si *Masonus*, vel alius incredulus inquirat, quomodo *Christus* Dominus cor-

pus & sanguinem suũ obtulisse dici possit (vt *S. Cyprianus* cum tota Ecclesia *Catholica* docet, & semper docuit) & tamẽ illud idẽ obtulerit quod obtulerit *Melchisedech*, scilicet panẽ & vinũ. Huic quæstioni (quæ in fide, vel infidelitate potius sectariorum nostrorum difficilis videtur) facile satisfacit idem S. Martyr, verbis sequentibus ita subiungens. *Vt ergo in Genesi per Melchisedechum Sacerdotem benedictio circa Abraham posset ritè celebrari, præcedit ante imago sacrificij Christi in pane & vino, scilicet cõstituta: quã rẽ perficiẽs & adimplens Dominus, panẽ & calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit.* Quibus clarè docet sanctus ille martyr, quod *Christus* Dominus, cuius figuram gessit *Melchisedech*, corpus & sanguinem suum in cœna offerens, illud idem in re & veritate obtulit, quod *Melchisedech* in vmbra & figura, pane scilicet & vino obtulerat.

Res à specie externa quãdoq; nominãtur.

Quamuis etiam ea ratione dici possit, *Christum* idem quod *Melchisedech* obtulisse, quia in externa specie nullum erat inter vtriusque victimam discrimen, tametsi in interiori substantia differebant, tanquam figura & veritas, vel tanquam vmbra & corpus. Non est enim in sacris

literis nouum neque inusitatum, rem aliquam secundum speciem exteriorem nominare, vt, *Ecce duo viri steterunt iuxta eos in vestibus albis*, Et iterum. *Et vir stetit ante me in veste candida*, &c. & sæpè aliàs.

Act. 1. 10.

Act. 10. 30.

Hactenus cauillationes *Masoni*, quibus doctrinam *Catholicam* de sacrificio *Melchisedechi* in pane & vino infirmare contendit, refutauimus. Iam arguentis partes agentes, ab eo vel quouis alio sacrificium illud negante, quærimus in qua re vel actione, peculiare eius sacerdotium ponendum esse existimant? Ista enim certa sunt; Primò, quod Sacerdos fuerit. Deinde, quod peculiarem Sacerdotij ordinem, & ab illo *Aaronis* disparem habuerit. Præterea, quod *Christus* Dominus Sacerdos erat ex illo ordine; Denique ordinem illum præcipuè nobis esse honorandum; tum quia altissimo Deo placuit eum in tantum sublimare, vt filius suus vnigenitus illius ordinis Sacerdos pro nobis fieret; tum etiam quia Deus ipse mirificè illum ordinem prædicat, firmiterque stabilit, dum per prophetam suum ait: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Quæ omnia

Quæstio aduersarys penitus insolubilis

non inuunt modo, sed etiam clarè demonstrant, quod nostra plurimum intersit, in quo Sacerdotium illud tantoperè à Deo honoratum consistat, intelligere. Quod à nostris nouatoribus, qui panis & vini sacrificium negant, scire velim.

Ostendant ergo nobis ex sacra Scriptura, rem aliquam vel actionem in qua singulare hoc *Melchisedechi* Sacerdotium vel eius exercitiū consistere potuit. Quod, cum sacrificium eius in pane & vino reijciant, non magis illis est possibile, quam solem digitis suis è cęlo euellere. Ac proindè vel *Melchisedechum* peculiaris alicuius ordinis Sacerdotium habuisse (contra expressam scripturam) negent, vel illum panem & vinum sacrificâsse concedant necesse est. Tria enim, quæ ad Sacerdotale munus spectare videntur, *Melchisedechum* gessisse testatur scriptura. Primum, panem & vinum protulit. Secundum, *Abrahamo* benedixit. Tertium, decimas ab eo accepit. Duo vero posteriora *Aaronis* Sacerdotio communia sunt, vt constat ex locis in margine citatis. Ergo solum primum *Melchisedechi* Sacerdotio peculiare fuit.

Hebr. 7. 11. 12.

Num. 6. 23.

Hebr. 7. 5.

Nonne obsecro nimia peruicacia

in transuersum aguntur noui nostri Euangelistæ; qui in deceptionem, & perpetuam animarum suarum, sectatorumque suorum ruinam, clarum sacræ Scripturæ testimonium, à tot tantisque Ecclesiæ Dei pastoribus, æquissimis certe sacri eloquij interpretibus elucidatum, in re summi momenti reijcientes, vanas proprij sui cerebri coniecturas, & imaginationes sectantur? Enimuero ea est omnis hęresis impotens peruicacia, vt nihil omninò curet, quæ quãtaque absurdissima incommoda incurrat, modo veritas *Catholica* in minimo obscuretur; & à miseris hominibus, qui tamen absque ea saluari nequeunt, in dubium vocetur.

Mira hæreticorum peruicacia.

Apostolus ad Hebræos (inquit Masonus) *loquens expresse de typo isto* (nimirum in quo *Melchisedech* figura erat *Christi* Domini) *de sacrificio suo nullum facit verbum, sed in eis quæ sequuntur eum explicat, quod fuerit Rex iustitiæ, quod fuerit rex pacis: quod fuerit Rex & Sacerdos, quod Abrahamo benedixerit, quod decimas ab eo receperit, quod absque patre fuerit, atque matre, denique quod neque initium dierum habuerit, neque finem. Hucusque scriptura typum* Mel-

Noua Masoni obiectio.

chisedechi minutim explicando procedit, & tamen nec verbum vllum dicit de eius sacrificio: quod euidens est argumentum, illud merum esse inuentum humanum.

Dissoluitur.

Verum quidem est *Melchisedechum* in his omnibus (inter quæ numeratur quod fuerit Sacerdos) *Christi Iesu* figuram & typum gessisse. Quod vero nullum in his omnibus verbũ sit de eius sacrificio, falsum est. Nam cum *Masonus* ipse inter cætera, in quibus *Melchisedech Christum* præfigurabat, numeret quod fuerit Sacerdos: & Apostolus nihil aliud faciat in toto illo capite, quam Sacerdotium *Christi* secundum ordinem *Melchisedechi* inculcat (vt caput illud legenti apparebit) quis nisi vel ignorantia stupidus, vel peruicacia penitus occæcatus, scripturam nihil de sacrificio *Melchisedechi* loqui affirmaret, quandoquidem Sacerdotium & sacrificium non minus, vt omnes nôrunt, se mutuò inferunt quam paternitas & generatio? Peto à te *Masone*, si quis diceret te patrem esse nihilne diceret de illa actione & operatione, sine qua impossibile est te patrem esse? Non hoc dices scio. Quomodo ergo tu *S. Paulum* nihil de sacrificio *Melchisedechi* loquutum fuisse tam

Ca. 7. ad Hebr.

audacter aſſeris, quandoquidem tam amplam, frequentemque de eius Sacerdotio mentionem facit; niſi fortè inueneris tu (quod nullus alius hactenus inuenit) Sacerdotium aliquod abſque ſacrificio?

Pergit adhuc mentiri inſanus miniſter, & ait: *Non eſt in totis ſacris Biblijs vnũ verbũ declarans, quod Melchiſedech in oblatione incruenti ſacrificij panis & vini, figuram Chriſti geſſerit. Quod certè ſilentium tanquam vox tubæ eſt, quæ mundo clamat, Papiſmum merum eſſe inuentum humanum, & quod cito à radice vnde pullulauerit areſcet & exiccabitur.*

Hæretica iactãtia.

Iſtæ tuæ comminationes (*Maſone*) ſunt phanaticæ, atque hæreticæ vanitates, non diſſimiles illis, quas *Lutherus* pater tuus contra Papam olim deblaterabat. Cum tamen illo iam dudum mortuo, & in putredinem & puluerem redacto, Papa in eodem quo erat, ſtatu, antequam ipſe naſceretur permaneat. Sicut etiam Papiſmus (vt tu *Catholicam* veritatem irriſoriè nominas) poſtquam tu & complices tui, vnà cum cœteris omnibus, qui Eccleſiam *Chriſti* ab initio impugnârunt, hæreſos & rebellionis ſuæ contra Deum & Eccleſiam ſuam rationem reddituri

hinc abieritis, perseuerabit. Deus misericors det tibi & reliquis omnibus in errore existentibus gratiæ suæ lumen, vt veritatem videre, & agnoscere possitis. Sed ad rem. Non equidem miror quod in totis sacris Biblijs nullum inuenire possis verbum de *Melchisedechi* in pane & vino sacrificio, incruentum *Christi* sacrificium repræsentante. Nullus enim vnquam hæreticus, minimum quidem verbum in sacris Scripturis contra suos errores adhuc reperire potuit. *Arius* non potuit ibi inuenire Filium Dei Patri esse consubstantialem. *Eunomius* & *Macedonius*, Spiritum sanctum verum Deum Patri & Filio in natura æqualem in sacris Biblijs reperire non potuerunt. *Nestorius*, *Eutiches, Pelagius*, & quotquot vnquam fuerunt errores & hæretici, nullum cõtra falsitates suas verbum in sacris Biblijs videre potuerunt. Sed quid inde? Sacra Scriptura nihilne contra istas omnes damnatas ac damnabiles hæreses continet? Quantumuis miseri isti, hæretica sua superbia & obstinatione excæcati, nihil tale in eis repererint; Orthodoxi tamen doctores & pastores, qui contra peruersos istorum insultus, *Catholicam* veritatem

Hæretici in scripturis nihil cõtra suos errores vident.

tatem propugnârunt, eam in sacris libris contẽtam clarè legerunt, sicut etiam eorum successores hanc eandem veritatem, quam *Masonus* impugnat, in eisdem scripturis dilucidè conspiciunt. Quam etiam antiqui illi pastores, qui priores condemnârunt hæreticos, ibi quoque viderunt, legerunt, atque docuerunt, vt tu (*Masone*) expressè fateri cogeris. Istorum certè iudicio, qui ab omni studio partium (vtpote multis sæculis ante partialitates has enatas, vita functi) immunes fuerunt, credere deberes, tametsi præsentis Ecclesiæ authoritati credere dedignaris. Audi iam tuam ipsius de doctrina patrum antiquorum confessionem. Obiectioni enim, quod Patres sacrificium *Melchisedechi* typum Eucharistiæ constituant, respondens, dicis.

Agnoscit patres docere Melchisedechi sacrificium.

Primùm, *quidam patres non dicunt quod Melchisedech panem & vinum Deo obtulerit, sed Abrahamo.* Esto, hoc non excludit, sed potius includit oblationem Deo factam, vt superius vidimus.

Secundò, *qui dicunt panem & vinum sacrificium Deo oblata fuisse intelligi possunt de sacrificio Eucharistico, non propitiatorio.*

Omnes patres qui vel in 24. Genesis, vel in psalmũ 109. scribunt vel occasionaliter quæstionem hanc tractãt, de sacrificio panis & vini loquuntur

Sit ita, hoc nobis abundè sufficit, ad stabiliendum verum ac proprium in nouo testamento sacrificium, de quo hîc disputamus; sed & de propitiatorio etiam sacrificio eos intelligi debere, tu ipse negare non audes, vt statim in proximis verbis videbitur: addis enim,

Tertiò, *si aliqui patrum dicant ipsum* (Melchisedechum) *sacrificium propitiatorium obtulisse, non inde tamen sequitur, quod in Eucharistia sit sacrificium propitiatorium, quia illi sacrificium Melchisedechi typum Eucharistiæ faciunt.* Et quare non sequitur? Nonne precor, natura & conditio typi vel figuræ talis est, vt semper sit imperfectior, quam sit prototypus seu res figurata? Si ergo *Melchisedech* panem & vinum litans, sacrificium propitiatorium obtulerit, vt patres aliquos docuisse ingenuè agnoscis, Eucharistiam, hoc est corporis & sanguinis Christi oblationẽ, cuius typus & figura illud sacrificiũ fuit, sacrificium quoque propitiatorium esse, iuxta dictorum patrum doctrinam & rei ipsius veritatem à fortiori concedere necesse erit. Pergis tamen & dicis,

Sacrificium propitiatorium.

Conuincitur aduersarius.

Illos, qui hoc docẽt (nimirũ *Melchisedechũ*

sacrificium propitiatorium obtulisse) *duplicem eiusdem panis & vini oblationem necessariò constituere, priorem Deo per modum sacrificij, posteriorem vero Abrahæ & exercitui eius, per modum conuiuij: prior Christum in cruce oblatum, posterior Eucharistiam respicere, & præfigurare potuit.*

Nullum est dubium, quin patres duplicem hanc panis & vini oblationem intelligerent, vnam Deo in sacrificium, alteram vero *Abrahamo*, & eius exercitui in eorum refectionem; vtrum autem prior illa oblatio *Christum* in cruce, an vero in cœna sub speciebus panis & vini oblatum in horum patrum doctrina respexerit, clarissima eorum testimonia, & aperta *Caluini* & *Centuriatorum* inferius referenda confessio, euidenter demonstrant. Sed tu addis,

Quarto, Missaticum vestrum sacrificium transsubstantiationem præsupponit, quæ institutioni Eucharistiæ à Christo factæ repugnat (vt in loco conuenienti demonstrabitur) idcirco patres illi, qui Eucharistiam iuxta Christi institutionem, intelligunt, Melchisedechi typum ad sacrificium transsubstanslatitium referre nequeunt.

Fugit quæstionem.

Fugis (*Masone*) fugis quæstionem. Quid tibi rei est impræsentiarum cum transsubstantiatione? Disputatio nostra est, vtrum iuxta sanctorum patrum doctrinam, Scriptura sacra de panis & vini sacrificio à *Melchisedecho* oblato, mentionem aliquam faciat, necne. Quare igitur fugis tu ad transsubstantiationem? Sed ratio in promptu est. De præsentis enim quæstionis euidentia conuictus, & tamen veritatem ob erroris peruicaciam agnoscere refugiens, ad quæstionem de transsubstantiatione, quæ ante præsentis controuersiæ decisionem tractari non potest, vt tu ipse perspexisti, quando illius tractationem in alium locum transtuleris, ad fucum aduersario tuo, & lectori faciendum fraudulenter recurris.

Sed missa faciamus ista, eis quæ potens veritas à te renitente licet, extraxit, contenti, dicas mihi velim, quid tu de illorum patrum doctrina sentis, quos fateris docuisse *Melchisedechum* panem & vinum in sacrificium Deo obtulisse, siue Eucharisticum, siue propitiatorium (nostra enim impræsentiarũ nõ multũ refert) nimirũ vtrũ sacræ Scri-

pturæ conformis fuerit necne. Si respondeas negatiuè; nullus est (cui minima sensus tantum communis scintillula inest,) qui dicto tuo fidem adhibebit. Quis enim omnis rationis lumine non orbatus suspicari potest, præclara illa Ecclesiæ Dei lumina, summosque gregis *Christi* pastores, (quorum doctrina, pietas, vigilantia, aliaque maxima dona, & virtutes, eos venerandos atque suspiciendos toti posteritati reddiderunt, & qui multa sæcula ante exortam præsentem controuersiam vixerunt, ac proinde ab omni passione, partiumque studio immunes extiterunt) non magis idoneos habilesque fuisse, verum sacræ Scripturæ sensum exquirere, maiorique sinceritate inuentum tradere & docere, quam vel tu, *Masone*, vel quiuis alius reformatæ fraternitatis consors? Quantumuis enim æquali, sapiētia, sciētia, pietate, vitæ sanctimonia, cœterisque gratijs & virtutibus cum antiquis illis patribus essetis, (cum nihilominus magis, quam à camelo culix, ab illis distatis) tamen cum huius controuersiæ

Premitur aduersarius.

authores sitis, & consequenter causam propriam agatis, iudicium vestrum iure merito redditur suspectum. Quapropter si velis vt fides vlla verbis tuis adhibeatur, interrogationi nostræ respondeas necesse est, & dicas doctrinam patrum de sacrificio panis & vini à *Melchisedecho* in figuram Eucharistiæ oblato, sacris scripturis verè esse conformem. Vnde tandem egregiam illam temeritatem, apertissimamque falsitatem, quam his verbis effutijsti, tibi reuocandam esse videbis. *Non est in totis sacris biblijs* (ais) *verbum vllum declarans, quod Melchisedech incruentum panis & vini sacrificium offerendo, typum Iesu Christi gesserit.* Et iterum. *Negamus quod Melchisedech vllum panis & vini sacrificium Deo obtulerit.* Iam ex eis quæ hactenus diximus, sacerdotiũ vere ac proprie sacrificatiuum, verique sacrificij oblatiuum in *Christi* Ecclesia esse, & manere breuiter concludamus.

Pa. 215.

Pa. 209.

Ex sacra scriptura habemus primo *Melchisedechi* sacerdotium. Secundo, peculiarem sacerdotij eius ordinem, distinctum ab ordine *Aaronis*. Tertio habemus ex sacra scriptura à sanctis patribus interpretata, Melchisedechi sacrificium in

Gen. 14 18.
Heb. 7. 11. 12.
Gen. 14

pane & vino tanquam proprium peculiaris sacerdotij sui actum & ritum. Quartò habemus ex scriptura, quod *Christus* Dominus fuerit sacerdos secundum peculiarem ordinem *Melchisedechi*. Vnde necessaria consequentia sequitur, quod in proprio ritu ordinis *Melchisedechi* sacrificauerit, hoc est in pane & vino. Quintò habemus, quod Apostolis suis & mandatum & potestatem dederit, illud idem faciendi, quod ipse, dum iuxta ritum ordinis *Melchisedechi* obtulerit, fecit. Et quia clarum est illam potestatem concessam fuisse Apostolis, non vt simul cum ipsis expiraret, sed vt ad successores suos deriuata in Ecclesia perpetuo maneret, sicut etiam potestas baptizandi, Euangeliumque prædicandi, manifestum est eandem potestatem sacrificandi in Ecclesia *Christi* etiam hodie existere: Et consequenter verum quoque sacerdotium, quale fuit sacerdotium *Melchisedech*, cuius ordinis *Christus* Dominus per immutabile iusiurandum æterni patris sui sacerdos extitit.

Clara instituti nostri deductio.

Psalm. 109.

Heb. 9.

Luc. 22. 19.

Ministerij reformatorum ex scripturis probatio postulatur.

Similem iam ex sacra scriptura per

antiquos patres interpretata deductam probationem, pro inani *Protestantium* ministerio libens viderem, quam quidem ab eis optimo iure expetere possumus, quandoquidem neque credere, neque docere quicquam prętendunt, quod ex sacris scripturis non prius probauerint. Sed ad secundam iam sacerdotij *Christiani* probationem veniamus.

2. Nostra probatio.

Secundum sacræ Scripturæ testimonium, qui sacerdotium veri proprijque sacrificij oblatiuum, in Ecclesia *Christiana* clare probatur, ex prophetia *Malachiæ* desumitur, qui excellentiam sacrificij sub nouo testamento futuri, his verbis prædixit. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum* (ad sacerdotes ordinis Aaronici loquens) *& munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.*

Malachiæ 1. 11.

Noui Euangelismi professores, non negant prophetiam istam in Ecclesia *Christi* impleri debere, atque adeo iam impletam esse, sed oblationem

hanc mūdam, de qua loquitur Propheta, propriū, verum atq; sensibile aliquod sacrificium esse negant; sed spirituale, internum, atque metaphoricum tantum volunt esse, quale est oratio, gratiarum actio, laudatio, & similia. Sed miserū est hoc effugium, ad quod tamen necessario recurrere coguntur. Nam si per oblationem hanc mūdam, de qua loquitur Propheta, verum ac proprium sacrificium cum *Catholica* veritate intelligerent, Ecclesias suas falsò dictas reformatas, quæ tale sacrificium tāquam idololatriam reiiciunt, manifestæ hæresis condemnarēt. Nihilominus si vlla nobis suppetat certa via, verum sacræ Scripturæ sensum inuestigandi, vel ex ipsorum verborum littera & sono, vel ex loci ipsius contextu, vel ex antiquæ Ecclesiæ interpretatione & intelligentia, vel ex concordia & conformitate tam cum aliis sacræ paginæ locis, quam cum rationis lumine & discursu, vel tandem ex his omnibus simul, istam nouatorum nostrorum interpretationem falsam, & illam *Catholicorum*, qui per oblationem hanc mundam, verum sacrificium intelligunt, veram esse necesse est fateri.

Sonus verborũ. Primùm verba iſta, *Sacrificatur & offertur oblatio* abſolutè & abſque reſtrictione, quæ ad ſpiritualem ac metaphoricum ſenſum ea determinet, prolata, in vera, propria, ac naturali eorum ſignificatione, & vt ſonant, iuxta regulas interpretandi omnes leges tam diuinas, quam humanas intelligi debent. Ergo de vero, & non metaphorico ſacrificio intelligenda erunt.

Pag. 220 Iſaiæ 66 20. *Maſonus* occurrit dicens, hanc regulam non ſemper eſſe *veram. Iſaias enim dicit (Et adducent omnes fratres veſtros de cunctis gentibus donum Domino:) vbi Iſaias eodem verbo, quo Malachias vtitur, & tamen certum eſt, quod illi qui adducendi erant, non carnaliter, ſed ſpiritualiter offerri debebant*.

Non eſt ad rem hoc exemplũ. Quis enim non videt particulam illam (*fratres*) verbum illud (*donum*) ad ſpiritualem ſenſum reſtringere ? Oſtendatur ſimilis reſtrictio in textu *Malachiæ*, & aliqua erit proportio & ſimilitudo.

Cohærẽtia contextus. Secundo, cohærentia contextus oſtendit Prophetam loqui de vero, ac proprio ſacrificio. Nam in toto illo capite facit antitheſin inter puram hanc ob-

lationem, & oblationes seu sacrificia legis *Mosaicæ*, quæ vera ac propria erant sacrificia, nec verbum vllum habet de sacrificio improprio seu metaphorico.

Tertiò, circumstantiæ locutionis, & proprietates sacrificij hic descripti non conueniunt sacrificio spirituali & metaphorico, orationi scilicet, gratiarum actioni, & huiusmodi. Nam sacrificium, de quo hîc Propheta, vnicum est, illa vero sunt plura: Istud peculiare est Ecclesiæ ex gentibus collectæ; illa communia non solum Iudæis sub lege scripta; sed etiam iis, qui vixerunt antè, sub lege naturæ. Istud succedit in locum sacrificiorum Iudaicorum, quæ proinde cessare debent, illa nullis sacrificijs succedunt, sed omnibus omnium temporum oblationibus coniunguntur. Istud est sacrificium ex se mundum, & ab offerente non potest pollui; illa polluta sunt, & tanquam pannus menstruatæ iuxta Protestantium doctrinam. Per istud sacrificium nomen Dei mirificè glorificatur in gentibus: hoc vero proprium est externo ac sensibili sacrificio. Internæ enim & spirituales oblationes, cum totam suam bonitatem, & perfectionem ab interiori

Circumstantiæ loci. Argumentum conuincens.

mentis intentione habeant, quæ cũ omnes præterquam illum à quo exercẽtur, lateant, aptæ ex se non sunt, vt ab aliis Dei nomen per ea magnificetur. Econtra vero istæ omnes conditiones, & proprietates, sacrosancto corporis & sanguinis *Christi* Sacrificio, quod Prophetã hîc prædixisse semper creditum fuit (vti inferius videbimus) exactissimè conueniunt.

Vide Philonẽ Iudæũ l. de victimis.

Hoc argumentum adeo aduersarios nostros constringit, vt eos nulla ex parte elabendi copiam relinquat, immo quo magis contra illud luctantur, eo fortius tenẽtur, vt videbimus in *Masono* nostro, qui omnes omnino angulos, vt huius argumenti vim declinet, frustra perquirit.

Elabi cupit Masonus, sed frustra.

Ad primam proprietatem ait: *quod tametsi verbum quo vtitur Propheta, singularis numeri sit, pluralis tamen vim habet, vt illud (Hostiam & oblationem noluisti) vbi quãuis verbum sit singulare, sensus tamen est pluralis.*

Pag. 220

Contra primam cõditionem obiicit Masonus

Sed non aduertit, vel certe aduertere noluit, idem omnino esse discrimen inter istud *Malachiæ* dictum, *In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio*

munda. Et illud Psalmi, *Hostiam & oblationem noluisti*: quod est inter ista duo. *Rex nullum donum, vel munus recipiet*. Et, *Donum vel munus à ciuitate Regi offeretur*. Primum enim dictum, quamuis numero singulari exprimatur, non vnius tamen, sed omnium munerum repudiationem manifestè indicat: Secundum vero dictum vnius tantum singularis doni oblationem euidenter importat.

Si huius rei rationem *Masonus* non capiat, Logicam suam, quæ differentiam inter affirmantem & negantem propositionem illum docebit, consulat; non vacat enim prolixiorem huius rei explanationem illi hoc in loco exhibere. Hinc tamen videt (nisi forsan oculos habeat, & non videt) instantiam ab eo allatam, ad propositum non esse, ac proinde argumentum nostrum, quantum ad hoc membrum attinet, firmum, integrum, solidumque manere. Sed reliquas eius cauillationes, in quibus non solum ineptum & impertinẽtem, sed etiam impium se demonstrat, videamus.

Contra 2. obiicit

Ad secundam ait, *Iudæos quidem orare ac laudare Deum potuisse vbique sicut & nos, sed hoc illis non sufficiebat, nisi spiritualibus*

his sacrificijs; carnalia quoque tempore, & loco statuto adiungerent: adeo vt spiritualia eorum sacrificia mixta essent, nostra autem mere spiritualia sunt, quæ & nouo testamento propria, ac peculiaria existunt.

Iudæum magis quam Christianum se ostēdit Ecclesiā Synagogæ postponens.

Nonne hoc est religionem *Iudæorum Christianæ* religioni manifestè anteferre? Si namque *Iudæi* oblationes & sacrificia, (in quibus professio, & cultus religionis præcipuè consistit) eadem cū *Christianis* habeant, & præterea sacrificia externa & corporalia frequentent, quibus non solum laudes, & gratiarum actiones, sed etiam bona sua, & temporalem substantiam Deo offerunt, quis negare potest, eorum cultum & religionem nostram longo interuallo post se relinquere? Talis quidem est omnium hæreticorum obstinata peruicacia, vt potius quam *Catholicam* veritatem, in sacris Scripturis clarè expressam, antiquorūq; omnium authoritate testificatam, agnoscere, amplectique velint, immaculatam *Christi* sponsam, *(de qua gloriosa dicta sunt,)* reprobata *Iudæorum* Synagoga, in cultu, & religione inferiorem, multoq; imperfectiorē constituere nō abhorreant. Sed neque adhuc ignorantiæ suæ, vel malitiæ

Synagogam Ecclesiæ anteponit.

Psal. 86. 2.

erga Ecclesiam Dei mensuram impleuit.

Ad tertiam enim sacrificij à *Malachia* prædicti conditionem, quæ erat, quod illud *Iudæorum* sacrificiis succedat, cum tamen spiritualia sacrificia nullum sequantur, sed cum omnibus aliis coniũgantur, ait, *Tametsi spiritualia Iudæorum, & Christianorum sacrificia eiusdem erant naturæ & substantiæ, differebant tamen in modo: quia (vt iam dixi) eorum sacrificia mixta erant, partim tantum spiritualia, nostra vero merè sunt spiritualia, & ista illis succedunt,*

Contrà 3. obiicit

Inidẽ recidit incõmodũ.

Quid, quæso, aliud est hoc, quam quod cultus & religio Iudæorum eadem sit reipsa cum cultu, & religione Christianorum, & quod differant tantum in modo, & tali etiam modo, vt religio Iudæorum multo perfectior sit, quam illa Christianorum, quandoquidem omnem eius perfectionem in se contineat, & aliam insuper ei superaddat? Sed *Masonus* existimat se istud incõmodum perdoctè præoccupâsse, dicendo: *eorum sacrificia mixtim, nostra vero mere esse spiritualia*: quibus nostra meliora perfectioraque esse innuere vult; quod tamen magis absurdum est.

Nam ſpiritualia atque interna ſacrificia, ex eo quod illis adiungãtur corporalia, & externa, non fiunt minus ſpiritualia, & conſequenter neque minus perfecta. Quod *Maſonus* ipſe in hoc exẽplo nõ negabit. Si quis illi crumenam cum centũ nummis aureis daret, & alius aliam cum eodem aureorum numero, & inſuper centum argenteos nummos adiiceret, non æſtimaret (ſcio) hunc poſteriorem aliquid minus, vel deterius illi donâſſe. Quo modo ergo, niſi omnino excors euaſerit, ſacrificia ſpiritualia Iudæorum, quæ eadem eſſe dicit cum illis Chriſtianorum minus ſpiritualia, adeoque minus perfecta, & non potius magis perfecta, ex conſortio, & adiunctione corporalium fieri, exiſtimare poſſit? Certe ſi aliter ſe res haberet, cum Deus eis huiuſmodi corporalia vna cum ſpiritualib. ſibi offerre præceperit, aliquid, & ſibi minus gratum, & ipſis offerentibus nociuum, vtpote ſacrificiorum ſuorum valorem, & dignitatem imminuens præcepiſſet, quo nihil magis abſurdum excogitari poteſt.

Cum itaque Iudæi eadem cũ Chriſtianis ſacrificia ſpiritualia habeant (vt

Maſonus

Masonus fatetur) atque insuper sacrificia corporalia à Deo ipso instituta; & præcepta, quæ propterea mala non sunt, neque aliorum valorem imminuunt, necesse est Iudæorum oblationes & sacrificia perfectiora esse, quam nostra, & cõsequenter eorum etiam religionẽ, & cultum meliorem esse, quam est illa Christianorum, adeoque *Masonus*, dum Protestans esse cupit, magis Iudæum, quam Christianum sese ostendit.

Ex his clarè concluditur, ad hoc vt cultus & religio Christiana perfectior sit, quam fuit illa Iudæorum, & quod Deus cultui perfectiori imperfectiorem substituisse non dicatur, necessarium esse in noua lege sacrificium aliquod externum, sensibile, ac proprium; quod sacrificiis similibus Iudæorum succedat, perfectiusque illis existat. Sed videamus iam reliqua *Masoni* subterfugia, si forte saniorem, & magis dignam homine Christiano doctrinam contineant. Quartam conditionem sacrificio à *Malachia* prædicto ascriptam discutiens, nimirum quod *sit mundum*, in tantum vt ab offerente pollui nequeat, cum tamen sacrificia spiritualia, quæ nostra sunt

Quartã cõditionem disc. cutit Masonus

tantum regenerata est, procedunt, adeo vt aqua pura canales lutulentos permeans, limum colligat.

O crassum & lutulentum cerebrum! quod errorem supra errorem, tam facilè ædificat. Vt probet opera nostra, etiam ea, quæ à diuina gratia procedunt impura immundaq; esse, à voluntate humana, *ex parte tantum regenerata ea procedere*, ait: ex parte dicit regenerata, quasi non esset tota renata & perfecte abluta, contra quamplurima sacræ Scripturæ clarissima testimonia. *Dei perfecta sunt opera*, ait, *Moyses*. *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua*, inquit Apostolus. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti*. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*, ait Dominus per *Ezechielem* Prophetam. *Lauabis me* (inquit Propheta *Dauid*) *& super niuem dealbabor*. Cum innumeris alijs sacræ Scripturæ testimoniis, quæ clarè ostendunt gratiam sancti Spiritus cordibus nostris infusam, animas nostras adeo ab omni inquinamẽto peccati purgare, vt eas niue, ac lana munda nitidiores reddat. Quomodo ergo adeo

Conrectatur vndique aduersarius, & errorem super errorem struit.

Deuter. 32. 4.
Act. 22 16.
Tit. 3. 5.
Ezech. 36. 25.
Psal. 50.

impuras, & (vt *Masoni* metaphora vtar) adeo lutulentas eas relinquat, vt opera nostra, quæ à clara puraque diuinæ gratiæ scaturigine profluunt, ab illis inficiãtur, impuraque reddantur? Hoc merum hæreticum est cõmentum. Idcirco plusquam falsum est, animas nostras adeo imperfectè regeneratas esse, vt opera nostra à diuina gratia promanantia immunda sint, atque impura.

Rectè (inquiet *Masonus*) si ergo mũda sint bona nostra opera, mundam illã oblationem à *Malachia* prædictam constituere possunt, atque ita validum pro illo contra meipsum formaui argumentum. Pro veritate ipsa argumentatus sũ, & neq; pro illo, neque contra meipsum, vt statim postquam inanes *Masoni* cauillationes plenius detexero, constabit. Contra postrema sua verba sic sibimet obiicit.

Occurritur obiectioni.

Si impura ac lutulenta sint nostra opera, quomodo puram oblationem à Malachia *prædictam efficere queant?* Cui respondet,

Quia denominatio sequitur digniorem partem, & quia semita iustorum quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diẽ, & quia tametsi caro aduersus spiritum rebellet,

Prouer 4. 18.

Sonus verborũ. Primùm verba iſta, *Sacrificatur & offertur oblatio* abſolutè & abſque reſtrictione, quæ ad ſpiritualem ac metaphoricum ſenſum ea determinet, prolata, in vera, propria, ac naturali eorum ſignificatione, & vt ſonant, iuxta regulas interpretandi omnes leges tam diuinas, quam humanas intelligi debent. Ergo de vero, & non metaphorico ſacrificio intelligenda erunt.

Pag. 220 Iſaiæ 66 20. *Maſonus* occurrit dicens, hanc regulam non ſemper eſſe *veram. Iſaias enim dicit (Et adducent omnes fratres veſtros de cunctis gentibus donum Domino:) vbi Iſaias eodem verbo, quo Malachias vtitur, & tamen certum eſt, quod illi qui adducendi erant, non carnaliter, ſed ſpiritualiter offerri debebant.*

Non eſt ad rem hoc exemplũ. Quis enim non videt particulam illam (*fratres*) verbum illud (*donum*) ad ſpiritualem ſenſum reſtringere? Oſtendatur ſimilis reſtrictio in textu *Malachiæ*, & aliqua erit proportio & ſimilitudo.

Cohærẽtia contextus. Secundo, cohærentia contextus oſtendit Prophetam loqui de vero, ac proprio ſacrificio. Nam in toto illo capite facit antitheſin inter puram hanc ob-

lationem, & oblationes ſeu ſacrificia legis *Moſaicæ*, quæ vera ac propria erant ſacrificia, nec verbum vllum habet de ſacrificio improprio ſeu metaphorico.

Circumſtantiæ loci. Argumentum conuincens.

Tertiò, circumſtantiæ locutionis, & proprietates ſacrificij hic deſcripti non conueniunt ſacrificio ſpirituali & metaphorico, orationi ſcilicet, gratiarum actioni, & huiuſmodi. Nam ſacrificium, de quo hîc Propheta, vnicum eſt, illa vero ſunt plura: Iſtud peculiare eſt Eccleſiæ ex gentibus collectæ; illa communia non ſolum Iudæis ſub lege ſcripta; ſed etiam iis, qui vixerunt antè, ſub lege naturæ. Iſtud ſuccedit in locum ſacrificiorum Iudaicorum, quæ proinde ceſſare debent, illa nullis ſacrificijs ſuccedunt, ſed omnibus omnium temporum oblationibus coniunguntur. Iſtud eſt ſacrificium ex ſe mundum, & ab offerente non poteſt pollui; illa polluta ſunt, & tanquam pannus menſtruatæ iuxta Proteſtantium doctrinam. Per iſtud ſacrificium nomen Dei mirificè glorificatur in gentibus: hoc vero proprium eſt externo ac ſenſibili ſacrificio. Internæ enim & ſpirituales oblationes, cum totam ſuam bonitatem, & perfectionem ab interiori

mentis intentione habeant, quæ cũ omnes præterquam illum à quo exercẽtur, lateant, aptæ ex se non sunt, vt ab aliis Dei nomen per ea magnificetur. Econtra vero istæ omnes conditiones, & proprietates, sacrosancto corporis & sanguinis *Christi* Sacrificio, quod Prophetã hîc prædixisse semper creditum fuit (vti inferius videbimus) exactissimè conueniunt.

Vide Philonẽ Iudæũ l. de victimis.

Hoc argumentum adeo aduersarios nostros constringit, vt eos nulla ex parte elabendi copiam relinquat, immo quo magis contra illud luctantur, eo fortius tenẽtur, vt videbimus in *Masono* nostro, qui omnes omnino angulos, vt huius argumenti vim declinet, frustra perquirit.

Elabi cupit Masonus, sed frustra.

Ad primam proprietatem ait: *quod tametsi verbum quo vtitur Propheta, singularis numeri sit, pluralis tamen vim habet, vt illud (Hostiam & oblationem noluisti) vbi quãuis verbum sit singulare, sensus tamen est pluralis.*

Pag. 220

Contra primam cõditionem obiicit Masonus

Sed non aduertit, vel certe aduertere noluit, idem omnino esse discrimen inter istud *Malachiæ* dictum, *In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio*

munda. Et illud Psalmi, *Hostiam & oblationem noluisti*: quod est inter ista duo. *Rex nullum donum, vel munus recipiet*. Et, *Donum vel munus à ciuitate Regi offeretur*. Primum enim dictum, quamuis numero singulari exprimatur, non vnius tamen, sed omnium munerum repudiationem manifestè indicat: Secundum vero dictum vnius tantum singularis doni oblationem euidenter importat.

Si huius rei rationem *Masonus* non capiat, Logicam suam, quæ differentiam inter affirmantem & negantem propositionem illum docebit, consulat; non vacat enim prolixiorem huius rei explanationem illi hoc in loco exhibere. Hinc tamen videt (nisi forsan oculos habeat, & non videt) instantiam ab eo allatam, ad propositum non esse, ac proinde argumentum nostrum, quantum ad hoc membrum attinet, firmum, integrum, solidumque manere. Sed reliquas eius cauillationes, in quibus non solum ineptum & impertinētem, sed etiam impium se demonstrat, videamus.

Contra 2. obiicit

Ad secundam ait, *Iudæos quidem orare ac laudare Deum potuisse vbique sicut & nos, sed hoc illis non sufficiebat, nisi spiritualibus*

Iudæum magis quam Christianum se ostẽdit Ecclesiã Synagogæ postponens.

his sacrificijs, carnalia quoque tempore, & loco statuto adiungerent: adeo vt spiritualia eorum sacrificia mixta essent, nostra autem mere spiritualia sunt, quæ & nouo testamento propria, ac peculiaria existunt.

Nonne hoc est religionem *Iudæorum Christianæ* religioni manifestè anteferre? Si namque *Iudæi* oblationes & sacrificia, (in quibus professio, & cultus religionis præcipuè consistit) eadem cũ *Christianis* habeant, & præterea sacrificia externa & corporalia frequentent, quibus non solum laudes, & gratiarum actiones, sed etiam bona sua, & temporalem substantiam Deo offerunt, quis negare potest, eorum cultum & religionem nostram longo interuallo post se relinquere? Talis quidem est omnium hæreticorum obstinata peruicacia, vt potius quam *Catholicam* veritatem, in sacris Scripturis clarè expressam, antiquorũq; omnium authoritate testificatam, agnoscere, amplectique velint, immaculatam *Christi* sponsam, *(de qua gloriosa dicta sunt,)* reprobata *Iudæorum* Synagoga, in cultu, & religione inferiorem, multoq; imperfectiorẽ constituere nõ abhorreant. Sed neque adhuc ignorantiæ suæ, vel malitiæ

Synagogam Ecclesiæ anteponit.

Psal. 86. 2.

erga Ecclesiam Dei mensuram impleuit.

Ad tertiam enim sacrificij à *Malachia* prædicti conditionem, quæ erat, quod illud *Iudæorum* sacrificiis succedat, cum tamen spiritualia sacrificia nullum sequantur, sed cum omnibus aliis coniũgantur, ait, *Tametsi spiritualia Iudæorum, & Christianorum sacrificia eiusdem erant naturæ & substantiæ, differebant tamen in modo: quia (vt iam dixi) eorum sacrificia mixta erant, partim tantum spiritualia, nostra vero merè sunt spiritualia, & ista illis succedunt,*

Contrà 3. obiicit

Inidē recidit incõmodũ.

Quid, quæso, aliud est hoc, quam quod cultus & religio Iudæorum eadem sit reipsa cum cultu, & religione Christianorum, & quod differant tantum in modo, & tali etiam modo, vt religio Iudæorum multo perfectior sit, quam illa Christianorum, quandoquidem omnem eius perfectionem in se contineat, & aliam insuper ei superaddat? Sed *Masonus* existimat se istud incõmodum perdoctè præoccupâsse, dicendo: *eorum sacrificia mixtim, nostra vero mere esse spiritualia*: quibus nostra meliora perfectioraque esse innuere vult; quod tamen magis absurdum est.

Nam ſpiritualia atque interna ſacrificia, ex eo quod illis adiungãtur corporalia, & externa, non fiunt minus ſpiritualia, & conſequenter neque minus perfecta. Quod *Maſonus* ipſe in hoc exẽplo nõ negabit. Si quis illi crumenam cum centũ nummis aureis daret, & alius aliam cum eodem aureorum numero, & inſuper centum argenteos nummos adiiceret, non æſtimaret (ſcio) hunc poſteriorem aliquid minus, vel deterius illi donâſſe. Quo modo ergo, niſi omnino excors euaſerit, ſacrificia ſpiritualia Iudæorum, quæ eadem eſſe dicit cum illis Chriſtianorum minus ſpiritualia, adeoque minus perfecta, & non potius magis perfecta, ex conſortio, & adiunctione corporalium fieri, exiſtimare poſſit? Certe ſi aliter ſe res haberet, cum Deus eis huiuſmodi corporalia vna cum ſpiritualib. ſibi offerre præceperit, aliquid, & ſibi minus gratum, & ipſis offerentibus nociuum, vtpote ſacrificiorum ſuorum valorem, & dignitatem imminuens præcepiſſet, quo nihil magis abſurdum excogitari poteſt.

Cum itaque Iudæi eadem cũ Chriſtianis ſacrificia ſpiritualia habeant (vt

Maſonus

Masonus fatetur) atque insuper sacrificia corporalia à Deo ipso instituta; & præcepta, quæ propterea mala non sunt, neque aliorum valorem imminuunt, necesse est Iudæorum oblationes & sacrificia perfectiora esse, quam nostra, & cõsequenter eorum etiam religionẽ, & cultum meliorem esse, quam est illa Christianorum, adeoque *Masonus*, dum Protestans esse cupit, magis Iudæum, quam Christianum sese ostendit.

Ex his clarè concluditur, ad hoc vt cultus & religio Christiana perfectior sit, quam fuit illa Iudæorum, & quod Deus cultui perfectiori imperfectiorem substituisse non dicatur, necessarium esse in noua lege sacrificium aliquod externum, sensibile, ac proprium, quod sacrificiis similibus Iudæorum succedat, perfectiusque illis existat. Sed videamus iam reliqua *Masoni* subterfugia, si forte saniorem, & magis dignam homine Christiano doctrinam contineant. Quartam conditionem sacrificio à *Malachia* prædicto ascriptam discutiens, nimirum quod *sit mundum*, in tantum vt ab offerente pollui nequeat, cum tamen sacrificia spiritualia, quæ nostra sunt

Quartã cõditionem discutit Masonus.

opera, & actiones (polluta sint, ac tanquam pannus menstruatæ iuxta doctrinam Protestantium, scitè vt sibi videtur, argumentum contra nos retorquet hoc modo.

Suntne omnia spiritualia nostra sacrificia immunda? Ergo omnia nostra bona opera sunt imperfecta; & si imperfecta, iustificare non possunt, meritoria esse non possunt, satisfactoria esse non possunt.

Ignorātiam suā prodit.

Ignoranter omnino, & insulsè, has consequentias ex antecedenti, quod suum tantum est, & non aduersariorum suorum, contra eos infert. Istud enim antecedens, *Omnia spiritualia nostra sacrificia immunda sunt*: non est *Catholicorum*, sed *Protestantium* doctrina, proindeque tametsi ex eo ineuitabiliter contra *Protestantes* concludant *Catholici*; opera nostra iuxta eorum doctrinam non esse oblationem illam mundam à *Malachia* prædictam, quia istæ duę propositiones se mutuo destruunt, nimirum, *omnia opera nostra esse immunda*; & *opera nostra esse oblationem mundam*. Nihilominus ex eodem antecedenti, quod (vt dixi) nostrum non est, contra nos ipsi in-

ferre nequeunt, nostra bona opera non esse meritoria, non esse satisfactoria. Vtrum vero ex contraria propositione, nimirum *bona nostra opera ex gratia Dei elicita meritoria, & satisfactoria sunt*, quam nostram doctrinam agnoscimus, inferri possit, quod sint munda illa oblatio, quam *Malachias* prædixit, alia est disputatio, quam statim attingemus. Sed qua arte, quoue medio ista duo, *opera nostra sunt immunda; & opera nostra sunt munda oblatio à Malachia prædicta; Masonus* concordare faciet, primum perspiciemus. Si enim ista dextrè inter se componere possit, peritissimus mihi quidem artifex erit. Ita ratiocinatur.

Bona opera nostra munda sunt, sed imperfectè, hoc est, disertis verbis loquendo, munda sunt, sed non sunt munda (quæ aperta est contradictio) quod enim imperfectè mundum est, non est mundum, vt omnes nôrunt. Sed cætera videamus, forsan ista tandem conciliabit.

Pugnantia loquitur.

Munda sunt (dicit ipse) *quia ex fonte gratiæ Dei crystallino profluunt; immunda vero, quia ex voluntate humana quæ ex parte*

tantum regenerata est, *procedunt*, *adeo vt aqua pura canales lutulentos permeans, limum colligat.*

O crassum & lutulentum cerebrum! quod errorem supra errorem, tam facilè ædificat. Vt probet opera nostra, etiam ea, quæ à diuina gratia procedunt impura immundaq; esse, à voluntate humana, *ex parte tantum regenerata ea procedere*, ait: ex parte dicit regenerata, quasi non esset tota renata & perfecte abluta, contra quamplurima sacræ Scripturæ clarissima testimonia. *Dei perfecta sunt opera*, ait, *Moyses*. *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua*, inquit Apostolus. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti*. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*, ait Dominus per *Ezechielem* Prophetam. *Lauabis me* (inquit Propheta *Dauid*) *& super niuem dealbabor*. Cum innumeris alijs sacræ Scripturæ testimoniis, quæ clarè ostendunt gratiam sancti Spiritus cordibus nostris infusam, animas nostras adeo ab omni inquinamẽto peccati purgare, vt eas niue, ac lana munda nitidiores reddat. Quomodo ergo adeo

Coarctatur vndique aduersarius, & errorem super errorem struit.

Deuter. 32. 4.
Act. 22 16.
Tit. 3. 5.
Ezech. 36. 25.
Psal. 50.

impuras, & (vt *Masoni* metaphora vtar) adeo lutulentas eas relinquat, vt opera nostra, quæ à clara puraque diuinæ gratiæ scaturigine profluunt, ab illis inficiãtur, impuraque reddantur? Hoc merum hæreticum est cõmentum. Idcirco plusquam falsum est, animas nostras adeo imperfectè regeneratas esse, vt opera nostra à diuina gratia promanantia immunda sint, atque impura.

Occurritur obiectioni.

Rectè (inquiet *Masonus*) si ergo mũda sint bona nostra opera, mundam illã oblationem à *Malachia* prædictam constituere possunt, atque ita validum pro illo contra meipsum formaui argumentum. Pro veritate ipsa argumentatus sũ, & neq; pro illo, neque contra meipsum, vt statim postquam inanes *Masoni* cauillationes plenius detexero, constabit. Contra postrema sua verba sic sibimet obiicit.

Prouer 4.18.

Si impura ac lutulenta sint nostra opera, quomodo puram oblationem à Malachia *prædictam efficere queant?* Cui respondet,

Quia denominatio sequitur digniorem partem, & quia semita iustorum quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diẽ, & quia tametsi caro aduersus spiritum rebellet,

spiritus tamen victor tandem euadet, & carnis desideria abolebit. Interim autẽ tametsi opera nostra ex carnis coniunctione coinquinata sint, Deus tamen vt iratus iudex ea non respicit, sed vt benignus pater, dona sua in nobis coronãs & peccata nostra condonans. Iam vero quia imperfecta sunt, iustificatiua, meritoria, vel satisfactoria esse nequeunt, quia vera à diuina gratia procedunt, pura oblatio sunt.

Dicit tantum sed non probat.

Vix tot sunt hîc verba, quot absurda, & in summa nihil probatum, sed nonnulla nudè absque omni vel ratione, vel authoritate asserta atque affirmata, quæ quamuis eadem ratione, & facilitate, absq; alia refutatione iure reiici possent, ea tamen discutiemus.

Nostra (inquit) *opera tametsi impura, & immunda, pura tamen dici possunt oblatio, quia denominatio sequitur digniorem partem, illam scilicet, quæ ex Dei gratia procedit.*

Duo absurda simul prolata.

In quibus duo sunt crassissima absurda. Primum, quo supponitur opera nostra & actiones duas habere partes, vnam mundam seu puram, vtpote à Deo, & à sancta sua gratia procedentem; alteram impuram, quæ ab humana voluntate ex parte tantum regenerata emanat. Secundum quam doctrinam, seu Chime-

ricam imaginationem potius, non tantum opera noſtra bona, ſed maxima noſtra ſcelera, pura oblatio à *Malachia* prædicta dici poſſunt. quia omnia noſtra opera, & actiones reales & poſitiuæ quantumuis peſſimæ, ſecundùm aliquam ſui partẽ (vt loquitur *Maſonus*) à Deo procedunt, & ab eo dependent. *Omnia opera noſtra, operatus es in nobis*, inquit Propheta. Et *Chriſtus* Dominus. *Sine me nihil poteſtis facere*. Secundum quam partẽ munda dici poſſunt, vtpote à Deo procedẽtem. Et quia denominatio (vt ait *Maſonus*) ex digniori parte ſumenda ſit, illæ peſſimæ actiones pura oblatio dici poſſunt. Hanc impiiſſimam doctrinam eſſe, *Maſonus* vt opinor non negabit, & tamen iuxta fundamenta & principia ab eo poſita illam defendere tenetur.

Iſaię 26 12.

Ioh. 15.5

Ad abſurdum ducitur M*aſon.*

Si vero quærat quomodo iſtud incommodum iuxta doctrinam *Catholicam*, quæ docet omnia opera noſtra à Deo procedere, ab eoque dependere, euitari poſſit. Reſpondeo nihil commune habere *Catholicam* doctrinam cum hac difficultate. Nullus enim *Catholicorum* vnquã docuit opera noſtra, etiã quantũuis bona, ſancta, ac pura, illam eſſe oblationem

mundam, de qua *Malachias* loquitur, ac proinde ad eos non pertinet ista quæstio. Si vero vlterius quæratur, quomodo mala nostra opera, cum à Deo aliquo modo procedant, & ab eo dependeant, non habeant in se aliquam bonitatem, & consequenter duas habere partes, vnam bonam, alteram vero malam. Respōdeo quod tametsi quęstio ista nō sit istius loci, neque ad præsens institutum aliter pertineat, quam vt illius occasione Doctrinam *Masoni*, qua duas in nostris actionibus partes constituit, falsam esse imaginationem ostendamus, eam tamē paucis expediemus.

Obiter expeditur quæstio.

Vera ergo Philosophia docet, omnes nostras actiones secundum totam, integramq; realem naturam, quam in se habēt, à Deo procedere, ab eoq; in sua productione depēdere, & nihilominus secū-dum totam eandem naturā à nobis produci, alia tamen & alia ratione. A Deo enim tanquā à causa prima, vniuersali, indeterminata atq; indepēdenti procedūt, à nobis vero tanquam à causis secundis, particularibus, determinatis, atq; à prima causa in esse & in operari dependentibus, à quibus qualitatem, valorem,

Alia & alia ratione procedūt actiones à Deo & à nobis.

& denominationem. suam desumunt, adeo vt si bona sint, secundum totam suam naturam sunt bona moraliter, si vero mala, secundum totam similiter naturam suam mala sunt, malitia scilicet morali: & non sunt bona secundum aliquam partem, mala vero secundum aliam. Quod, vt ab omnibus faciliùs intelligi possit, hoc modo illustrabimus.

Elucidatur res.

Actiones seu operationes rerum naturalium, ignis verbi gratia, plantæ, vel animalis, quibus effectus suos producũt, ignem scilicet, fructum, vel aliud animal, tametsi à Deo tanquam à causa prima & suprema procedant, & à cœlo, vel sole tanquam à causa secundaria (absque huiusmodi enim causarum concursu, & cooperatione agentia inferiora nihil agunt nec operantur) & tandem ab igne, planta, vel animali, tanquam à causis vltimis, infimis, & determinatis, non tamen partim, vel secundum aliquam tantum partem à Deo, secundum aliam à sole, & secundum aliam ab igne, planta, vel animali procedunt, vel producuntur. Sed vnumquodque prædictorum agentium ad totas integrasque actiones has producendas in suo ordine & gradu

concurrunt & cooperantur. Vnde fit vt actio illa, qua ignis ignem, planta rosam, & equus equum producit, non sit multiplex; sed vna, tametsi non tantum ab igne, planta, vel equo procedat, sed etiam à sole, & à Deo progrediatur. Hinc etiam est, quod res producta, ignis verbi gratia, rosa, vel æquus, non sit multiplex vel diuersa, sed vna & eadem res, neque partim vna, partim altera, sed tota vnius atque eiusdem generis, seu speciei. Ignis enim non est partim ignis, partim vero alia res, sed est totus ignis, etiãsi non tantum ab igne, sed etiam à causis superioribus, sed subordinatis producatur, & sic de cœteris.

A qua causa habet effectus suũ esse determinatum.

Atque hinc tandem fit, vt illud quod per concursum & cooperationem, seu actionem prædictorum omnium agentium fit & producitur, speciem suam, naturam, & qualitatem à causa sua proxima & immediata desumat: exempli gratia, id, quod ab igne procedit, est solus ignis, etiamsi à sole & Deo producatur. Et ratio est, quia vis & ratio agendi in causis infimis (in igne verbi gratia) est determinata & limitata ad vnum effectum, & per suum concursum & coope-

rationem, actiones indifferentes & indeterminatas causarum superiorum determinat ad talem effectum producendum. Ignis ergo, rosa, vel equus, non habent vt sit ignis, rosa vel æquus potius quam alia quæuis natura ex concursu & cooperatione solis vel Dei (istorum enim agentium actiones indifferentes sunt, & aptæ ad alias res etiam producendas,) sed ex actione & cooperatione solius ignis, plantæ, vel equi.

De actionibus moralibus quomodo philosophandi.

Eodem modo quantum ad præsens institutum spectat) philosophandum est de actionibus nostris moralibus seu humanis. Quamuis enim à Deo quoad totam suam realẽ substantiã, & naturã procedant, sicut à nobis, non tamen moralẽ suã bonitatẽ & valorẽ ab eo, vel ab ipsius cooperatione desumunt, sed à nobis & à nostra operatione. Idcirco si rectæ rationi (quæ regula est & mensura omnium actionum humanarum) conformes sint, bonæ sunt, honestæ, atque laudabiles, totaliter quidem, & non tantum secundum aliquam partem, quamuis ab homine in suo ordine & gradu non minus verè, quam à Deo procedant, sicut ignis & rosa est ignis & rosa, non ex parte

tantum, ſed ſecundum ſe totum, quamuis à Deo & ſole procedant, ſicut ab igne & planta. Si vero rectæ rationi conformes non ſint, vitioſæ, inhoneſtæ, & vituperandæ erunt, non ſecundum aliquã partem, ſed ſecundum ſe totas, quantumuis à Deo, (quantum ad ſubſtantiam actionis attinet) progrediuntur: quia qualitas & natura actionum noſtrarum ab immediata cauſa deſumitur, vt ex ſupra adductis exemplis demonſtratur. Aduertendum tamen eſt, ſermonem noſtrũ hactenus fuiſſe de actionibus tantum moralibus, & de valore earum morali; quamuis etiam de actionibus ſupernaturalibus, quæ non tantum à voluntate humana, vt à recta ratione regulata procedunt, ſed etiam ab eadem voluntate vt à gratia cœleſti adiuta & informata eliciuntur, eadem ſecundum proportionẽ eſt doctrina. Non enim partim ſunt bonæ vel puræ, partim vero prauæ vel impuræ; ſed ſecundum ſe totas puræ ſunt, atque Deo gratæ.

Et ex his tandem, quam falſa ac fictitia ſit illa *Maſoni* imaginatio de operum noſtrorum mixtione, nimirum vt partim pura ſint, partim vero impura, ſatis clarè

vt opinor, omnibus constat. Atque huc tendunt omnia quæ hactenus dicta sunt, non eô verò, vt ostendamus, opera nostra bona etiam moralia non alio modo à Deo procedere, quam mala, hoc enim falsum est & hæreticum. Bonas enim actiones nostras Deus & consulit & præcipit, & per suas inspirationes ad eas nos mouet, & excitat: malas vero econtrario prohibet, & per cōminationes suas ab eis nos deterret, & cùm virtutem operandi nobis præbuerit, in nostra libertate nos relinquit, & si voluerimus, malè operari permittit quidem, sed non impellit neque mouet.

Bona opera aliter sunt à Deo quã mala.

Secundum absurdum in verbis *Masoni* contētū est, *quod opera nostra à potiore ac meliore parte denominantur.* Nam tametsi verū esset, opera nostra duabus constare partibus, pura nimirum & impura (quod falsum esse iam ostendimus) absurdissimè tamen asseritur, quod à meliore vel digniore parte denominentur. Contrariū enim verissimum est, vt constat ex clarissima illa regula, obseruata primo à *S. Dionysio*, & ab omnibus postea tā Philosophis quam Theologis agnita. *Bonum ex integra causa, malum vero ex quocūque defectu*: Adeo

Secundū absurdū à Masono prolatum.

S. Dion. de diuinis nominibus

vt omnis actio vel operatio humana, ex aliqua parte vitiosa, praua sit & impura. Idcirco cum omnes actiones nostræ imperfectæ sint,& ex parte impuræ (vt *Masonus* cum omnibus suis docet) absolutè malæ erunt, & immundæ; ac proinde pura oblatio à propheta prędicta esse nequeũt. Et hoc clarũ est ex cõmuni omniũ hominum iudicio, qui hominẽ vitiosum æstimant, tametsi vno tantum vitio laboret, similiter & pomum cariosum, & vas fractum dicunt, etiamsi maior pars integra sit & incorrupta; dummodo ex aliqua parte sint vitiata: hominem etiam claudum dicimus, vel mancum, etiamsi vno tantum pede claudicat, vel vna manu priuetur. Ex quibus omnibus & infinitis alijs exemplis illud *Masoni* dictum, *quod actiones nostræ ex meliori parte denominentur*, falsissimum esse luce clarius constat.

Ex ignorantia errat.

Iste autem absurdissimus illius error ex ignorantia principiorum philosophiæ naturalis oritur. Illa enim distinguere nos docet, inter ea; quæ constant duabus partibus positiuis; quarum vna alteram perficit tanquam forma

materiam, in quibus eius propositio vera est. Idcirco enim dicimus hominem esse rationalem propter animam rationis participem, & equum animal esse, & viuens propter formam eius, quæ dat ei vitam animalem: Et inter ea, quæ duabus partibus, vel quasi partibus constant, quarum vna sit positiua, altera vero negatiua, vel priuatiua (loquimur secundum vulgarem hominum conceptum) vt homo vno integro, altero mutilo pede, pomum parte syncera, & corrupta constare dici possint, & ita de cœteris. In quibus omnibus denominatio sequitur partem deteriorem propter rationem à *S. Dionysio* allatam. Et de hoc posteriori genere, sunt actiones humanæ, quæ quotiescunque debita aliqua circunstantia vel perfectione careant (vt in *Masoni*, & cæterorum *Protestantium* doctrina vniuersæ nostræ actiones necessaria perfectione careant) prauę sunt atque vitiosæ, ac proinde pura illa à Propheta prędicta oblatio nulla ratione dici queat.

Quę sũt quæ à meliore parte denominã-tur.

Iam occurrendum est obiectioni, quæ ex *Catholica* doctrina fieri potest hoc modo. Bona opera iustorum, quæ ex

Obiectioni occurritur.

gratia Dei procedunt, ſunt meritoria, ſatisfactoria, & iuſtificatiua. Ergo pura ſunt & munda. Et vlteriùs: Ergo pura oblatio dici poſſunt.

Reſpondemus concedendo antecedens, & primam conſequentiam, negando vero ſecundam: bona enim opera iuſtorum à ratione oblationis mundæ, de qua loquitur *Malachias*; non ideo in doctrina *Catholicorum* excluduntur, quia immunda atque impura ſunt, ſed ob nonnullas alias rationes: primò, quia Propheta loquitur de vero ac proprio ſacrificio; vt ex iã dictis ſatis cõſtat, noſtra vero bona opera ſunt tantum metaphoricè ſacrificia. Illud de quo loquitur propheta vnum eſt, iſta multa. Illud proprium ac peculiare eſſe debet Eccleſiæ Gentilium, iſta communia ſunt tam *Iudæis* quam Gẽtibus. Illud *Iudæorum* ſacrificijs ſuccedit, & ſubſtituitur, vtpote quod nunquam antea extiterit; iſta nullis ſacrificijs ſuccedunt, ſed ſemper ipſa fuerunt. Prætetea cum Deus Sacerdotium & ſacrificia *Iudæorum* ſacrificijs Gentilium comparata, reprobet atque deſpiciat (vt ex verbis prophetæ clarè conſtat) neceſſe eſt credere, quod ſacrificium aliud, & Sacerdotium

Quare opera bona non sũt oblatio mũda

cerdotium præter illa omnia, quæ *Iudæi* frequentare ſolebant, inſtituere voluerit. Sed ſi ſacrificium Gentilium in orationibus tantum, gratiarum actionibus, & laudationibus complendum eſſet, aliud ſacrificium à ſacrificijs *Iudæorum*, quæ (vt *Maſonus* ait) eadem erant in re, & ſubſtantia cum noſtris, non conſtitueret, neque hoc tantum anteponendum illis eſſet, vt ad illud ſtabiliendum & conſtituendum, iſta reprobari ac vituperari deberent.

Ex quibus omnibus clarè apparet, opera iuſtorum, quantumuis pura & immaculata, oblationem mundam à Propheta prædictam non cõſtituere. Quod ex eis quoque, quæ iam ſubijcienda ſunt clariùs adhuc conſtabit. Reuertamur iam, vnde (ob *Maſoni* cauillationes noſtræ diſputationi interiectas) digreſſi ſumus.

Locorũ conferentia.

Quartò, pura oblatio à propheta prædicta de vero ac proprio ſacrificio intellecta, cum alijs ſacræ Scripturæ locis, vbi de ſacrificio nouæ legis eſt ſermo, rectè concordat, vt ex iſtis paucis apparebit. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Melchiſedech autem protulit pa-*

Pſ. 109. Gen. 14.

Luc. 22. 19. *Heb. 13. 10.* *Dan. 11. 31. 12. 11.*

nem & vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi. Hoc est corpus meum quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Habemus altare de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt. Et aufferent iuge sacrificium. Quæ omnia ad literam intellecta sacrificium verum ac proprium, & non metaphoricum probant & conuincunt. Deinde testimonium *Malachiæ* de vero sacrificio intellectum nullam habet cum vllo totius sacræ scripturæ testimonio repugnantiam, vt ex infra dicendis clarè videbitur.

Conuenientia cum ratione naturali.

Quintò, non minus conuenit cum lege naturæ, & lumine naturali, quod sit verum ac proprium sacrificium in lege euangelica, quam quod tale sacrificium fuerit in lege *Mosaica*, immo eo magis rationi consonum est, quo arctioribus gratitudinis vinculis, pro pluribus & maioribus beneficijs acceptis, Deo astricti tenemur. Ergo ex hac parte nulla est repugnantia, quæ ad sensum spiritualem & metaphoricum in explicando prophetæ testimonio confugere nos cogit, sed econtra maxima est conuenientia (ne dicam necessitas) quæ suadet sensum literalem in eo esse sequendum. Perpende

attentè, Lector, testimonium *S. Irenæi*, quod statim sequitur, & aduerte diligenter rationem ab eo allatam instituendi in noua lege nouum sacrificium.

Interpretatio antiquæ Ecclesiæ

Sextò, antiqua Ecclesia (cuius iudicium aduersarij nostri reijcere meritò erubescunt) istud prophetæ *Malachiæ* testimonium de vero ac proprio sacrificio, immo eodem, quod *Christus* Dominus in vltima cœna obtulit, & instituit, intellexit. Quæ sola ratio quemcunque intellectum nimia peruicacia non obscuratum, de hac veritate ex se conuincere sufficeret.

Et vt à *S. Irenæo*, qui ante mille & quadringentos annos vixit, ordiamur, ita scribit,

Iren. l. 4. c. 33.

Sed & Apostolis suis dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed vt ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, cũ, qui ex creatura panis est, accepit & gratias egit dicens: Hoc est corpus meum. *Et calicem similiter, qui est ex creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & noui testamenti nouam docuit oblationem, quã Ecclesia ab Apostolis accipiens in vniuerso mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum in nouo*

testamento, de quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsignificauit: non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & sacrificium non suscipiam de manu vestra, ab ortu enim solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum: manifestissimè significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessauit offerre Deo, omni autem loco sacrificium offertur Deo, & hoc purum.

Quibus aduersariorum nostrorum hæreses adeo directè perstringit, vt si hodie viueret, vix aliquid clarius pro veritatis *Catholicæ* confirmatione dicere posset. Primo enim exponit rationem, cur *Christus* Dominus Apostolos suos sacrificium offerre docuit, vt scilicet neque pro beneficijs acceptis ingrati, neque absq; spiritualis gratiæ fructu essent. Secundo docet, quid hoc sacrificium sit, nimirum corpus & sanguis *Christi*, & quod in his verbis offeratur, *Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus.* Tertio, dicit *Christum* hoc faciendo noui testamenti nouam docuisse oblationem; nouam dicit, quæ propterea antea non fuerat, ac proinde spiritualem oratio-

Nota hanc rationem.

nis, & gratiarum actionis oblationem, quæ ſemper extiterat, non intellexit. Quarto, quod hoc ſacrificium Eccleſiæ ab Apoſtolis traditum, vbique per totum orbem Deo offertur, quod de ſacrificio cruento in cruce oblato intelligi nequit. Quinto denique dicit, Prophetam *Malachiam* hanc nouam oblationem in verbis iam relatis manifeſtiſſimè ſignificâſſe. Quibus omnibus perpenſis, nihil vel in doctrinæ *Catholicæ*, de vero ac proprio noui teſtamenti ſacrificio confirmationem, vel hodiernæ hæreſis confutationem, clariùs dici poteſt.

Aug. de ciuit. 18. c. 36.

S. Auguſtinus eandem non minus clarè tradit doctrinam his verbis. *Malachias prophetans Eccleſiam, quam per Chriſtum iam cernimus propagatam, Iudæis apertiſſimè dicit ex perſona Dei: non eſt mihi voluntas in vobis: & munus non ſuſcipiam de manu veſtra; Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificabitur, & offeretur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus. Hoc ſacrificium per ſacerdotium Chriſti ſecundum ordinem Melchiſedech, cum in omni loco à ſolis ortu vſque ad occaſum Deo iam videamus offerri,*

sacrificium autem Iudæorum, quibus dictum est: non est mihi voluntas in vobis, cessâsse negare non possunt: quid adhuc alium Christum expectant, quum hoc quod prophetatum legunt, & impletum vident, impleri non potuerit nisi per ipsum?

Quid autem *Sanctus Augustinus* per sacrificium Sacerdotij *Christi* secundum ordinem *Melchisedech* intelligat, ipse nobis indicat, sic alio loco scribens,

Lib. 1. con. aduers. legis & Prophet. cap. 20.

Hæc quippe Ecclesia est Israel secundum spiritum, à quo distinguitur ille Israel secundum carnem, qui seruiebat in vmbris sacrificiorum, quibus significabatur singulare sacrificium, quod nunc offert Israel secundum spiritum; cui dictum atque prædictum est: Audi populus meus & loquar tibi, I*srael & testificabor tibi, &c. De huius enim domo non accepit vitulos, neque de gregibus eius hircos. Iste immolat Deo sacrificium laudis, non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech. Nouerunt qui legunt, quid protulerit Melchisedech quando benedixit Abraham. Et iam participes eius vident, tale sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum.*

Tuum iam, candide Lector, esto iudicium, vtrum *Masonus*, qui hos duos

patres teſtimoniũ *Malachiæ*, de ſpirituali, hoc eſt, metaphorico & improprio ſacrificio interpretari aſſerit, gnauiter illis non imponat. Cuius inſulſum hac ex parte effugium, ex ipſo *S. Auguſtino*, & *Sancto Chryſoſtomo* adhuc magis clarè falſitatis conuincitur. Iſti enim duo patres hoc ipſum *Malachiæ* teſtimonium contra *Iudæos* ſic vrgent, vt ex *Leuitici* ſacrificij in illud, quod à Propheta prædicitur mutatione, *Meſsiam* iam veniſſe probare cõtẽdãt. Quod quidem argumentum (ſi prophetæ verba intelligantur de ſacrificijs ſpiritualibus & internis) nullius prorſus eſſet momenti. Præterquam enim quòd ſacrificia ſpiritualia, quæ actibus internis, qui alijs non innoteſcunt, præcipuè perficiuntur, apta non ſint, vt aliquid, de quo eſt dubium (vt eſt de aduentu *Meſsiæ* apud *Iudæos*) per ea probetur, ac proinde impertinenter ab illis patribus ad illud efficiendum adducerentur. Iſti patres, ſi prophetam de ſpiritualibus tantum ſacrificijs fuiſſe loquutum intelligerent (vt *Maſonus* eos intellexiſſe contendit) ſacrificia *Iudæorum* in aliquod melius & præſtantius mutata eſſe inferre non poſſent.

Quod tamen & patres isti volunt, & propheta clare prædicit, dum ait. *Munus non suscipiam de manu vestra, ab ortu enim solis vsque ad occasum offertur nomini meo oblatio munda*, sed mera tantum externorum sacrificiorum *Iudaicorum* cessatio, absque aliorum in eorum locum substitutione, & continuatio internorum, quæ ipsis *Iudæis*, vt *Masonus* agnoscit, non deerant. Ex qua quidem argumentatione tantum abesset, vt *Iudæi* erroris sui de aduentu *Messiæ* conuincerentur, vt in infidelitate sua magnoperè confirmarentur, religionem enim suam multo perfectiorem religione *Christianorum* ex hoc argumento clarè perspicerent, vt supra liquidò ostensum est.

Et *Masonum* ipsum appello, si ipse contra *Iudæos Messiam* iam venisse probandum haberet, vtrum hoc Malachiæ testimonium de spirituali tantum sacrificio interpretatum, idoneum medium ad institutum suum confirmandum existimaret, necne? Non equidem existimo eum adeo vecordem esse, vt id sentiret: quandoquidem clarissimum sit, locum illum ita intellectum

nihil tale inferre, quin potius cõtrarium perſuadere. Quid igitur? Dicemus ſanctos hos patres, minus vel cautos, vel perſpicaces fuiſſe in argumentis ſuis ſelegẽdis, quam eſſet *Maſonus*? Et obſeruandum eſt *S. Chryſoſtomum*, non tam latitudinem loci, in quo ſacrificium à Propheta prædictum offerendum eſſet, his verbis expreſſam: *Ab ortu ſolis vſque ad occaſum, & in omni loco*: quam ſanctitatem illius ſacrificij præ illo *Iudæorum*, verbis illis à Propheta inſinuatam (*pura oblatio*) vrgere, idque ob perfectionem ipſiuſmet ſacrificij, de quo ita ait,

Si quis ipſum hoc Sacrificium (à Malachia prædictum) *conferat cum alio* (legis Moſaicæ) *adeo ingens, immenſumque diſcrimen inueniet, vt iuxta comparationis rationem, ſolum hoc purum dici poſſit.*

S. Chryſ. orat. 3. con. Iudæos parum à fine.

Ex quibus clarè conſtat S. *Chryſoſtomum* non de ſacrificijs ſpiritualibus operum noſtrorũ, orationis ſcilicet, & gratiarum actionis, loqui, ſed de alio ab eis diſtincto. Nam inter ſacrificia iſta ſpiritualia *Chriſtianorum* & *Iudæorum* (quæ eiuſdem ſunt naturæ & ſubſtantiæ, vt *Maſonus* aſſerit) non tantum poteſt eſſe diſcrimen, vt per ſe conſtat.

Sed si ista omnia *Masono* persuadere non sufficiant, quod patres per puram oblationem à *Malachia* prædictam, externum, sensibile, ac proprium sacrificium intellexerint, & quod tale sacrificium in Ecclesia *Christi* etiamnum manere crediderint, C*aluino* & Centuriatoribus, qui Patres ista sensisse, ac docuisse fatentur, fidem, vt arbitror, non subtrahet: eos itaque audiamus.

Caluin. lib. de vera Ecclef. reformat.

Cum obÿciunt (inquit *Caluinus*) *locum Malachiæ sic ab Irenæo exponi* (de sacrificio scilicet Missæ) *oblationem Melchisedech sic tractari ab Athanasio, Ambrosio, Augustino, & Arnobio, breuiter responsum sit; eosdem illos scriptores alibi quoque panē interpretari Christi corpus: sed ita ridiculè* (aduerte hæretici hominis petulantiam) *vt dissentire nos cogat ratio & veritas.*

Hîc vides (prudens Lector) sacrificium missæ, veram, realemque *Christi* in Sacramento Eucharistiæ existentiam, credita, traditaque fuisse à sanctis patribus tam orientalis quam occidētalis Ecclesiæ, ante annos mille ducentos, ac trecentos ex ipsius *Caluini* testimonio.

Cent. 2. coll. 63.

Centuriatores quoque de *S. Irenæo* ita

scribunt. *De oblatione porro Irenæus l.* 4. *cap.* 32. *satis videtur loqui incommodè, cum ait, noui testamenti nouam docuit* (Christus) *oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in vniuerso mundo offert Deo.*

Et de *S. Cypriano*, qui sæculo proximo post *Irenæum* vixit, ita iidem authores testantur. *Sacerdotem inquit* (Cyprianus) *vice Christi fungi, & Deo patri sacrificium offerre.* Pro quo dicto superstitionis eum redarguunt, in indice alphabetico illius centuriæ ad literam S. 9.

Cent. 3. col. 83.

Iam tametsi clarissima hæc incorruptæ antiquitatis testimonia, in expressis sacræ Scripturæ verbis fundata, ad veritatē *Catholicam* de sacrificio vero & proprio in Ecclesia *Christi* conuincendam abundè sufficere, iure merito existimare possem: quia tamen hæc veritas, non solum *Protestantes* omnes, veris Episcopis, & pastoribus carere efficaciter probet, sed etiam manifestæ hæresæos eos clarè conuincat, ad pleniorem eius declarationem antiquorum patrum, non vnius alicuius regionis aut nationis, sed totius *Christiani* orbis, *Asiæ*, *Africæ*, & *Europæ*, qui ante mille annos floruerunt, testimonia hîc adiiciam, vt quiuis, tametsi

iniquus rerum æſtimator videat, & (niſi omnino proteruus ſit) fateri cogatur, hanc doctrinam alios authores, & præceptores nõ habuiſſe, quam illos de quibus Spiritus ſanctus teſtatur, quod *in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Pſal.15. 5.

A S. igitur *Ignatio*, glorioſiſſimo martyre, *Antiochiæ* in *Syria* olim, vt teſtatur *Theodoretus*, Epiſcopo ordinato ab ipſo S. *Petro*: cuius verba idem *Theodoretus* ante mille, & ducentos annos retulit, ordiamur. Egregius iſte prælatus contra hæreticos quoſdam diſputans, ita ſcribit. *Euchariſtias & oblationes non admittũt, quod non confiteantur Euchariſtiam eſſe carnem Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt.*

Theodoret. dial. 1.

Theod. dial. 3.

S. *Iuſtinus* itidem martyr, in *Palæſtina Iudæis* parentibus natus, qui martyrium ante annos mille, quadringentos, & quinquaginta paſſus eſt, ita de hac re ſcribit. *De ſacrificio, quod offertur à nobis gẽtibus in omni loco, id eſt Euchariſtiæ tum pane, tum poculo, præcinit* (Malachias) *dicens nos clarificare nomen eius.*

Dial. cũ Tripho. impreſſ. Baſileæ.

De S. *Irenæo* Archiepiſcopo *Lugdunenſi* in *Gallia*, & etiam martyre, qui ante

annos mille, quadringentos, & quadraginta vixit, vide clarissimum testimoniũ paulo superius hoc eodem capite relatum.

Tertullianus Africanus homo, in libro suo de oratione, quam, dum adhuc esset *Catholicus*, scripsit, ante annos mille & quadringentos, ita loquitur,

De oratione. c. 14.

Nonne solennior erit statio tua, si & ad aram Dei steteris? Accepto corpore Domini & reseruato, vtrumque saluum est, & participatio sacrificij, & executio officij.

Et in alio loco de more *Christianorum* illorum temporum loquens, ait. *Oblationes pro defunctis, pro natalitijs, annua die facimus.*

De corona militis ca. 3.

S. Cyprianus Africanus similiter Episcopus & Martyr, qui ante annos mille, trecentos, & quinquaginta floruit, præter irrefragabile testimonium iam supra relatum, in eadem Epistola hanc habet doctrinam. *Apparet sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici, nec sacrificium dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio, & sacrificium nostrum respondeat passioni.*

Cypriã. epist. 63. ad Cæcilianum.

Et iterum ibidem. *Sacerdos sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo*

Nota, verũ & plenum vocat sacrificium Eucharistię.

Patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse.

Et tota Epistola talis est, vt, qui eam lecturus sit, verum ac proprium in nouo testamento sacrificium existere, & Deo offerri *S. Cyprianum* credidisse non negabit.

Epist. 66

Et in Epistola sua ad clerum & populum Furnitanorum ita scribit. *Episcopi antecessores nostri religiose considerantes, & salubriter prouidentes censuerunt, ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Neque enim ad altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & ministros voluit auocare.*

Concil. Nycæn. can. 18.

Concilium primum *Nycænum* celebratum sub *S. Siluestro* & *Constantino Magno*, cuius authoritas omnibus, præterquam dãnatis *Arianis* sacro-sancta semper fuit, ita ait. *Neque Canon, neque consuetudo tradidit, vt qui offerendi potestatem non habent* (scilicet Diaconi) *ijs qui offerunt* (hoc est Presbyteris) *dent corpus Christi.*

Et Concilium *Chalcedonense* actione 3. in libello *Ischirrionis* Diaconi Ecclesiæ *Alexandrinæ* ad Papam *Leonem*, & Con-

cilium ipsum, *Tanta ausus est* (Dioscorus) *perpetrare, vt etiam frumentum, quod à piissimis nostris Imperatoribus Ecclesiis Libyæ (quia ibi omnino triticum non nascitur) præstitum est, imprimis quidem vt incruenta ex ipso Hostia offeratur, deinde vt peregrini & pauperes solatium mereantur, non permitteret suscipere sanctissimos Episcopos illius Prouinciæ. Et ex hoc neque terribile & incruentum sacrificium celebratum est, neque peregrini solatio fruiti sunt.*

Concilium etiam *Laodicenum* sub eodem *S. Siluestro* celebratum can. 19. post alia de ritu celebrandi diuina mysteria, ita ait. *Postquam dederit* Episcopus *Presbyteris osculum pacis, tunc laici sibi tribuent. Et ita sancta oblatio celebrabitur*: vel vt alia versio habet, *Et sic oblatio offeratur.*

Et Concilium *Carthaginense* secundum, *Valentiniano* quartùm, & *Theodosio* consulibus. can. 9. *Presbyter, qui superbia inflatus se ab Episcopi sui communione duxerit separatim cum aliquibus schisma faciens, sacrificium Dei obtulerit, anathema habeatur.*

Eusebius Cæsariensis, qui tempore sancti Siluestri vixit, historiam Cõcilij *Hierosolymitani*, sub eodem *Constantino* celebrati, scribens ait. *Alij incruentis sacrificijs,*

Euseb. de vita Cõstantini. l. 4. c. 45 impres-

& mysticis consecrationibus diuinum numen placabant.

sionis Geneuensis.

S.Cyrill. Hierosol. Catechesi mystagogicâ 5.

S. Cyrillus Hierosolymitanus, qui vixit ante annos mille ducentos, & septuaginta, in sermonibus suis Catecheticis hanc tradit doctrinam. *Deum benignissimũ oramus, vt super illa proposita sanctum Spiritum emittat, vt panem quidem faciat corpus Christi, vinum vero sanguinem Christi. Omnino enim quod attigerit Spiritus sanctus, hoc sanctificatur, & transmutatur. Deinde vero postquam confectum est spirituale sacrificium, ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis hostia obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, &c. Rogamus te (inquam) nos omnes, & hoc sacrificium tibi offerimus, vt meminerimus etiam eorum, qui ante nos obdormierunt: primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, vt Deus orationibus illorum & deprecationibus suscipiat preces nostras. Deinde pro defunctis sanctis Patribus & Episcopis; denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum iuuamen, pro quibus offertur precatio sancti illius, & tremendi, quod in altari positum est, sacrificij.*

Nota propitiationis hostiam.

Et iterum. *Nos pro defunctis Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, vt & nobis*

nobis & illis, eum qui est benignissimus, propitium reddamus. Vide, si lubeat, lector, authorem ipsum, & in eo videbis nonnulla, quæ & in doctrina *Catholica*, & *Christiana* pietate, te erudire possunt.

Sanctus Epiphanius Episcopus in *Cypro*, in Epistola sua ad Ioannem *Hierosolymitanum*, *Sancti Cyrilli* successorem, quam *Sanctus Hieronymus* in Latinum transtulit ante mille & ducentos annos, & inter eius Epistolas habet locum 60. hæc habet. *Cum vidissem quia multitudine sanctorum fratrum in Monasterio consisteret, & Sancti Presbyteri Hieronymus, & Vincentius propter verecundiam & humilitatem nollent debita nomini suo exercere sacrificia, laborare in hac parte ministerij, quæ Christianorum præcipua est salus, &c.*

Sanctus Gregorius Nissenus frater *Sancti Basilij Magni*, qui vixit ante annos mille ducentos, & triginta *Catholicam* de sacrificio nouæ legis doctrinam egregiè testatam reliquit aureis hisce verbis. *Memento Dominici dicti, nullus tollit animam meam, sed ego pono eam à meipso. Hoc mihi stet firmum, & quæstio de triduo mortis fuerit explicata. Nam qui*

S. Greg. Nissen. ora. 1. de Resurrectione.

omnia pro potestate, atque authoritate administrat, non expectat ex proditione necessitatem, vel Iudaeos grassantes, vel Pilati iudicium iniquum, vt illorum hominum scelus ac malitia principium esset salutis nostrae, sed pro ineffabili arcanoque, & qui ab hominibus cerni nequit, sacrificij modo, sua dispositione praeoccupat impetum violentum, & sese oblationem offert pro nobis, simul Sacerdos & Agnus qui tollit peccata mundi. Sed dices mihi quando hoc accidit? Tum cum corpus suum ad manducandum, & sanguinem familiaribus praebuit ad bibendum. Homo enim vesci non potest, nisi mactatio praecesserit. Qui igitur dedit discipulis suis corpus ad manducandum, apertè demonstrat iam perfectam, & absolutam esse agni immolationem. Non enim ad edendum, corpus animatum victimae esset idoneum. Iam ergo latenter pro potestate sua inuisibiliter, & ineffabiliter corpus immolatum erat.

Egregiũ omnino S. patris testimonium.

Sanctus Gregorius Nazianzenus pro singulari rerum diuinarum scientia dictus Theologus, *Sancti Hieronymi* Magister, & *Basilij Magni* socius, qui eodem sæculo cum superiore *Gregorio* vixit, ita scribit. *Manus suas* (de impio *Iuliano Apostata* loquitur) *profanat* (nefariorum

S. Greg. Naziãzen. orat. 1. con. Iulian. Apostatã.

ſcilicet ſacrificiorum ſanguine) *vt nimirum eas ab incruento ſacrificio, per quod nos Chriſto, ipſiuſque paſſioni, & diuinitati communicamus elueret ac purgaret:* Et iterum.

Non iam aras à puriſſimo, & incruento ſacrificio nomen habentes, ſceleſto ſanguine contaminabunt.

Et in oratione ſua Apologetica excuſans ſe, ne Epiſcopus fieret, poſtquam perfectionem in Sacerdotibus legis *Moſaicæ* requiſitam deſcripſiſſet, ita adiungit. *Hæc igitur cum ego noſſem, illudque inſuper, neminem magno & Deo, & ſacrificio, & Pontifice dignum eſſe, niſi qui prius ſeipſum Hoſtiam viuentem ſanctam exhibuerit, ac rationabile obſequium, gratum, atque acceptum oſtenderit, Deoque ſacrificium laudis, ac ſpiritum contritum obtulerit (quod ſolum ſacrificium, is qui omnia dedit, à nobis expoſcit)* Scilicet bona noſtra temporalia non requirit, vt olim à Iudæis, *quo tandem modo externum illud ſacrificium, illud magnorum myſteriorum antitypum, ipſi offerre auderem? aut quomodo Sacerdotis habitum & nomen ſubire?*

Nota externũ ſacrificium.

Et vt ab Oriente ad Occidentem tranſeamus. *S. Ambroſius Mediolanenſis*

Archiepiscopus, qui vixit ante annos mille & ducentos, præter ea, quæ ex eo superius retulimus, ista docet. *Ego mansi in munere, Missam facere cœpi. Dum offero, raptum cognoui à populo Castulum quendam, quem Presbyterum dicerent Ariani; hunc autem in platea offenderant transeuntes. Amarissime flere, & orare in ipsa oblatione Deum cœpi, vt subueniret, ne cuius sanguis in causa Ecclesiæ fieret.*

Epist. 14 ad Marcellam sororem. Ecce Missam celebrauit S. Ambr.

Et in Psalmum 38. *Vidimus principem Sacerdotum ad nos venientem, vidimus, & audiuimus offerentem pro nobis sanguinem suum: sequamur vt possumus Sacerdotes vt offeramus pro populo sacrificium, & si infirmi merito, honorabiles tamen sacrificio. Quia etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur.*

Et huius mysterij excellentiam ex verbis sacrosanctæ Missæ Canonis ostendens, ita ait. *Memores gloriosissimæ eius passionis, ab inferis resurrectionis, & in cœlum ascensionis offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, hunc panem sanctum, & calicem vitæ æternæ; & petimus & precamur, vt hanc oblationem suscipias in sublimi altari tuo, per manus Angelo-*

L. 4. de sacram. c. 6.

rum tuorum sicut suscipere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus Sacerdos Melchisedech.

Sanctus Optatus Mileuitanus author *Africanus*, eiusdem cum *Sancto Ambrosio* antiquitatis, contra sacrilegos *Donatistas*, qui Dei altaria confregerant, scribens, inter alias acerrimas, sed iustissimas obiurgationes (quæ eò magis *Protestantes*, quam *Donatistas* concernunt, quò magis illi quam isti, in demoliendis Ecclesijs & altaribus sæuiisse cognoscuntur) sic eos exagitat: *Quid vobis fecerat Deus, qui illic inuocari consueuerat? Quid vos offenderat Christus, cuius illic per certa momenta corpus & sanguis habitabat? Quid vos offendistis etiam vos ipsi, vt illa altaria frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum spatia, sanctè vt arbitramini obtulistis? Apud Dominum Elias Propheta querelam deponit. His autem locutus est verbis, quibus & vos inter alios ab ipso accusari meruistis Domine* (inquit) *altaria tua confregerunt.*

S. Opt. l. 6. con. Parmē. ad initium.

S. Hieronymus, qui scripsit ante annos mille, & ducentos ita ait. *Si laicis imperatur, vt propter orationem abstineant se ab vxorum coitu: quid de Episcopo*

Commētar. in Epist. ad Tit. c. 1. 1. Cor. 7. 5.

sentiendum est, qui quotidie pro suis populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas. Inuenimus Sacerdotem Abimelech de panibus propositionis noluisse prius dare Dauid, & pueris suis, nisi eos audisset ab heri, & nudius tertius vacasse ab opere coniugali, & mundos esse à coniugibus suis. Tantum interest inter propositionis panes, & corpus Christi, quantum inter vmbram & corpora, inter imaginem & veritatem &c.

1.Reg. 21.

Sanctus Iohannes Chrysostomus, qui vixit eodem cum *Sancto Hieronymo* tempore, præter nonnulla alia, quibus *Catholicam* tradit doctrinam, hæc habet expressa verba. *Hic, in eo quod est horribilius, & magnificentius, sacram constituit operationem, vt qui & ipsum mutarit sacrificium, & pro cæde brutorum seipsum iussit offerri.*

In cap. 10. 1. Epist. ad Cor.

Et in alio loco. *Non frustra sunt hæc ab Apostolis legibus constituta, vt in venerandis inquam, atque horrificis mysterijs memoria eorum fiat qui decesserunt. Nouerunt hinc multum ad illos lucri accedere, multum vtilitatis. Eo enim tempore cum vniuersus populus stat manibus expansis, ac cœtus Sacerdotalis, & illud horrorem*

Homil. 3. in Epist. ad Philippenses par. morali.

venerationis plenum incutiens sacrificium, quomodo Deum non placabimus pro istis orantes?

Sanctus Augustinus magnum illud Ecclesiæ *Latinæ* lumen, & columen, præter clarissima illa, quæ superiùs ex illo retulimus, testimonia ista habet. *Salua fide Catholica, & Ecclesiastica regula nulla ratione conceditur, vt pro non baptizatis cuiuslibet ætatis hominibus offeratur sacrificium corporis & sanguinis Christi.*

Lib. 1. de anima & eius origine c. 9.

Et alibi. *Cum offerretur pro* (scilicet pro matre sua) *ea sacrificium pretij nostri, iam iuxta sepulchrum posito cadauere, priusquã deponeretur, sicut fieri solet.*

Lib. 9. confessionum, c. 12.

Orationibus vero Sanctæ Ecclesiæ, sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordius agatur à Domino, quam eorum peccata meruerunt.

De verbis Apostoli serm. 32.

Hoc enim à patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia, *vt pro eis, qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quotidie id offerri commemoretur.*

Cum innumeris aliis, in eundem sen-

S. Fulgentius Africanus, qui creatus Epiſcopus, anno 504. mortem obijt anno 529. hæc habet. *Dicis à nonnullis te interrogatum de ſacrificio corporis & ſanguinis Chriſti quod plerique ſoli patri exiſtimant immolari. Hanc etiam aſſeris hæreticorum eſſe quaſi palmariam interrogationem.*

S. Fulgent. l. 1. ad Monimum.

Et infra. *Cum ad patrem litantis deſtinatur intentio, ſacrificij munus omni Trinitati vno eodemque offertur litantis officio.*

In fine huius ſæculi, nimirū anno 590. creatus fuit Pontifex *Romanus S. Gregorius* meritò *magnus* dictus, qui ſacrificium nouæ legis adeo clarè vbique docuit, vt de illius ſententia eâ de re non magis dubitare liceat, quam quod talis homo vnquam in mundo extiterit. Et ab illius tempore vſque ad præſentem diem, non minus eſt clarum ſacrificium Miſſæ fuiſſe per orbem *Chriſtianum* frequentatum, quod altaria vbique extructa clarius oſtendunt, quam vt vel negari poſſit, vel vlteriùs probari debeat. Præterea *S. Gregorius* miſit in *Augliam S. Auguſtinum*, qui ſimul cum religione *Chriſtiana* ſacrificium Miſſæ illuc induxit, vt ex clara liberaque

aduersariorum confessione dilucidè ostendit author *Apologiæ Protestantium pro Ecclesia Catholica* à *Guilielmo Reimero* nostro nuper latinitate donatæ. Et quod ab illo tempore vsque ad regnum *Elizabethæ* Reginæ, absque omni controuersia de eo mota semper permanserit, ex omni genere testimoniorum, quo res præterita probari, vel confirmari potest, manifestè constat.

Apolog. Protestantum pag. 5. & 603.

Adeo vt luce clarius sit in vniuerso orbe *Christiano*, *Europa*, *Asia*, & *Africa* ab Apostolis vsque ad præsentem diem sacrificium visibile & externum à *Christianis* frequentatum, & doctrinam eius à sanctissimus patribus traditam fuisse, absque eo quod quisquam ex vigilantissimis illis pastoribus, quos Deus iuxta Prophetam, vigiles & custodes in Ecclesia sua posuit, illud in minimo vel reprehenderit, vel culpauerit. Qui tamen minimos in fide & religione exurgentes errores, adeo acriter & perseueranter semper impugnarunt, eosque exagitarunt, vt nunquam ab eorum impugnatione destiterint, donec in Orcum vnde venerant, eos amandassent. Testes sunt omnes hæreses, quæ in

Vniuersus orbis sacrificiū verum agnoscit.

Isaiæ 62. 9.

omnibus orbis *Christiani* partibus à *Simone Mago*, de quo Apostolorum Princeps *S. Petrus* triumphauit, vsque ad hodiernum diem pullularunt. Hæc (inquam) de sacrificio vero ac sensibili doctrina, tam ratione loci quam temporis vniuersalis absque impugnatore extitit, donec surrexit *Martinus Lutherus*, qui vt ipse ad suam, suorumque sectatorum perpetuam ignominiam fatetur) eruditus ab ipso Cacodæmone, illam impugnare ausus est.

Libro de Missa Angulari tom. 7. Vvittemberg. fol. 228.

Si Ecclesiæ sacrificium vel clanculum celebratum fuisset, vel res adiaphora, & ex se indifferens, vel saltem non magni momenti esset, ij, qui Dei curam & prouidentiam circa Ecclesiam suam plusquam paternam non intelligunt, neque agnoscunt, talem abusum, vel corruptelam in eam irrepere, & pro aliquo temporis spatio durare, non esse impossibile sibi forsan persuadere possent. Sed cum sit publicus Ecclesiæ cultus, adeo solenniter semper exhibitus, vt ea, quæ omnibus innotescere debent, inter eius celebrationem denunciari, & publicari soleant, ac præterea tanti sit momenti, vt nullus

Efficax omnino argumentum.

cultus & religionis actus illi sit comparãdus, vtpote (si verus Dei cultus nõ esset) expressam in summo gradu idololatriam cõtinens, constanter affirmare ausim, neminem qui minimum de *Christianæ* fidei & religionis plantatione, & Ecclesiæ *Christi* gubernatione sensum habet, iudicare posset, possibile esse, vt tam publicè, tam vniuersaliter, & tã diu in vsu & praxi inter *Christianos* illud sacrificium esse [illegible] absque omni vnius, saltem alicuius Orthodoxi patris, & pastoris reprehensione & contradictione.

Hactenùs verum sacrificium, & consequenter verum Sacerdotium proprij sacrificij oblatiuum, in Ecclesia *Christi* esse, & existere contra aduersarios probauimus, restat iam, vt eorum obiectionibus contra *Catholicam* doctrinam hac ex parte formari solitis satisfaciamus.

Epistola *B. Pauli* ad *Hebræos* non intellecta, sed (vt de reliquis eiusdem Apostoli epistolis, cœterisque scripturis testatur *B. Petrus* à *Protestantibus* ad suam ipsorum perditionem deprauata, contra sacrosanctum Ecclesiæ sacrificium, argumenta aliqua eis administrat,

2. *Petri* 3. 16.

quæ vt omnem suam vim habeant, sic proponi possunt.

Argumentum ex Apostolo desumptũ.

Apostolus docet primo, noui testamenti Sacerdotem vnicum tantum esse. Secundo sacrificium noui testamenti vnicum etiam esse. Tertio oblationem seu immolationem vnici illius sacrificij vnicam & singularem esse. Sed ista omnia doctrinæ de sacrificio Ecclesiæ, quæ multos Sacerdotes, multa sacrificia, vel saltem multas eiusdem hostiæ immolationes ponit directè aduersari videntur. Rursus Apostolus docet Sacerdotem nouæ legis non solum vnicum esse, sed talem, vt opus non habeat, pro seipso sacrificium offerre. Quod sacrificium adeo sit perfectum, vt omne omnino peccatum tollat. Quod eius immolatio adeo efficax sit, vt populus, pro quo fit, in sanctitate sit in æternum consummatus. Ista vero singularis Sacerdotis, sacrificij, & immolationis perfectio necessariò facit, vt vnicus tantum sit Sacerdos, vnicum sacrificium, & vnica etiam eius oblatio seu immolatio. Ergo nullum est tale Sacerdotium, & sacrificium in Ecclesia *Christiana* quale à *Catholicis* creditur & docetur.

Posterius hoc dictum, est tantum ratio & fundamentum prioris, & non nouum aliquod & distinctum argumentum. Omnia ista per expressa ipsius Apostoli verba probari possunt. In quibus referendis ordinem capitum, ex textu Apostoli obseruabo, tu illa Lector, ad singulos prædictos articulos facilè applicabis:

Ad Hebræos cap. 7. 23. 24. 25.

Et alij quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere, hic autem eo quod manet in æternum, sempiternum habet Sacerdotium; vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat vt nobis esset Pontifex sanctus, innocens, & impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. Hoc enim fecit semel seipsum offerendo.

Ca. 9. 12. 13. 14.

Non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Si enim sanguis hircorum aut taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum semetipsum obtulit

immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti?

Neque vt sæpè offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno, alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi; nunc autem semel in consummatione sæculorum ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium, sic & Christus semel oblatus est, ad multorum haurienda peccata. Cap. 9. 25. 26. 27.

Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostijs, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere: alioquin cessassent offerri: ideo quod nullam haberent conscientiam peccati cultores semel mundati. Cap. 10. 1. 2.

In qua voluntate sanctificati sumus, per oblationē corporis Iesu Christi semel. Et omnis quidem Sacerdos præstò est, quotidie ministrans, & easdē sæpè offerens hostias, quæ nunquā auferre possunt peccata; hîc autē vnam offerens pro peccatis hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei. Vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos. Vbi autem horum re- Cap. 10. 10. 11. 12

missio, iam non est oblatio pro peccato.

Ista sunt, quæ ab aduersarijs contra sacrificium & sacerdotium Ecclesiæ obijci solent. Vt vero Apostoli doctrina de sacerdotio, & sacrificio noui testamenti, quam in hac epistola tradit, ab omnibus intelligatur, prænotanda sunt quædam.

Primo, quod nullum verbum de sacrificio Missæ vel sacræ Eucharistiæ expressè hîc fecerit, vt per se patet, & præsertim aduersarij docere debeant, quandoquidem nullum tale esse sacrificium credant. Vt ergo quicquam contra dictum sacrificium per huius epistolæ doctrinam probare queant, id per modum consequentiæ, & deductionis præstare oportet. Quæ quidem argumentatio legitima non est, nisi authoris menti & intentioni, cuius testimonio nititur, conformis sit. Quapropter scopus & finis Apostoli in hac sua epistola diligenter attendenda sunt, vt ex ea aliquid per modum consequentiæ concludi possit.

Non directè sed ex consequentijs arguunt aduersarij.

Secundo notandum, præcipuum Apostoli in hac epistola scopum esse, dignitatem & excellentiam sacerdotij *Christi*, & necessitatem atque efficaciam sacrificij

Præcipuus Apostoli in hac Epist. scopus.

sacrificij & oblationis eius in cruce demonstrare contra incredulos *Iudæos*, qui Sacerdotium & sacrificium legis *Mosaicæ*, æterna, immutabilia, atque ex se ad remissionem omnium peccatorum sufficientia esse credebant, absque omni relatione, dependentia, vel respectu ad quodcunque aliud Sacerdotium & sacrificium de nouo instituendum, à quo valorem & efficaciam suam sumerent.

De sacrificio Missæ non tractat Apostolus, & quare.

Tertiò obseruandum, cum Apostolus hoc præcipuè in ista Epistola intenderit (vt ex solutione obiectionum in contrarium factarum apparebit) ad eius institutum non pertinebat disputationem suam ad sacrificium Eucharistiæ extendere. Nam cum huius sacrificij fides & doctrina, fidem sacrificij crucis (quam *Iudæi*, ad quos erudiendos scripsit Apostolus, nondum credebant) necessariò præsupponat; neque poterant illi (*Iudæi* scilicet) vtiliter de eo instrui; neque Apostolus non nisi præposterè illud directè tractare, donec de sacrificio crucis sufficienter edocti essent.

His præsuppositis, & rectè considera-

tis, Apostolũ nihil in tota hac epistola cõtra sacrificium Missæ loquutum esse facilè apparebit, quod ex sequentibus clariùs etiam constabit.

Obijcit aduersarius. *Annot. in epist. ad Heb. c. 7. sect. 5. & c. 10. sect. 4.*

Sed contra ista *Fulkus* noster obijcit, *Hebræos, ad quos Apostolus scripsit, fuisse Christianos, & fideles, ac proinde de sacrificijs veteris legis aliter non sensisse, quam fideles Iudæi ante Christi aduentum senserunt.* Quibus insinuat mentem Apostoli non fuisse, necessitatem sacrificij crucis contra *Iudæos* demonstrare, & consequenter illius dicta, contra quodcunque in noua lege sacrificium directè militare.

Refellitur. *Epist. 126. ad Euagriũ* *Contra incredulos Iudæos disputat Apostolus.*

Sed vel fallit, vel falsus est iste hæreticus. *Sanctus* enim *Hieronymus* non suam tantum, sed antecessorum suorum opinionem hac de re tradens, quam ipse etiam amplectitur, contrarium expressè docet, dicens. *Hebræis enim, id est Iudæis, persuadebat, non iam fidelibus, quibus passim proderet sacramentum.* Præterea quod illi, ad quos, vel contra quos Apostolus scribebat, in illo fuerint errore, quod sacrificia *Aaronica* ex se ad destructionem peccati, absque omni respectu vel dependentia

ab alio quouis ſacrificio crediderint, clariùs ex hoc ipſo, quem *Fulkus* tractat, loco conſtat, quam vt illum latere poſſit. Ac proinde ille iuxta morem omnium hæreticorum, Apoſtoli doctrinam ſciens deprauat, & Lectori ſuo volens imponere ſatagit. Iſta ſunt Apoſtoli verba. *Si ergo conſummatio per ſacerdotium Leuiticum erat* (*populus enim ſub ipſo legem accepit*) *quid adhuc neceſſarium fuit ſecundum ordinem Melchiſedech alium ſurgere ſacerdotem, & non ſecundum ordinem Aaron dici?* Et iterum in capite 10. *Impoßibile enim eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Ideò ingrediens mundum dicit, hoſtiam &c.* Nonne hinc clarè conſtat eos, contra quos diſputat Apoſtolus, ſacrificia vetera ad delenda peccata, & redemptionem noſtram conſummandam ſufficere, exiſtimâſſe? Certe magis perſpicuum eſt, quam à quoquam ſenſu communi non priuato negari poſſit. Quamobrem non tam fideles *Iudæos*, inſtruit Apoſtolus, quam eorum, qui non rectè crediderunt, errores refutat, ſicut etiam faciunt *Catholici* & Orthodoxi Patres & Paſtores, dum contra hæreſes

Heb. c. 7. 11.

Cap. 10. 4.

exurgentes, vel iam exortas passim disputant.

Vrget tamen vlterius iste hæreticus, & quærit, *Quomodo Apostolus sacrificium Missæ tacuerit, quandoquidem præcipua illius intentio iuxta nostram doctrinam fuerit declarare, & stabilire æternum fructum, & absolutam necessitatem passionis Christi, ex qua sacrificium Missæ necessariò dependet.*

Inepta plane interrogatio, sed nimia pertinacia obcœcato hæretico non indigna. Nonne quæso eadem ratione quęrere posset, cur Apostolus de Eucharistia, vt est sacramentum, & de cœteris omnibus *Christianæ* fidei mysterijs, quæ vt ipse necessariò fatetur (nisi forsan plusquam hæreticus sit) à passione *Christi* dependent, loqui omiserit? Et quis, obsecro, sacrorum scriptorum, omnia religionis nostræ mysteria, simul ac semel explicuerit, quantumuis mutuam vt plurimum inter se habeant dependentiam? Si non magis in impugnanda, quam inuestiganda veritate perspicax fuisset luscus iste hæreticus, rationem, cur Apostolus Missæ sacrificium hîc tacuerit, facilè vidisset. Iudæos enim, ad quos (vt iam dixi-

Quare Apostolus nullā facit sacrificij Missæ mentionem.

mus) istam scripsit Epistolam, passionis *Christi* fructum & necessitatem non credentes, importunum atque omnino præposterum fuisset, de sublimi hoc mysterio, quod de passione *Christi* fidem necessario præsupponit, instruere atque docere. Quam quidem rationem Apostolus ipse clare indicat, dicens: *De quo* (Melchisedech) *grandis nobis est sermo, & interpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. Non quia Apostolus non potuit* (inquit *S. Hieronymus*) *id interpretari, sed quia illius temporis non fuerit: Hebræis enim, id est Iudæis, persuadebat, non iam fidelibus, quibus passim proderet sacramentum.*

Heb. c. 5. 11.

Vbi supra epist. 126. ad Euagriū

Adhuc non acquiescit iste, sed ait, *hanc rationem vanam esse, nisi nullam inter eos celebratam fuisse missam, à tempore quo ad fidem Christianam conuersi fuerant, fateri malimus.* Semper hic sui est similis, nimirum falsus, vel fallere volens, & *Iudæos* incredulos *Christianos* iam esse, antequam ad fidem conuerterentur, stultè supponens.

Quinimo (ait) *qui iam conuersi fuerunt, & sacrificium Missæ aliquandiù, vt à Catholicis supponendum est, frequentarunt, necesse habuerunt, vt de eius ratione & institu-*

tione, ex lege & Prophetis, non minus quam de sacrificio crucis edoceri. Et tametsi ordo postularet, vt hoc primo tractaretur, ratio tamen exigebat, vt sacrificium missæ non penitus prætermitteretur, præsertim cùm tali modo tractatum ab eo fuisset sacrificium crucis, vt missaticum sacrificium non modò non necessarium, sed detestandum fore perspicerent.

Iudæi ad *Christi* fidem conuersi, adeo plenè de ratione iugis sacrificij noui testamenti instruebantur, ex lege, quæ oblationem *Melchisedechi* in pane & vino docuerat; ex Prophetis, (qui *Christum* Sacerdotem secundum ordinem *Melchisedech* futurũ, & quod tempus veniret, quo cessantibus sacrificijs veteribus, *oblatio munda vbique Deo offerretur*; & quod iuge sacrificium futurum esset, expresse prædixerant) vt tantum aberat eos in detestationem illius adduci (quemadmodum *Fulkus* per incredulitatem suam plusquam *Iudaicam* illud detestatur) vt sacris Scripturis omnino conforme, & consummatiuo ac redemptiuo crucis sacrificio nullatenùs repugnare rectè intelligerent; sicut etiam omnes fideles, atque Orthodoxi *Christiani*, ab illo tempore vsque ad præsentem diem,

Gen. 14. *Ps.* 109. *Malachiæ* 1. *Dan.* 11. 31. & c. 12. 11.

ſemper crediderunt. Idcirco pluſquam falſum eſt, quod idem hæreticus ibidem addit, *Apoſtolum non modo ſilentio præterire ſacrificium Miſſæ, ſed etiam multa contra illud pronunciare.* Vnum enim Orthodoxum authorem, qui per totum mille & ſexcentorum annorum ſpatium, aliquid in tota hac epiſtola contra ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacrificium dictum, etiamſi diſrumpatur, nunquam proferre poterit. Sed peruerſiſſimum hæreticum iam relinquamus, & quod reliquum eſt inſtituti noſtri proſequamur.

Quarto igitur obſeruandum eſt, antiquos patres, qui ante mille & ducentos annos hãc Apoſtoli epiſtolã cõmentarijs ſuis elucidarunt, eaſdem, quas ex ea ſectarii noſtri contra Miſſæ ſacrificium hodie efformant, obiectiones perſpexiſſe, ponderâſſe, refelliſſe; tantum abeſt, vt aliquid contra tremendum hoc myſterium Apoſtolum diſputâſſe exiſtimârint. Quod vnicum argumentum cuiuis ergra veram fidem, & ſalutem propriam mediocriter tantum affecto, de *Catholicæ* doctrinæ veritate hac in parte

Clarum pro veritate Catholica teſtimonium.

persuadere sufficere deberet. Isti enim patres neque minus docti, & perspicaces (vt nihil amplius dicam) quam sunt noui nostri Euangelistæ, neque minus in exquirendo vero sacræ Scripturæ sensu studiosi & diligentes fuerunt, & prætera (quod de *Protestantibus* dici nequit) ab omni passione, & partium studio immunes erant ac liberi, vtpote longissimo tempore ante omnem de hac re motam quæstionem scribentes, ac proinde æquiores ac sinceriores iudices huius controuersiæ iure ab omnibus sunt habendi. Eos itaque audiamus.

Patres præuiderunt has obiectiones.

Sanctus Chrysostomus, & *Sanctus* etiam *Ambrosius* (vel quispiam alius eiusdem cum eo antiquitatis, nam ipse forsan non est author illorum commentariorum in epistolas *S. Pauli*, quæ in eius operibus inueniuntur) in comentarijs suis in hanc epistolam ad hæc verba Apostoli, *Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum: per singulos annos eisdem ipsis hostijs, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere, alioquin cessasset offerri, ideo quod nullā haberet vltra conscientiā peccati cultores semel mundati.*

Heb. 10. 1. 2.

Ad hæc verba ita scribunt isti duo patres, (in vtroque enim reperiuntur eadem ferè verba, sed ista sunt *Chrysostomi*: *Quid vero nos? non quotidie offerimus? Offerimus quidem, sed eius mortem reuocamus in memoriam, & ipsa vna est, non multæ. Quomodo vna est non multæ? Quoniam semel fuit oblata, illa fuit in sancta sanctorum. Hoc est figura illius, & ipsa illius. Eundem enim semper offerimus: non nũc quidem alium, sed semper eundem. Quamobrem vnum est sacrificium propter hanc rationem. Quoniam multis in locis offertur, multine sunt Christi? Nequaquam, sed vnus vbique Christus, qui & hîc est plenus, & illic plenus, vnum corpus. Quoniam ergo multis in locis oblatus, vnum est corpus, & non multa corpora, ita etiam vnum est sacrificium. Pontifex noster ille est, qui illam obtulit Hostiam, quæ nos mundat. Illam nunc quoque offerimus, quæ tunc fuit oblata, quæ non potest consumi. Hoc fit in recordationem eius quod tunc factum est. Hoc enim facite, inquit, in mei recordationem. Non aliam Hostiam sicut Pontifex, sed eandem semper facimus, vel potius Hostiæ vel sacrificij facimus recordationem.*

Similia habẽt ex Græcis Theophilact. & Oecumenius, & ex Latinis Haymo, Paschasius, & Remigius. S. Chrys. hom. 17. in Epist. ad Heb. ad finem

Et *Primasius S. Augustini* auditor, eidẽ obiectioni, quam ipse sibimet proponit,

In epist. ad Heb.

ſatisfaciens ait. *Quid ergo dicendum eſt, nunquid & Sacerdotes noſtri quotidie idem nõ agunt, dum offerunt aſsiduè ſacrificium? Offerunt quidem, ſed ad recordationem mortis eius: & quia nos quotidie peccamus, & quotidie indigemus mundari: quia ille non poteſt iam mori, dedit nobis hoc ſacramentum corporis & ſanguinis ſui, vt ſicut paſsio illius, redemptio, & abſolutio fuit mũdi, ita etiam iſta oblatio* (aduerte iſta) *redemptio & mundatio ſit omnibus in vera fide offerentibus, & bonam intentionem habentibus.*

Ex quibus omnibus clarè conſtat, antiquos patres *Græcos* & *Latinos*, qui nouos noſtros Euangeliſtas mille, & amplius annis præceſſerunt, eorum argumenta, quibus ſacroſanctum miſſæ ſacrificium euertere contendunt, vidiſſe, eiſque reſpondiſſe, atque illis nihil obſtantibus miſſas celebrâſſe, immo & nõnullos inter illos formas diuini officij, quibus tam *Græci*, quam *Latini* in liturgiis ſuis, hoc eſt miſſarum celebrationibus hodie vtuntur, compoſuiſſe: quos tamen & mentem, & doctrinam Apoſtoli non minus quam nouos iſtos magiſtros intellexiſſe, nemo cordatus dubitare poteſt.

Cæterum vt imperitiori lectori Nouatorum tergiuersationes clarius innotescant, aduertere oportet, quibusnam subterfugiis, & cauillationibus clarissima patrum testimonia eludere conātur. Quia aliqui patres iuge hoc, & quotidianum Ecclesiæ sacrificium, in memoriam, & commemorationem sacrificij Crucis offerri dicunt, volunt isti, eos non de sacrificio vero ac proprio, sed de spirituali & metaphorico loquutos fuisse. Quasi vero respectus commemorationis veram rationem proprij sacrificij excluderet? vtique si hoc esset verum, necesse esset affirmare, omnia legis *Mosaicæ* sacrificia metaphoricè tantum, & impropriè fuisse sacrificia. Illa enim omnia non minorem, ne dicam maiorem, ad crucis sacrificium dicebant respectum & habitudinem, quam quæ in sacrificio Eucharistiæ à patribus agnoscitur. Hoc tantum interest, quod illa, quia præcesserunt sacrificium Crucis, illud præfigurabant, & præmonstrabant tanquam futurum, Eucharistiæ vero sacrificium, quia sequitur, illud tanquam præteritum commemorat, & memoriam eius recolit. Quod quidem discrimen perfectam rationem

Occurritur cauillationi.

Quid interest inter sacrificiorum veteris & nouæ legis habitudinem ad sacrificium crucis.

sacrificij in hoc posteriori non tollere clarius est, quam vt à quoquam sensato negari possit. Cum itaque respectus præfigurationis veram rationem sacrificij in illis legis veteris non destruxisse apud aduersarios in confesso sit: respectum vel habitudinem commemorationis, eãdem proprij sacrificij rationem in Eucharistia tollere, stultum est asserere: Sed vt propiùs ad rem accedamus, & vt mẽtem Apostoli in locis allegatis tandem declaremus,

Imperfectio hostiarum antiquarum ex triplici capite ostenditur.

Obseruandum est quintò, Apostolum vt Sacerdotium, ac sacrificia *Leuitica* ad delenda singula peccata, nedum ad redimendum totum genus humanum, & regnum cœlorum nobis aperiendum nõ sufficere, contra incredulos *Iudæos* probaret, imperfectionem illorum multipliciter ostendere. Primo ex *parte Sacerdotum, qui cum peccatores essent, & infirmitatem haberent, pro delictis suis hostias prius offerre deberent, deinde pro populi: Et quia ipsi circumdati essent infirmitate deberent quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipsis offerre pro peccatis,* ac proinde alios à peccatis liberare nequirent, sed ipsi potius redemptore egerent. Secundò, idem ostẽ-

Cap. 7. 27. 28.

Cap. 5. 2.

dit ex parte ipsius Hostiæ vel sacrificij, quod cum esset tantum caro, & sanguis brutorum, conscientiam mundandi potestatem habere non potuit. *Iuxta quam munera* (inquit) *& Hostiæ offeruntur, quæ nō possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem &c.* Et iterum. *Impossibile enim est sanguine taurorum & hircorū auferri peccata.* Tertio denique idem ostendit ex parte ipsius actionis immolādi, quæ cum sæpius pro eodem peccato delendo repetanda esset, exigui valoris fuisse ostēditur. Si enim efficax fuisset, non toties iteraretur. *Per singulos annos eisdem ipsis Hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere, alioqui cessassent offerri: ideo quod nullam haberent vltra conscientiam peccati, cultores semel mundati.* Et iterum. *Et omnis quidem Sacerdos præstò est, quotidie ministrans, & easdem semper offerens Hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata.*

Cap. 9. 9

Ca. 10. 4

Cap. 10.

Cum iam ex omnibus istis capitibus, Sacerdotij & sacrificij *Leuitici* imperfectionem, & insufficientiam ostendisset, alterius sacerdotij & sacrificij, quod cōsummationem faceret, hoc est vniuersalem totius generis humani redemptio-

Necessitas & perfectio oblationis crucis.

nem ab omnibus quibuscunque peccatis operararetur, & cœlestis Regni portas nobis aperiret, necessitatem infert. *Si ergo* (inquit) *consummatio per Sacerdotium Leuiticum erat, quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech, alium surgere Sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron dici?* Quod idem argumentum in sequentibus fusè prosequitur. Et tandem ostendit *Christum Iesum* istum esse Sacerdotem, mortemque eius sacrificium esse consummatiuum. Quia omnibus illis numeris, quibus sacrificium & Sacerdotes veteris legis imperfecti erant, ipse perfectissimus sit. *Talis enim decebat vt nobis esset Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus, qui non habet necessitatem prius pro suis peccatis hostiam offerre, deinde pro populi:* Sacrificium vero docet carnem fuisse suam & sanguinem. *Non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna Redemptione inuenta.* Et *Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem adaptâsti mihi:* Actionem denique immolandi adeo perfectam & efficacem fuisse, vt semel tan-

Cap. 7. à versu 11.

Ca. 9. 12

Cap. 10. 5

tum fieri sufficeret. *Neque vt sæpè offerret semetipsum, quemadmodum Pontifex per singulos annos intrat in sancta in sanguine alieno, alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione seculorum ad destitutionem peccati per Hostiam suam apparuit.* Et iterum. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata,* Atque iterum: *Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel.*

Cap. 9. 25.28.

Idcirco cum hæc fuerit præcipua Apostoli in hac disputatione de Sacerdotio & sacrificio *Iesu Christi* intentio (vt vnicuique discursum eius legenti apparebit) neque verba eius, neque sensus contra sacrificium missæ, vel aliud quodcunque sacrificiũ, quod ad delenda peccata, & redimẽdum genus humanũ ex se sufficiens nõ supponitur, nullo modo militant, neque in minimo eis aduersantur. Contra tale vero sacrificium, discursus eius est planè inuincibilis, & non minus contra sacrificium missæ, si absolutè ex se, & absque vllo respectu ad sacrificium crucis diceretur propitiatio pro peccatis nostris, concluderet, quam contra sacrificia *Leuitica*, falsò à *Iudæis* talia æstimata concludit. Sed quia nemo

Quale sacrificium excludit Apostolus.

vnquam *Christianorum* ne somniãdo quidem cogitauit, sacrificium Eucharistiæ ex se absolutè, & independenter à quocunque alio sacrificio peccata delere, nedum redemptionem nostram operari, quale sacrificium Apostolus hîc describit, & qualia *Iudæi* sua esse falsò existimabant, Apostoli discursus non magis contra illud militat, quam contra sacrificia M*osaica* pro eo ipso tempore, quo à Deo instituebantur, & à *Iudæis* legitimè offerebantur, vt inferiùs clarè deducemus.

Sacrificium duplex.

Interim ad maiorem totius rei explicationem, obseruandum est sextò, sacrificia in duplici esse genere. (Loquor autem de sacrificiis, quantum ad eorum efficaciam, & modum, seu rationem, qua effectum suum sortiuntur, nam quoad alias considerationes multipliciter diuidi possunt) Vnum est absolutum & independens, quod effectum suum ex propria sua efficacia, valore, & virtute sortitur, absque respectu, ordine, vel depẽdentia à quocunque alio sacrificio, & consummatiuum, vel redemptiuum dici potest. Alterum respectiuum & depẽdens, non quod verum ac proprium nõ

sit

ſit ſacrificium, ſed quod effectum ſuum, non ex propria ſua efficacia & valore operatur, ſed ex vi & valore alterius, à quo valorem ſuum mutuatur, & applicatiuum dici poteſt, quia efficaciam, & valorem alterius ſacrificij, ad eos effectus, ad quos operandos ordinatur, ex ſua inſtitutione applicat & accommodat. Inter omnia ſacrificia, quæ vnquam extiterint, in lege naturæ, *Moſaica*, vel Euangelica, illud vnicum crucis eſt prioris generis, cætera omnia (etiã illud Eucharistiæ) ſunt poſterioris generis. Omnes enim *Christiani* ſemper crediderunt, & etiamnum credunt & confitentur, ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacrificiũ, totam ſuã propitiandi vim, in quantũ ſacrificiũ eſt, à ſacrificio crucis deſumere, & in ſuo effectu non minus quã olim ſacrificia *Iudaica* ab eo depẽdere: Quanquã propter perfectionem tam primarij ſacrificantis, quam ipſius hoſtiæ, & rei oblatæ, quorũ vtrunque eſt *Christus* ipſe (vnde & magis aptum & idoneum redditur ad ſacrificij crucis merita, & valorem nobis applicãdum) iſtud incõparabiliter illa excedat, vt *S. Chryſoſt.* ſupra relatus declarat, & omnibus fidelibus *Christianis* per ſe conſtat.

Vnde dignitas ſacrificij Euchariſtiæ. p. 665.

Necessitas præfatę distinctionis.

Hanc distinctionem sacrificij in absolutum, independens, & consummatiuũ, & in respectiuũ, dependens, & applicatiuum non confictã seu imaginariam, sed veram, realem, ac sacris Scripturis conformem esse, necesse est omnibus, tam *Protestantibus*, quam *Catholicis* agnoscere, nisi quis in vnum ex his duobus scopulis impingere velit: nimirum vt vel omnia sacrificia antiqua, tam legis naturæ, quam *Mosaicæ*, à numero, & ratione veri sacrificij excludere; vel ea consummatiua, & independentia sacrificia fuisse asserere audeat; quorum tamen vtrumq; iuxta receptissima *Christianæ* doctrinæ principia absurdissimum est Paradoxum.

Cum igitur clarissimum sit iuxta necessariam huius distinctionis doctrinam, Apostolum in hac Epistola sacrificium prioris generis docere & stabilire voluisse, quod vnicum quidem esse, ab vnico Sacerdote, & semel tantum oblatum in confesso est: non minus clarum est doctrinam eius nullam cum sacrificio Eucharistiæ habere repugnantiam, quasi illud ab Ecclesia *Christianorum* excludat, & illius vsum illicitum, seu

superstitiosum (vt aduersarij stultè imaginantur) constituat: quod duplici medio demonstratur.

Sacrificiũ Crucis cũ sacrificio Eucharistiæ non repugnat.

Primò, quia sacrificium prioris generis non maiorem habet repugnantiam cum sacrificio quocunque posterioris generis, quam habet existentia vel concursus causæ primæ cum existentia, & cooperatione causæ secundæ, quia sicut causa prima alterius est ordinis à causa secũda, ac proinde illius cooperationem ab effectus sui productione non excludit, sed naturaliter illam comitatur, corroborat, & perficit, ita etiam & sacrificium Crucis, quod *S. Paulus* in hac Epistola docet, alterius est ordinis, & generis ab aliis quibuscunque sacrificiis; ac proinde illa à ratione diuini cultus non excludit, sed potius ea ita perficit, vt necessario ad illa præsupponatur, vtpote virtutem, & valorem illis tribuẽs modo non omnino absimili, quo causa prima præsupponitur à causa secunda, illiq; & cooperatur, & virtutem operandi tribuit. Idcirco sacrificium Crucis, quod *S. Paulus* docet, etsi consummatiuum sit redemptionis & sanctificationis nostræ, nullam tamen cum sacrificio Euchari-

ſtiæ, quod applicatiuum eſt valoris illius, repugnantiam habere, per ſe clarum videtur.

Nō magis pugnat Sacrificiū Crucis cū ſacrificio Euchar. quā cum ſacrificiis veteribus.

Deinde non maiorem, neque aliã omninò repugnantiam habet ſacrificiũ conſummatiuum Crucis cum ſacro-ſancto Euchariſtiæ ſacrificio, quam habet, vel habuit cum ſacrificiis veteribus vtriuſq; legis, naturæ ſcilicet & *Moſaicæ*, etiam pro illo eodem tempore, quo ex diuina inſtitutione, & approbatione in vſu erãt. Ergo nullam prorſus cum eo repugnantiam habet. Si antecedens clarè euincere poterimus, nullus adeo ſtupidus erit, qui de conſequentia nobiſcum contendet. Antecedens igitur probemus.

Vnde Sacrificiū crucis cū ſacrificio Euchar. pugnare videtur.

Hebr. Cap. 10. 2. 14. & 18.

Sacrificium Crucis non aliter cum ſacrificio Euchariſtiæ pugnare prætenditur, quam quia *per vnicam illam oblationem ab vnico ſacerdote Ieſu Chriſto, ſemel tantum oblatam, conſummati ſunt in æternum ſanctificati; & quia remiſſione peccatorum facta, iam non eſt amplius oblatio pro peccato, quia cultores ſemel mundati, nullam habent vltra conſcientiam peccati.* Nulla enim repugnãtiæ ratio inter hæc duo ſacrificia excogitari poteſt, quam quod hoc poſterius & vnitatem, & efficaciam prioris, quæ in verbis

Apoſtoli relatis declarantur, deſtruere videtur. Sed iſta omnia eodẽ plane modo contra ſacrificia vetera militant, quia hoc idem vnicum ſacrificium Crucis, à *Christo Ieſu* ſummo noui Teſtamenti Sacerdote, ſemel oblatum, non minus pro peccatis commiſſis ſub prioribus legibus, quam pro eis, quæ poſtea commiſſa ſunt, oblatum fuit, ipſo Apoſtolo id expreſsè teſtante his verbis. *Et ideo noui teſtamenti mediator eſt, vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis.* Et aduerſarij ipſi peccata omnia, quæ ab origine mundi remiſſa & condonata fuere, nõ obſtante quod pro illis ſacrificia vetera oblata fuiſſent, per vnici crucis ſacrificij virtutem, ac meritũ remiſſionem conſequuta fuiſſe, negare nõ audebunt. Neque hoc tantum, ſed etiam vnicum hoc ſacrificium, omnem gratiæ ſanctitatem hominibus (ſaltem poſt *Adæ* lapſum) collatam, & omnem cultum, vniuerſis præcedentibus ſacrificiis Deo exhibitum, conſummaſſe, & perfeciſſe, ſi *Chriſtiani* eſſe volunt, neceſſe eſt concedant. Ex quibus clarè conſtat,

Ca.9.15.

Efficax & cuidens argumẽtũ.

non maiorem cum ſacrificio Crucis repugnantiam habere ſacrificium Euchariſtiæ, quam veterum legum ſacrificia, & conſequenter non magis illicitum, & ſuperſtitioſum eſſe, ex hoc capite quam illa olim fuerunt.

Porro eadem prorſus ratio, quæ ſacrificia tam legis naturæ, quam *Moſaicæ*, quæ non tantum vera ac propria fuerunt ſacrificia, ſed etiam in ſuo genere propitiatoria, & ad peccata illa tollenda, quæ per Sacrificium Crucis remitti debebant, Deo ipſo ordinante inſtituta (loquimur de quibuſdam ex ipſis) ſancta, ac legitima eſſe probat, non obſtante quod ſanctificatio illorum cultorum per ſacrificium Crucis poſtea offerendum effici, & conſummari debuerat, probat etiam ſacrificium Euchariſtiæ ſanctum, ac legitimum eſſe, etiamſi ſacrificium Crucis, ſanctificationis noſtræ conſummatiuum, iam oblatum fuerit.

Preuenitur obiectio.

Dicet fortâſſe quiſpiam ſacrificio crucis, quo redemptionis noſtræ opus perficiendum fuit, nondum peracto, poterât iuſtiſſimæ eſſe rationes talia ſacrificia inſtituendi, qualia in lege naturæ & ſcri-

ptæ fuisse euidens est, quæ tamen sacrificio illo iam peracto cessare videntur, & consequenter nullum aliud sacrificium modo admittendum esse. Respondeo hoc impertinenter dici. Nam vel illæ rationes, quæ antiquorum sacrificiorum institutionem suadebāt, virtuti, efficaciæ, & vnitati sacrificij Crucis derogabant, vel non. Si quidem illi aduersarentur, talium sacrificiorum vsum, & institutionem legitimam reddere nulla ratione potuerunt, sed essent necessario talia sacrificia illegitima, ac superstitiosa. Si vero illi non fuerint contrariæ (quemadmodum manifestum est, non fuisse) idem etiam dici potest de sacrificio Eucharistiæ, quod maiorem non habet cum sacrificio Crucis repugnantiam, quam habuerunt sacrificia antiqua. Extrinsecum enim, & accidentale illud temporis discrimen, quod inter antiqua sacrificia, & sacro-sanctam Eucharistiæ oblationem intercedit, ratione cuius illa sacrificium Crucis præcesserint, istud vero subsequutū fuerit, talem inter ea differentiam non ponit, vt ex ea præcisè, illa sacro-sancta ac legitima, istud vero superstitiosum

Differētia temporis sola non facit sacrificiū illicitū.

esse, & Deum offendere censendum sit: præsertim cum vis & efficacia sacrificij Crucis non minus ad omnia præcedentia, quam subsequentia tempora se extendat. Illud enim est sacrificium quo agnus ab origine mundi per diuinā præordinationem occisus, mactatus fuit, & respectu cuius cetera omnia sacrificia Deo grata fuerunt, vtpote in illius valore ac merito fundata.

Apoc. 13. 8.

Si quæratur, cur igitur cessârint illa, & nouum institutum fuerit eorum loco, si illa differentia temporis prioris, & posterioris nullum inter ea faciat materiale discrimen. Respondeo non ideo esse abolita antiqua illa sacrificia, quia veram aliquam cum sacrificio Crucis habuerint repugnantiam, in quantum vel sacrificia fuerint, vel propitiatoria. Sic enim non modo cessare, sed nunquam institui debuissent, vt iam dictum est. Sed præter cæteras, quas hîc enumerare non vacat, propter duas rationes abolita fuerunt antiqua sacrificia.

Occurritur obiectioni.

Quare abolita fuerunt antiqua sacrificia.

Prima est, quia vmbræ fuerunt, & figuræ futurorum bonorum, vt Apostolus docet, & omnes agnoscunt Christiani, ac proinde postquam

Ad Heb. c. 10. 1.

res ipſa & veritas aparuerit, neceſſe erat, vt illa euaneſcerent, & loco cederent.

Secunda, quia magis craſſa, ac imperfecta fuerunt, quam noui teſtamenti ſtatum (cui Deus ex immenſa ſua bonitate, & ſapientia meliora reſeruauerat promiſſa) decebat: Ac proindè illis abolitis, aliud eorum loco inſtituit ſacrificium, quod tametſi in forma & ſpecie differat, in re tamen, & ſubſtantia idem omnino eſt cum excelſiſſimo, ac perfectiſſimo crucis ſacrificio. Quod etiamſi propter internam & eſſentialem ſuam perfectionem, ſacrificia antiqua eodem gradu excellat, quo corpus & ſanguis *Chriſti*, corpora & ſanguinem taurorum & hircorũ præcedit, propter duo tamen alia, nonnullam cum illis habet proportionem.

In duobus conuenit ſacrificiũ Euchariſtiæ cũ ſacrificiys veteribus.

Vnum, quod ſicut antiqua ſacrificia talem habebant ad ſacrificium crucis habitudinem, & reſpectum, vt ab illo in ſua efficacia dependerent, virtutem & valorem ſuum ab illo deriuantia, ita etiam & Euchariſtiæ ſacrificium. Nam hoc non eſt ſacrificium, ab omni ex alio ſacrificio dependentia & reſpectu abſolutum, quale fuit ſacrificium crucis; neque redemit nos à peccatis, vel confert

nobis gratiam independenter à sacrificio crucis, sed potius fructum & valorem cruenti illius sacrificij nobis applicat, quod sacrificia etiam antiqua prçstabant, quamuis neque in tanto gradu, neque etiam ex vi ipsius operis, vel (vt loquuntur scholastici) ex opere operato.

Alterum, quod sicut antiqua sacrificia sacrificium crucis præmonstrabant ac præfigurabant, vtpote illud præcedentes; ita sacrificium Eucharistiæ illud subsequendo, illius memoriam recolit, vt testatur Apostolus. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis*. Et S. Augustinus. *Huius sacrificij caro & sanguis ante aduentum Christi per victimas similitudinum promittebatur, post ascensum Christi per sacramentum memoriæ celebratur.*

1. Cor. 11.

Contr. Faustũ l. 20. c. 21.

Tertiò denique ostenditur, sacrificium missæ nullam cum sacrificio crucis habere repugnantiam, neque illius valori, merito, & efficaciæ in minimo derogare. Quia Baptismus & Eucharistia, vt est sacramentum, & ipse actus fidei, quem iustificatiuum aduersarij vocant, illud præstant (vnumquodque in suo genere & ordine) quod *Catholici*, Eucharistiæ vti sacrificio attribuunt. Nã meri-

ta & valorem passionis *Christi*, & sacrificij crucis nobis applicando, ad remissionem peccatorum, infusionem gratiæ, & iustificationem nostram verè cooperantur. Sed sacrificium Eucharistiæ in quantum est propitiatorium (quo titulo illud maxime impugnant aduersarij) aliud non præstat. Ergo non magis vnico sacrificio crucis derogat, quam prædicta: quæ tamen illi nullatenùs derogare aduersarij nostri ingenuè fatentur.

Et hic aduersarios obseruare velim, quod si quodcunque medium, quo merita passionis *Christi* nobis applicentur, (quantumuis ipsam virtutem applicatiuam ab ipsa passione accipiat) illius merito & valori derogare velint; necesse est dicant prædicta sacramenta eidem derogare, quæ nobis alio modo non prosunt, quam diuinam gratiam & cœlestia dona, quæ *Christi* passio promeruit, nobis applicando. Si vero econtra aliqua alia media ab ipsa passione *Christi* distincta, quibus illius merita nobis applicentur, & attribuantur, absque eo quod illi quoquo modo derogant, credenda esse sentiant (vt *Christiani* omnes necessariò sentiunt, quia alioquin omnes plane homines salui fierent, cum pro omnibus *Chri-*

stus passus sit) absque omni rationis specie, & mera hæretica peruersitate, sacrificium Eucharistiæ sub prætextu quod sacrificio crucis deroget, reiiciunt.

Posito enim iuxta receptissimam omnium *Christianorum* fidem, *Christum Iesum* secundum scilicet *Adamum*, passum esse pro omnibus primi *Adami* filiis, & quod nihilominus omnes illi non saluantur: necesse est, quod sint aliqua media ab ipsa passione distincta, quibus illius merita, & valor hominibus applicentur, alioquin enim omnes æquè salui fierent; hoc inquam, Christianæ religionis receptissimo dogmate posito, insulsi sunt qui sacrificium Eucharistiæ ob eam rationem, quod nimirum passioni Christi, & sacrificio crucis deroget, negare prætendunt.

Cap. decimvmoctavvm.

Digreſſio ſuper eandem quæſtionem, qua fuſiùs declaratur ſacrificium Euchariſtiæ, etiam in quantum propitiatorium, crucis ſacrificio minimè repugnare: qua etiam obiter oſtenditur, doctrinam Catholicam de operibus noſtris ſatisfactorijs & meritorijs, cum ſatisfactione & merito paſſionis Dominicæ rectè concordare.

HOrum temporum nouatores, Orthodoxam de propitiatorio Miſſæ ſacrificio fidem, eo præcipuè argumento conuellere exiſtimant; quo ſacrificij crucis merito & valori illud derogare contendunt, in cuius erroris fauorem ita argumentari licet.

Si ſacrificium Euchariſtiæ ſit propitiatorium, vel pro ijſdem peccatis pro quibus ſacrificium crucis oblatum fuit, vim propitiatoriam habet, vel pro alijs. Sed horum vtrumque ſacrificij crucis

Argumentum pro aduerſa parte.

valori & efficaciæ manifestè derogat: Ergo sacrificium Missæ absque iniuriâ sacrificij crucis propitiatorium esse nequit. Maior propositio est per se nota, nec probatione vllâ eget, conclusio est necessaria: Minor vero, quæ sola restat probanda, sic ostenditur.

Sacrificium Missæ non potest esse propitiatiuum pro peccatis pro quibus sacrificium crucis non fuit oblatum: quia vt testatur S. Ioannes, Christus est *propitiatio pro totius mundi peccatis*, non vtique alia ratione, *nisi quia seipsum tradidit pro nobis oblationem & hostiam Deo*, vt docet Apostolus. Deinde præter ipsum, hoc est, Christum in cruce morientem, *non est aliud sub cælo nomen in quo oportet nos saluos fieri*. Ex quibus clarissimis sacri eloquii testimoniis (vt innumera alia in re per se nota prætereamus) constat, nullum esse posse peccatum per sacrificium Missæ delendum pro quo sacrificium crucis non fuit oblatum. Idcirco si aliqua propitiandi vis sacrificio Missæ insit, necesse est: vt pro iisdem eam virtutem habeat, pro quibus Christus seipsũ in cruce obtulit.

1. Io. 2. 2.

Ephes. 5. 1.

Act. 4. 12.

Quod verò neque pro illis peccatis propitiatorium esse queat; sic conuinci

poſſe videtur. Si pro iiſdem peccatis ſit propitiatorium ſacrificium Miſſæ, pro quibus ſacrificium crucis fuit oblatũ, vel ſacrificiũ crucis nõ fuit ſufficientis valoris & efficaciæ ad ea delenda, vel certè ſacrificium Euchariſtiæ cenſendum eſt ad hunc effectum omnino ſuperfluum & otioſum, vel denique Deum eſſe iniuſtum, qui duplicatam ſolutionem & ſatisfactionem pro vno eodemque debito exigit. Sed iſta omnia in fide Chriſtiana ſunt valdè falſa & abſurda. Ergo neque pro illis peccatis ſacrificium Miſſæ expiatorium eſſe poteſt.

Prima huius argumenti propoſitio probatur, quia vel eſt neceſſarium iſtud ſacrificium Miſſæ ad prædicta peccata delenda, vel non. Si primum, ergo vel ſacrificium crucis non fuit ſufficiens ſatisfactio pro prædictis peccatis, vel Deus erit iniuſtus, qui ſufficienti ſatisfactione exhibita, aliam adhuc requirit: Nam poſita cauſa ſufficienti cuiuſcunque effectus alia cauſa eiuſdem non eſt neceſſaria. Neque alia quidem ſolutio pro debito ſufficienter iam compenſato abſque iniuſtitia exigi poteſt. Si verò ſecundum dicatur, ergo otioſum & ſuper-

fluum est sacrificium Missæ, quia frustrà fit per plura quod fieri potest per pauciora, vt omnes docti libenter agnoscũt. Minor vero propositio quoad priorem partem, nimirum sacrificium crucis non esse sufficientem propitiationẽ pro totius mundi peccatis, falsã esse & absurda probatur. Quia manifestè aduersatur præcipuo totius fidei Christianæ fundamento, quæ docet passionem Christi non solùm sufficientem, sed & copiosam esse totius generis humani redemptionem. Secunda verò eiusdem minoris pars, nimirum, iniustum esse Deum, euidenter blasphemum est. Tertium denique, quod in eadem minore continetur, nempe quod otiosum esset tale sacrificium, quamuis non sit adeo prorsus execrandum, ac cœtera: est tamen omnino falsum & absurdum. Nam si in operibus naturæ adeo exactum obseruet Deus numerum, pondus & mensuram, vt nihil omninò in eis frustrà esse patiatur: quis obsecro adeo vecors erit, vt in altissimis fidei nostræ mysteriis, talem tantumque hiatum eum reliquisse, imò intulisse cogitare possit? Nullam itaque in sacrificio Missæ propitiationis rationem tuẽdi

absque

absque manifesto, sacrificio crucis illato præiudicio, vel alio euidenti incommodo, sufficiens fundamentum apparet.

Respõsio

Hoc argumentum hisce terminis propositum apud nullum aduersariorum inuenio: illud tamen eousque vrgere volui, vt tota illius vis clarior omnibus esset: & vt ex illius solutione posteà vnicuique constet, quam infirma sint validissima hæreticorum argumenta contra veritatem Catholicam contorta. Priusquam autem ad argumentum propositũ respondeamus, aduertendum erit, quod etiamsi vel istud, vel quodcunque aliud argumentum conuinceret sacrificiũ Eucharistiæ non esse propitiatorium; non tamen inde statim sequeretur illud non esse verum ac propriè dictum sacrificiũ. Nam sola propitiandi ratio non est causa instituendi sacrificia; cum illa possint esse & Eucharistica, & cultus diuini exhibitiua; quæ in vnoquoque sacrificio primaria & quasi essentialis est ratio, & finis intrinsecus. Quod vero tale sit saltem in lege noua sacrificium, satis superque iam ostensum est.

Nota.

Quæ ratio instituendi sacrificia.

His itaque præmissis in forma modò ad prædictam argumentationem res-

pondeo: Pro iisdem ipsis peccatis sacrificium Eucharistiæ propitiandi habere virtutem, pro quibus crucis sacrificium fuit à Christo oblatum: nego tamen illud in minimo sacrificio crucis derogare. Et ad argumentum quo illud probatur, respondeo negando maiorem, nimirum vel sacrificium crucis fuisse insufficiens, vel Deum esse iniustum, vel denique sacrificium Missæ esse superfluum. Et ad probationem primæ partis dico sacrificium Missæ esse quidem necessariũ ad delenda nostra peccata, nõ absolutè & simpliciter & ex suâ naturâ; sic enim neque sacrificium crucis fuit necessarium, vt omnes fatentur: sed secundum quid, seu ad melius esse, (vt dici solet) & ex diuina ordinatione vel institutione. Vnde sequitur neque fuisse superfluum, quod alterum membrum erat prædictæ probationis. Quod verò neque Deum iniustitiæ arguat, quasi duplicem pro eodem debito solutionem requirat, ex dicendis clarè apparebit.

Quæ omnia vt vnicuique non voluntariè cœcutienti manifesta reddantur: Aduertendum est oblationem crucis

iuxta doctrinam Catholicam tanti esse valoris ac meriti propter infinitã personæ offerentis dignitatem, vt non solùm sufficiens & condigna, sed etiam copiosissima & superabundans esse posset redemptio & satisfactio, pro peccatis totius mundi, non hominum solùm, sed etiam Angelorum, tàm quoad pœnam omnẽ, quam quoad culpam. Ac proinde si ita visũ fuisset & filio offerẽti, & æterno patri cui fuit oblata, illã in eũ finem ordinare, plenissima fuisset ac perfectissima totius mũdi reparatio atque redẽptio, nõ tantùm quoad sufficientiam, sed etiam quoad efficaciam: adeo vt non opus esset quocunque alio medio, siue à nobis exercito, quales sunt actus fidei, spei, charitatis, & pœnitentiæ & huiusmodi, siue à Deo instituto, vt sunt sacramenta; ad hoc vt istud remedium nobis applicaretur. Sed ipsamet crucis oblatio & plenissima esset solutio pro omnibus peccatis, copiosissimũ quoq; esset meritũ & pretiũ totius gratię & glorię nobis conferendæ, ac denique eiusdem meriti & pretij actualis applicatio. In huius doctrinæ probatione non est quod multùm laboremus: nam & à Catholicis

vniuersis vnanimi consensu recipitur, & ab aduersarijs tanquam vnicum argumentationis suæ fundamentum præsupponitur.

Dico nihilominùs quòd non obstante copiosissima & superabundante Passionis Christi solutione, & satisfactione, sacrificium Eucharistiæ & esse possit, & de facto sit pro peccatis nostris verè propitiatorium & satisfactiorium: non quod sacrificium crucis non fuit sufficientissimum ad satisfaciendum pro omnibus peccatis, imò & ad cætera omnia, quæ ad salutem nostram requiruntur efficienda: sed quia Deus pro sua sapientia & bonitate, ita ordinare & statuere voluit. Quæ quidem diuina ordinatio tantum abest vt valoris & merito passionis Christi detrahat, aut Deum seueritatis nedum iniustitiæ arguat: vt & meritum Christi plurimum illustret, & Dei misericordiam & bonitatem maximè commendet. Quæ cum ostensa fuerint, luce meridianâ clariùs constabit, quam friuolum ac inane sit præcipuum aduersariorum contra hoc diuinum mysterium argumentum.

Sacrificiũ Eucharistię meritũ Christi plurimũ cõmendat.

Hæc igitur vt conuincamus, præmit-

tendum eſt, Deum non obſtante ſuperabundante merito ac valore paſſionis Chriſti, ad pleniſſimam totius generis humani ſalutem operandum, nonnulla alia tanquam eiuſdem finis media inſtituiſſe: non quidem ex neceſſitate, quaſi filij ſui mors & paſſio ad illam plenè operandum non ſufficeret, ſed ex ſuâ liberâ benigniſſimaque voluntate per altiſſimam ſapientiam ſuam regulata, & omnipotentia ſua opere completa: quod quidem multis argumentis demonſtratur.

Varia ſalutis æternæ media.

Primò, ex eo quod non obſtante copioſiſſima per Chriſtum omnium hominum redemptione, omnes tamen homines non ſaluantur. Hinc enim manifeſtum eſt, aliquid aliud præter ipſam Chriſti mortem & paſſionem ad hominũ ſalutem neceſſariò requiri. Si enim ſola Chriſti ſatisfactio eſſet neceſſaria, cum ipſa ſit exhibita & pro omnibus oblata, vt S. Iohannes expreſsè teſtatur: omnes infallibiliter ſaluarentur.

1. Io. 2. 2.

Secundò, Scriptura ſacra clarè docet quod *Chriſtus conſummatus* (hoc eſt in cruce immolatus) *factus eſt omnibus ſibi obtemperãtibus cauſa ſalutis æternæ*. Ergo ſola Chriſti paſſio abſque mandatorum

Heb. 5. 9.

eius obseruatione non sufficit ad salutẽ æternam. Quod ipse Christus expressiùs docuit, cum viam seu medium salutis quærenti responderit; *si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

Tertiò, hoc idem ex baptismi) vt cœtera sacramenta iam taceam) institutione non minus efficaciter conuincitur: De illo enim ipsemet Dominus testatur; quod *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum cælorum.* Ex quo luce clariùs constat, aliquid præter ipsam Christi passionem ad salutem acquirendam necessarium esse. Et tametsi non omnes aduersarij existiment, baptismum esse medium ad salutem necessarium, sed sufficere fidem vel ipsius baptizati, vel parentum eius, (in quo expressæ doctrinæ Euangelij contradicunt) non tamen id asserunt, quia arbitrantur baptismi necessitatem meritis passionis Dominicæ in aliquo derogare, sed quia baptismum sub tali necessitate à Christo fuisse institutum contentiosè negant.

Denique (ne nimius sim in re per se clara) ipsimet aduersarij simul cum Ec-

clesiâ Catholicâ præter Christi Domini passionem, requirunt fidem tanquam ad salutem omninò necessariam. Ergo solam Christi passionem non esse salutis nostræ medium necesse est fateantur. Nam si illa sola sufficeret, fides esset superflua, vt ipsi de sacrificio Missæ argumentantur. Sed dicent fortasse fidem quidem ad salutem esse necessariam, etiamsi copiosam per Christum habeamus redemptionem, non quia illa sit vel meritoria, vel satisfactoria seu propitiatoria; (sic enim forte meritis Christi derogaret) sed quia Deus voluit vt absque fide in Christum nullus passionis illius & meritorum esset particeps; quod in sacris scripturis sæpius testatum esse voluit. Sed ineptum est hoc effugium, & ad præsens institutum minimè accommodatum. Non enim hîc contendimus fidem vel meritoriam esse, vel satisfactoriam; (quamuis illud priùs verissimum sit) sed quod præter mortem Christi possit esse, & reipsa sit, aliquod medium ad salutem necessarium, absque eo quod à plenissima per Christum facta redemptione aliquid detrahatur.

Obstruitur subterfugium.

Hæc autem argumenta iam allata euidenter demonſtrant. Vtrum verò illud medium poſſit etiam eſſe meritorium, ſatisfactorium, vel propitiatorium abſque meritorum Chriſti præiudicio, ſtatim diſcutietur. Interim obſeruandum erit, quod ſicut Scriptura ſacra neceſſitatem fidei ad noſtram ſalutem teſtatur, ita etiam charitatem, pœnitentiam, & baptiſmum neceſſaria eſſe non minus expreſsè docet. Quantum enim ad charitatem attinet ita habetur: *ſi vis ad vitam ingredi ſerua mandata.* Vniuerſa verò Dei mandata ad duplicis delectionis legem reducuntur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. & proximum tuum ſicut teipſum.* | De pœnitentiæ verò neceſſitate ita dicit idem ipſe Chriſtus: *Niſi pænitentiam habueritis omnes ſimiliter peribitis.* De baptiſmo autem iam ſupra dictum eſt: *quod niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum cælorum.* Sicut ergo fidei neceſſitas ad ſalutem in ſacris Scripturis exprimitur: ita etiam & charitatis pœnitentiæ, & baptiſmi. Et ex his omnibus manifeſtè tandem conclu-

Math. 19.17.

Mat. 22. 37. 39.

Luc. 13. 3

Ioh. 3.

ditur, alia nonnulla præter solam Christi passionem ad salutem acquirendam necessaria esse: quæ tamen illius meritis & satisfactioni nullo pacto derogare censenda sunt.

Hoc iacto fundamento, restat iam ostendere doctrinam orthodoxam de propitiatorio Eucharistiæ sacrificio, veritati Catholicæ de sacrificij Crucis plenissima satisfactione, & redemptione nullo modo repugnare; quod sic declaratur.

Sacrificiũ propitiatorium nõ magis pugnat cum passione Christi quã alia opera.

Ratio seu virtus propitiandi in sacrificio Missæ, seu alio quocunque opere, non magis aduersatur vel derogat sufficienti, & superabundanti passionis Christi merito & satisfactioni, quam cooperandi ratio ad salutem nostram in baptismo, charitate, pœnitentiâ, vel fide, quæcunque illa sit, nimirum siue sit meritoria, siue satisfactoria, siue applicatoria, per modum veræ causæ formalis, dispositiuæ, aut instrumentalis, vt credunt Catholici; vel saltem per modum conditionis, vt negare non audent aduersarij. Nam non magis disconuenit, plenitudo satisfactionis Christi cum opere quocũque satisfactorio, vel propitiatorio; vt

illud ab actionibus & exercitiis Christianorum excludat, quam cum quauis alia ratione concurrendi vel cooperandi ad nostram salutem: quippe quod non minorem vim habet sacrificium Crucis ad supplēdum & perficiendum quemcunque alium modum, & rationem cooperandi ad nostram salutem, cùm sit causa vniuersalis illius, quam ad supplendam & perficiendam rationem propitiandi,& satisfaciendi pro nostris peccatis & consequenter non magis pugnat cum hoc, quàm illo: præsertim cum tota ratio repugnantiæ, quæ inter passionem Christi &opus quodcunque propitiatorium excogitari potest, ex sufficientiâ vel superabundantiâ satisfactionis Christi oriatur, vt in confesso est. Cum igitur satis iam suprà ostensum sit, passionis Christi superabundantem satisfactionem & meritum, nullam habere repugnantiam cum baptismo, charitate, fide, vel pœnitētiâ, quo minùs illa ad salutem nostram sint necessaria, atque adeo ad eam suo modo cooperentur: nulla potest affingi repugnantia inter eandem passionē Christi & sacrificiū MISSÆ,ex eo quod illud sit propitiatorium. Supposito enim quod

Deus voluerit ordinare, vel inſtituere aliquod medium propitiandi peccatis hominum, non obſtante copioſa illa Chriſti Domini ſatisfactione & ſolutione, ſicut reipſa ordinauit alia media cooperatiua ad noſtram ſalutẽ pręter ipſã Chriſti mortem; quæ tamen ſufficiens erat abſque illis mediis ſalutem totius generis humani perfectè efficere, vt iam dictum eſt: quis dubitare poteſt, quin illud verè eſſet propitiatorium, idque abſque omni iniuria vel præiudicio meritorum vel ſatisfactionis Chriſti: præſertim ſi totam ſuam propitiandi virtutem, atque valorem à Chriſti paſſione deſumeret, vt de ſacrificio Miſſæ omnes Catholici conſtanter credunt?

Præuenitur obiectio.

Dicet hîc fortaſſe quiſpiam, quòd iſta quidem vera ſunt, ſuppoſita diuina ordinatione & inſtitutione: Sed nuſquã apparet quod Deus aliquod huiuſmodi propitiatorium medium præter Chriſti mortem ordinauerit: ac proinde illud gratis, & abſque fundamento à nobis fingitur. Reſpondeo ad præſens inſtitutum abundè ſufficere, oſtendiſſe nullam eſſe repugnantiam in re, ipſa quo minus tale medium à Deo poſſit inſtitui: hoc

enim obiectio aduersariorum, cui hîc satisfacimus, solum postulabat. Inferebant enim sacrificium nullum propitiatorium esse in lege Euangelica præter illud Crucis, ex eo quod tale sacrificium Crucis sacrificij merito derogaret: ex hoc enim inferunt, istud ad generis humani redemptionem ex defectu meriti & valoris non sufficere. Hanc vero illationem ostendimus esse vanam, & consequenter nullam esse ex hoc capite repugnantiam, quæ sacrificij propitiatorij institutionem impedire potest; quod vnicum ostendere, nobis impræsentiarũ incumbebat. Nam sacrificium Missæ contra aduersarios, eorum soluendo argumenta propugnare, non illud positiuis argumentis probare, in hac quæstione nobis proposuimus. Deinde quod reipsa tale sit medium à Deo institutum, nimirum verum ac proprium sacrificiũ, cui tam propter primarium offerentem, scilicet Christum, quam propter rem oblatam, quæ etiam Christus est, ratio propitiandi iure conueniat; iam suprà tã ex sacris Scripturis, quam antiquæ Ecclesiæ incorrupta authoritate copiosè demonstrauimus.

Hactenus sacrificium Eucharistiæ, etiam quatenus propitiatorium, sacrificij Crucis meritis atq; valori nullo modo derogare ostendimus. Sed adhuc vlterius demonstremus, tantum abesse vt Crucis sacrificij merito deroget, vt plurimùm illud commendet, atque illustret. Vnde clarius constabit quam inane sit somnium illud Nouatorum, quo sacrificium Missæ, Crucis sacrificij valorem euacuare vel saltem nonnihil imminuere prætendunt. Hoc vero ita probatur.

Argumentum euidens.

Agens quodcunque virtutem agendi ab alio recipiens, ac proinde in sua operatione ab eo dependens, non tātum vim agendi illius non imminuit aut obscurat; sed è contrà illam longè efficaciorem & illustriorem esse manifestè arguit. Probat enim, illud non solùm tantam habere virtutem, vt per se operari possit: sed etiam vt virtutem agendi alijs communicare queat. Hoc autem multò illustrius esse, quam si ipsum solum agere posset, clarius est quam vt probatione egeat. Quis enim dubitabit, illū maiori, & eminentiori virtute & potestate pollere, qui nō solum per seipsum captiuos

liberat, ægrotoſque ſanat, ſed etiam poteſtatem captiuos liberandi atque ægrotos ſanandi aliis confert: quàm is; qui ſolũ virtute propria illa præſtare poſſet? Idcirco illud quod virtutem operandi ab alio recipit, & per illius cooperationem operatur: illius virtutem & energiã non tantum infirmitatis, & imbecillitatis non arguit, ſed eius præſtantiam & efficaciam maximè declarat. Cùm igitur ſacrificium Eucharistiæ totam virtutem placandi, propitiandi, & impetrandi à ſacrificio Crucis recipiat, & cooperatione illius, omnes ſuos effectus in nobis operetur: non illius valori & merito derogat, vt ignoranter aduerſarij obiiciunt, ſed plurimum extollit atque illuſtrat.

Exẽplũ accommodum.

Quod totum clariſſimo hoc exẽplo elucidatur. Quemadmodum enim actiones & operationes cauſarum ſecundarũ quibus vniuerſa quę per ſingula momẽta ab eis fieri experimur, neq; otioſæ sũt, neq; diuinę omnipotẽtiæ, quæ illa omnia per ſeipſum abſque creaturarum ſuarum interuẽtu efficere poteſt, in minimo derogant: quinimò omnes ſummã eius bonitatem, ſapientiam, & potentiam in eo

maximè admirãtur & laudãt, quòd creaturarum ſuarum operatione & virtute, quas illis liberaliter impertiuit, in iis perficiendis vti & velit, & poſſit, quæ ipſe ſua propria manu efficere optimè nouit: Simili etiam modo tantum abeſt, vt ſacrificij Euchariſtiæ vis propitiandi, vel otioſa ſit, vel ſacrificij Crucis, quod copioſiſſima eſt totius generis humani redemptio meritis, & ſatisfactioni deroget, vt illius valorem & efficaciam hinc maximè admirari debeamus, quod propitiandi, merendi, & ad ſalutem noſtram aliis rationibus cooperãdi tam ſacrificio Miſſæ, quam nonnullis aliis mediis, & cauſis communicarit.

Dixi nonnullis aliis cauſis, quia iuxta fidem Catholicam in ſacris Scripturis clariſſimè teſtatam, & ab Orthodoxis Patribus traditam, ſacramenta omnia nouæ legis, atque etiam bona opera iuſtorum, vt fides, ſpes, charitas, pœnitẽtia, ieiunium, eleemoſyna, oratio, & huiuſmodi Chriſtianorum actiones, ad ſalutem humanam promouendam, procurandamque ſuo modo, & ratione cooperantur, & concurrunt, virtute ad illud efficiendum ex Crucis ſacrificij

meritis & energia desumpta. Illud enim est causa vniuersalis salutis æternæ; quod adeo efficax est, & operatorium, vt non solùm ipsum sit salutis humanæ effectiuum, sed etiam vt prædictis omnibus nonnullam operandi vim ex diuina ordinatione contulerit.

Sacrificiũ propitiatorium cũ Dei iustitia rectè stat.

Attamen adhuc restat declarandũ; quomodo propitiatio sacrificij Eucharistiæ atque etiam satisfactio operum iustorum (nam eadem est horum vtriusq; ratio quantum ad præsentem quæstionẽ spectat) cum diuina iustitia stare possit. Ratio difficultatis iam supra insinuata est, quia nimirum si Deus exigat à peccatoribus aliam satisfactionem, siue per opera sua pœnalia, siue per quodcunque sacrificium propitiatorium, præter illam, quam exhibuit Christus per mortẽ suam in Cruce (quæ. vt iam dictum est, non solùm sufficiens, sed & super effluens erat) videtur iniustus; vtpote satisfactionem pro peccato iam expiato, & solutionem pro debito iam soluto exigens. Sed ista difficultas leuis est, & facilè superabilis. Nam posito quod neque Christus mortem suam obtulit, neq; ęternus Pater eam acceptauit absolutè per omnium

nium peccatorum ſatisfactione, ſed ſub certis quibuſdam conditionibus, quibus impletis ſuum ſortiretur ſalutarem effectum, illis tamen non impletis nulli eſſet ſalutaris: (vt neceſſe eſt omnino concedere & credere, tum propter innumera penè ſacræ Scripturæ teſtimonia, quæ nonnulla alia præter Chriſti paſſionem ad ſalutem eſſe neceſſaria expreſsè docent, quorum aliqua ſuperius citauimus, tum quia alioquin omnes homines infallibiliter ſaluarentur) facillimè intelligitur, quomodo tam ſacrificium propitiatorium Euchariſtiæ, quam opera noſtra ſatisfactoria cum iuſtitia diuina rectè cohæreāt, non obſtante copioſiſſima per Chriſtum facta ſatisfactione. Nō enim contra iuſtitiam agit, qui cōditiones vtrinque pactas ad redemptionem captiui exigit, etiamſi precium abſque talibus conditionibus ſufficientiſſimum pro tali captiuo redimendo iam ſolutum eſſet.

Quare alia media ſalutis inſtituuntur.

Si verò aliquis hîc à me quærat, cur Deus voluerit alia præter filij ſui paſſionem ad ſalutem humanam eſſe neceſſaria, cum illa ſola ſit ex ſe pluſquam ſufficiens ad illam operandam. Reſpondeo

quod quamuis diuini concilij rationem inuestigare hominibus omnino sit impossibile; *Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* huius tamen consilij voluntatis diuinæ aliqualem saltem rationem ex aliis diuinis operibus colligere non est admodũ difficile. Quẽadmodum igitur ad maiorem potentiæ & sapientiæ suæ ostensionem concursu, & cooperatione creaturarum suarum ad infinitos penè effectus, tam naturales, quam supernaturales producendos vti voluit: ad quos tamen, sicut & ad infinitos alios efficiendos sola sua omnipotentia plusquam sufficiens esset: ita etiam ad maiorem gratiæ suæ gloriam, & ampliorem charitatis suæ in nos manifestationem, bonitatem cum omnipotentia adeo magnificè temperauit, vt salutem æternam, cuius ipse solus est author atq; largitor absque nostra cooperatione, nõ ex nostris quidem exhibita viribus, sed ex suis profecta auxiliis nemini conferre decreuerit: vt nimirum vita beata, quam sola sua misericordia nobis præparauit ita illius esset gratuitum donum, vt nostri quoque operis iustissimum esset præmium. In hoc enim & sapientia, & boni-

Rom. 11 34.

tas diuina vna cum ſua potentia atq; iuſtitia multo clarius elucet, dum nos ſalutis noſtræ cooperatores per gratiæ ſuæ efficaciam efficiat; quam ſi abſque noſtra cooperatione gloriam cœleſtem nobis donaret. Apagete ergo Nouatores omnes, qui ſub falſo prætextu gratiam Dei & paſſionis Chriſti infinita merita exaltandi, vtriuſque dignitati atque efficaciæ maximè detrahunt, quaſi nos ſalutis noſtræ cooperatores efficere nõ poſſent: atque etiam à vita honeſta, & virtutum exercitatione (quo præcipuè homines à brutis diſcrepant) nos retrahũt, dum bonis operibus nullum eſſe expectandum præmium deblaterant.

Et iam tandem cum doctiſſimi *Alani* noſtri verbis diſceptationem iſtam claudam, *Vt infinitæ perfidiæ, apoſtaſiæ, planeque abominationis deſolationis, ab hoſtibus religionis, in loco ſancto, hoc argumẽto ſignum erectũ intelligas, obſerua & obſtupeſce, nihil eſſe in omni hæreſi ſtultius, nihil in Atheiſmo horribilius, nihil ad omnem impietatem potentius, quã per ipſam paſsionem Domini, qua ſola omnis religio, & rectus Dei cultus continetur, ſummum & vnicum, ſolique Deo & ſemper, ex ipſa naturæ lege proprium ac debitum cultum ſublatum*

Alanus l.2. de ſacramentis cap.23. ad finem

esse, impiè velle prætexere.

Parkerus, & cœteri ad sedes Episcopales initio Regni Elizabethæ prouecti fuerunt sacerdotes Catholico ritu ordinati vel omnes vel saltem eorum plurimi.

Hactenus sacerdotium veri ac proprij sacrificij oblatiuum, in Ecclesia *Christi* permanere non tantum probauimus, sed etiam argumenta in contrarium fieri solita, sufficienter (vt arbitror) dissoluimus. Vnde necessario sequitur, prætensos illos Episcopos, qui *Parkero*, & cœteris in sedes Episcopales initio regni *Elizabethæ* se intruserunt, & vsque in præsentem diem successerunt (de quibus in hoc capite disputamus) non esse, neque fuisse veros Episcopos: quandoquidem veri Sacerdotes non fuerint, hoc est, verum sacrificium offerendi potestatẽ non habuerint. Ac proinde talem, tamque essentialem Episcopalis vocationis defectum super omnes prædecessores suos habere, vt etiamsi illi veri Episcopi fuissent, isti tamen tales esse non possint.

Cap. decimvmnonvm.

Vtrum vel hodierni Episcopi Protestantes in Anglia habeant, vel prædecessores sui similiter Protestantes vnquam habuerint legitimam Iurisdictionem Episcopalem.

Hactenus ostendimus prætensos *Angliæ* Superintendentes ad sedes Episcopales, post *Cranmeri* ab Ecclesia *Catholica*, separationem sub *Eduardo* Rege *Angliæ* sexto per apostasiam, & in hæresim lapsum, prouectos, omnis Episcopalis ordinis potestate caruisse, atque etiamnum carere. Restat vt veram ac legitimam iurisdictionis potestatem illis deesse iam ostẽdamus: vt inde planè appareat, præter nudum nomen, & iniustam sedium suarum possessionem, eos nihil Episcopalis muneris & vocationis habere. Vniuersa enim Ecclesiastica authoritas in ordinis, & iurisdictionis potestatem (ex eorũ cõ-

Fieldus de Eccl. l.3.c.29. Carletonus de Iurisdictione p. 7. & alij.

Potestas Ecclesiastica duplex; ordinis & iurisdictionis.

sensu & doctrina, in qua à *Catholica* veritate non dissentiũt) adæquatè distribuitur. Idcircò si harũ vtráq; carere cõuincantur, nihil prorsus Ecclesiastici iuris illis remanere clarè constabit.

Quod potestas Iurisdictionis ad legitimam pastoralis muneris administrationem necessario requiratur, in cõfesso est, tam apud *Protestantes* quam *Catholicos*: & controuersia præsens tantum in ea sita est, vtrum prætensi *Angliæ* Episcopi talẽ potestatem habeant necne. quam vt clarius & commodius ad vniuscuiusq; captũ disputare possimus, quid iurisdictio sit, quot & quæ sint eius species, & de qua earum hic instituendus sit sermo, breuiter declarabimus.

Iurisdictio quid.

Primo itaq; sciendũ est, quod quamuis vox ista (*Iurisdictio*) sonet tantum ius dicere, seu sententiam & iudicium in rebus ad iustitiam spectantibus ferre, vbiq; tamen ferè pro iure ipso seu potestate, quam vnus in alium habet in eis, quæ ad regimen, gubernationem, vel dominium spectant, vsurpari solet, in qua latitudine, & parentes in liberos, & Domini in seruos, sicut Principes in subditos, & Pastores in oues suas & gregem, iurisdictionem habere dicuntur.

Secundò ſciendum iuriſdictionem in propria ſua acceptione in duplici eſſe differentia. Vna eſt ſpiritualis, & Eccleſiaſtica, ad quã pertinent ea omnia media, & auxilia ſpiritualia, quæ *Chriſtus* Dominus ad ſalutẽ animarũ promouendã, ac procurandam in Eccleſia ſua inſtituit, regere & adminiſtrare. Huiuſmodi ſunt verbũ eius diuinum, ſancta ſacramenta, atq; illę omnes actiones & operationes, quæ ad dignam horum adminiſtrationẽ, & receptionẽ neceſſariò pertinere noſcũtur. De qua poteſtate loquitur Apoſtolus, cùm dicit: *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorũ Dei.* Altera eſt tẽporalis ſeu ſæcularis, quæ in rebus ad temporalem hominũ pacem, & proſperitatem procurandã, conſeruandã, & promouendã pertinentibus imperat, vt iudiciũ & iuſtitiã in cauſis ciuilibus, & criminalibus adminiſtrare, illud quod iuſtũ & honeſtũ eſt, iuxta cõmunem Reipublicæ neceſſitatem, & vtilitatem præcipere, & contrarium prohibere.

Quotuplex iuriſdictio

1. Corin. 4. 1.

Vtraque harum iuriſdictionum adhuc ſubdiuidi poteſt in directiuam, & coactiuam, ſeu coërcitiuam. Directiua leges condit, & præcepta tradit, qui-

Poteſtas Iuriſdictionis alia directiua alia coactiua.

bus homines ad illum finem, ad quem assequendum talis iurisdictio instituta fuit, ducuntur, & diriguntur. Iste vero finis in spirituali iurisdictione est salus animarum, & vitæ æternæ hæreditas; in tẽporali autem est pax, & prosperitas totius Reipublicæ, & singulorum etiam hominum, in quantum sunt membra, & partes illius. Coërcitiua Iurisdictio pœnalitatibus, & supplicijs homines ad leges tam prædictas, quam illas etiam quæ vel ab ipso Deo, vel natura præscribuntur, obseruandas compellit & constringit, ac proinde recte coërcitiua dicitur.

Iurisdictio interna vel externa.

Tertio sciendum, quod relicta tẽporali iurisdictione, vtpote ad institutum nostrum minime spectante, de spirituali tantum seu Ecclesiastica impræsentiarũ disputamus. Ista vero, vel ea administrat, quæ immediatè ad animarũ salutem, & cõscientiæ forũ, absq; omni ad forũ litigiosum respectu pertinent, (qualis est sacramẽtorũ administratio, & verbi diuini prędicatio, & proinde à nõnullis interna nõ ineptè dicitur) vel tales causas, quæ propter legũ Ecclesiasticarũ trãsgressiones inter homines exurgere solent, in foro exteriori & cõtẽtioso discutit & determinat, quæ proindè dici potest externa.

Quod spiritualis vel Ecclesiastica iurisdictio istas omnes species vel partes habeat, tam in *Protestantium* quam *Catholicorum* doctrina clarum est ex eorum praxi. Nam præter prædicationem verbi diuini, vt prætendunt, & sacramentorum administrationem, quæ internæ sunt iurisdictionis, habent fora sua externa ac litigiosa, vbi quãplures causas per potestatem Ecclesiasticam iudicant atque determinant, iurisdictionem tam directiuam, quam coërcitiuam exercentes.

Exstat libellus typis excusus cum hac inscriptione, *Articuli, de quibus inquiri debet intra Diæcesim Cicestrensem in secunda generali visitatione Reuerendi in Christo Patris Lãcelotti Episcopi Cicestrẽsis, habita anno* 1609. Isti articuli sunt numero 79. editi cũ forma iuramẽti Æditituis, & viris iuratis proponendi, qui (si aliũdè clarum non esset) manifestè demonstrant, quod prædictas omnes spiritualis iurisdictionis species exercendi potestatem se habere prætendant. Quæstio igitur est, vtrum talem iurisdictionem reuera habeant, necné.

Iste iam est Eliẽsis.

Et certum est, quod nullam legitimam iurisdictionis potestatem habeant, sed eã iniustè vsurpent, & indebitè sibi vendi-

Episcopis Angliæ nulla cõpetit vera iurisdictio.

cent. Quod vt dilucidè ostendamus, sciendum est, eos ex seipsis, & vt homines sunt, nullam talem habere in alios iurisdictionẽ, sicut neque alij in ipsos. Nam in naturalibus nulla est ex sola natura inter homines superioritas vel subiectio præter illam, quam generans in genitum acquirit; sed in spiritualibus, hoc multo clarius est. Si itaque aliquã habeant in alios iurisdictionem, eam aliundè recipere necesse est. Sed neque aliundè talem recipiunt, vt ex dicendis constabit.

Mason. p. 143. *Bipartitam iurisdictionem fingit.*

Masonus, vt superintendentibus suis dignitatem Episcopalem sartã tectam conseruet, bipartitam illis confingit iurisdictionem, partim à *Christo*, partim vero à Principe receptam. Quam vero partem à Principe recipiant, neque ille declarat, neque facile est vel ex illius, vel cæterorum Collegarũ suorũ doctrina, vel etiam aliundè expiscari. Nã illã à Principe iurisdictionẽ recipere nequeunt, quam ipse nõ habet, vt per se clarũ est. Sed princeps neq; habet illam iurisdictionis partem, quam internam vocant, & in administratione verbi & sacramentorum consistit, vt in fidei suæ articulis expresse profitentur, dicentes, *Verbi diuini, & sacramento-*

Articulo 37.

rum adminiſtrationem principi non concedimus.

Neque externã coërcitiuam habet, quę præcipuè in cenſuris excõmunicationis, ſuſpenſionis, & ſimilium infligendis conſiſtit. Nam *Maſonus* ex *Elienſi* in *Tortura Torti* oſtendit, quod princeps huiuſmodi poteſtatem non habet. *Nos* (inquit ille) *principi cenſuræ poteſtatem non facimus.* Et *Carletonus Proteſtanticæ* reformationis etiã profeſſor, qui librum de iuriſdictione edidit, idem clariſſimis verbis inferiùs referendis expreſsè docet.

Tortura Torti pag. 151.

Neque tandem habet illam iuriſdictionis partem, quæ directiua dicitur, quæ eſt poteſtas condendi canones & conſtitutiones, ad curam & regimen animarum, & ſacramentorum rectam adminiſtrationem ſpectantes. Iſta enim poteſtas mere eſt ſpiritualis, ſicut ſunt ſacramẽta, ad quorum debitam adminiſtrationem præcipuè ordinatur, ac proinde principi, ex doctrina *Proteſtantium* competere non poteſt, nam præter articulum profeſſionis ſuæ iam citatum docent, *Omnem ſpiritualem poteſtatem Eccleſiæ tribuimus*; ita *Carletonus*, qui addit. *Spirituale Eccleſiæ regimen ſpiritualibus committitur Rectoribus*:

Pag. 4. *Pa.* 5. 6.

Primo à Christo duodecim Apostolis traditur: ab ipsis ad Episcopos, & Pastores eorum successores descendit. Et iterum. *Quod ad spiritualem Ecclesiæ iurisdictionem attinet, qua in discussione controuersiarum in materia fidei, in iudicandis seu condemnandis hæresibus; deponendis hæreticis, excommunicandis notoriјs & obstinatis transgressoribus, in Sacerdotibus & Diaconis ordinādis, instituēdis, & conferendis beneficiјs, & curis spiritualibus, &c. consistit, eam integram Ecclesiæ reseruamus, quam principes neque dare, neque auferre Ecclesiæ possunt.*

Pag. 9.

Et vt Ministri istius dictum (ne fortè ab omnibus suis non recipiatur) euidenti ratione confirmemus. Si princeps spiritualem hanc directiuam iurisdictionem haberet, haberet etiam & coërcitiuam, & censuras infligere posset, ista enim ab alia procedit, & vt efficax sit, necessariò eam consequitur. Sed hanc iurisdictionis partem principi non conuenire, iam ex ipsorum doctrina ostendimus. Ergo neque altera ei competere potest. Quam igitur iurisdictionis partem, vel speciem Episcopi & Pastores Ecclesiæ, à principe temporali, etiam iuxta *Protestantium* doctrinam recipere possunt, neque *Masonus*, neque quisquam alius monstrare potest.

Quamuis enim Princeps potestatem habeat condendi leges, quibus contumaces & obstinati canonum, & censurarum Ecclesiasticarum contemptores ad obedientiam & obseruantiam Pastoribus suis debitam exhibẽdam per corporales pœnalitates compellantur (quam potestatem *Masonus* & *Carletonus* iurisdictionẽ externam coërcitiuam appellãt) tantum tamen abest, vt ista potestas vel sit suprema, vel vt ab ea iudicia Ecclesiastica procedant, vt euidenter eis subordinetur, & ita ab illis dependeat, vt taliter delinquentes in ius non vocet, nisi postquam iudex Ecclesiasticus eos incorrigibiles declarando, iudicio sæculari obnoxios reddidit.

Vbi (ad tergiuersationes omnes præoccupandas) obseruari velim, nos hic loqui de causis merè spiritualibus & Ecclesiasticis, talibus scilicet, de quibus *Carletonus* profitetur, *adeo necessario Ecclesiastico iudicio reseruari, vt princeps potestatem eos iudicandi, neque dare, neque auferre illi possit.*

Porro qualiscunque ista externa coërcitiua iurisdictio sit, quam princeps in causis ad Ecclesię iudicium spectantibus, vel reuera habet, vel habere prætendere

Coarctatur aduersari⁹.

potest, ea tamen non est, quam Episcopis & Ecclesiæ pastoribus, sed quam ciuili magistratui concedit. Episcopi enim huiusmodi iurisdictionem externam, de qua hîc loquimur, in quantum sunt Episcopi, neque habent, neque habere prætendunt, vt omnes nôrunt. Quapropter ista potestas, qualiscunque illa sit, *Masoni* instituto; quo Episcopos partem aliquam suæ iurisdictionis Episcopalis à principe accipere contendit, impertinens est omnino.

Præcluditur subterfugium.

Dicet fortasse *Masonus*, principem concedere Pastoribus, & prædicatoribus libertatem functiones suas in territorijs suis impunè & liberè exercendi, ac proinde eo saltem modo iurisdictionem illis dare dici posse: sed hoc nimis ineptũ est, vt à quoquã cordato dicatur. Nã neque in legitima principis potestate situm est, prædicatoribus & Ecclesiæ pastoribus munerum suorum exercitiũ prohibere: neque est eorum concessio necessaria ad legitimam, ac validã verbi diuini, & sacramentorum administrationem, vt ex prima *Christianæ* religionis in orbe plãtatione cõstat; quæ nõ solũ absq; tali concessione vt plurimum fiebat, sed etiã expresè cõtra illã, vt sacra Scriptura

testatur, & clarius est quam vt probatione egeat, etiam ex *Protestantium* praxi, qui absque tali concessione Principum, nouum suum Euangelismum vbique disseminant. Nullam ergo partem, vel particulā Ecclesiasticæ Iurisdictionis à Principibus recipiunt Episcopi, & Ecclesiæ pastores, etiam iuxta aduersariorum doctrinam.

Refutata iam illa *Masoni* doctrinæ parte, qua docet Episcopos suos iurisdictionis suæ partem nonnullam à Principe accipere, antequam ad aliam doctrinæ suæ partem, qua docet reliquum iurisdictionis Episcopalis à *Christo* recipi, discutiendam accedamus, summam Pseudo-Episcoporum *Angliæ* tam in Deum, quam principem suum, & Rempublicam impietatem, Lectorem aduertere & detestari velim.

Summa Pseudo-Episcoporum impietas

Primo enim iuramento, quo supremum Ecclesiæ in *Anglia* imperium in omnibus rebus & causis, tam spiritualibus, quam temporalibus principi attribuitur, non consenserunt modò, sed etiam eius institutionē suaserunt. Taliq; rigore in primis generalib⁹ sub *Elizabetha* habitis comitijs decretū est illud iuramentū, vt qui semel

Iuramētum hoc ad verbum retulimus supra. pag. 555.

illud respueret, legis de *præmunire* reus esset, hoc est bona sua omnia amitteret, & carceres perpetuos subiret: qui vero secundò illud recusaret, læsæ maiestatis reus haberetur.

Anno 1. Eliz. c. 1.

Alteri etiam statuto in eisdem Comitijs stabilito consenserunt, cuius tenor est huiusmodi: *Iurisdictiones, priuilegia, superioritates, & praeminentiæ spirituales, quæ hactenus per potestatem vllam spiritualem vsurpatæ fuerunt, vel legitimè vsurpari possunt, ad statum, vel personas Ecclesiasticas visitandas, reformandas, in ordinem reducendas, & corrigendas, atque etiam omnes omnis generis errores, hæreses, schismata, abusus, offensas, contemptus, & enormitates tollendas & corrigendas, imperiali huius regni coronæ in perpetuum erunt vnitæ seu coniunctæ, &c.* Hac lege amplitudo, seu extensio potestatis principi in iuramento præfato concessæ, ex parte declaratur. Et idem est in re & substantia illud iuramentum cum illo, quod sub *Henrico* 8. anno 26. illius Regni ordinum etiam decreto editum fuit, isto tenore vt *Poultonus* illud refert; *Rex censebitur & reputabitur solum supremum Ecclesiæ Anglicanæ in terris caput, & omnes errores, hæreses & abusus in eadem*

Anno 26. Henrici 8. c. 1.

corrigendi

corrigendi potestatem habebit. Ista duo iuramenta eiusdem esse sententiæ, constat tum ex eorum tenore, tum etiam ex declaratione, quam ea de re fecit posteà *Elizabetha* in illis Articulis, quos *Angli Iniuncteones Regias* appellant, vt testatur *Masonus* supra. *Anno primo regni sui* (inquit) *subditos suos admonuit se aliam authoritatem (Ecclesiasticam scilicet) sibi non vēdicare velle, quā Hēricus 8. & Eduardus 6. sibi vēdicarunt.*

Mason. pag. 118.

Porro omnes noui superintendentes præfatū Iuramētum in proprijs personis susceperunt, atque adeo tanquam legitimum approbârunt. Quo factum est, vt Princeps omnes suos subditos ad illud suscipiendū magno cum rigore coëgerit.

His tamen non obstantibus, principē talem potestatem & iurisdictionem non habere, qualis in præfato iuramento, & ordinum statuto, illi tribuitur, libris impressis vbique docent. Totus *Angliæ clerus Protestanticus* in fidei suæ professione anno 1561. edita, ita loquitur: *Verbi diuini & sacramentorum administrationem Principi non concedimus.*

Sed quare huiusmodi authoritatē Principi negant, cum expresse iurent, quod sit supremus Rector, vel caput Ecclesiæ

Art. 37.

in omnibus rebus & causis spiritualibus? Verbi diuini & sacramentorum administratio nõne est res spiritualis? Hoc certe negare non audet. Debet igitur princeps illius esse supremus administrator & caput, si iuramentum præfatum verum sit ac legitimum. Supremus autem cuiuscũque potestatis administrator & Rector potest omnem actum eiusdem potestatis per seipsum exercere, quem per alios implere potest. Exempli gratia: *Christus* Dominus supremum Ecclesiæ caput, potuit per seipsum omnes illas Ecclesiasticas actiones exercere, quarum potestatẽ alijs tradidit: idem etiam dicendum est de Papa *Christi* Domini in terris Vicario; & Rex quiuis potest etiam per seipsum (si lubeat) omnes & singulas actiones ciuiles facere, quas Magistratus sui per authoritatem ab eo receptam præstare queunt. Ergo potest etiam Princeps, si supremus sit Ecclesiæ Rector, & Caput, verbum & sacramenta per se administrare.

Supremus magistratus inferiores actiones exercere potest.

Subterfugium.

Dicent fortasse isti iuramentum suum debere intelligi de potestate iurisdictionis, non vero ordinis, atque ita principẽ supremum esse Ecclesiæ Rectorem, quã-

tum ad iurisdictionem, non vero quantum ad ordinem; vt Sacerdos simplex electus in *Romanum* Pontificem ante consecrationem Episcopalem, verè diceretur caput totius Ecclesiæ, etiamsi omnes illas actiones, quas per alios verè exercet, per seipsum exercere nequeat.

Refellitur. Respondeo iuramenta & leges communiter ita debere intelligi quemadmodum sônant, vt omnes nôrunt. Cum itaque iuramentum prædictum exprimat omnes res spirituales, videtur intelligi debere non solum de iurisdictione, sed etiam de ordine, præsertim cum aliæ res præter ordinem analogicè tantum sunt spirituales, scilicet propter respectum & habitudinem ad sacrum ordinem, & iuxta vulgare & receptum axioma: locutio de analogicis de principali analogato intelligi debeat. Neque instantia illa de Sacerdote in papam electo est ad rem propter latissimum discrimẽ inter illos duos; nimirum inter Sacerdotem simplicem in Papam electum, & Principem respectu primatus Ecclesiæ. Nã Sacerdos electus in Papam, ante consecrationẽ suam ita est caput Ecclesiæ, vt tamen ei desit aliquid, quod ad talem dignitatem

perficiendam,&complendam in ratione supremi Ecclesiæ capitis necessariò requiritur, scilicet ordo Episcopalis, ad quem propterea suscipiendum habet necessariam potentiam & capacitatem. Ac proindè etsi in actu non habet potestatem exercendi per se illas actiones, quas per alios potest,propter defectũ talis ordinis:habet tamẽ necessariam habitudinem ad talem potestatem, ita vt absque illa non cẽsetur completè in Ecclesiæ caput constitutus. Princeps vero sæcularis non solũ illa potestate caret, sed etiam in quantum est princeps sæcularis non aliam potentiam, capacitatem, vel habitudinem ad illam recipiendam habet, quam cœteri homines habent, ac proinde actiones illas spirituales non solum per se exercere nequit, sed neque etiam ad illas per se exercendas, vt princeps est, potentiam vel capacitatem vllam habet. Latum idcirco est discrimen inter potestatem,quam principes sęculares habent ad exercendas functiones Ecclesiasticas (etiam supposito *Protestantium* nostrorum de primatu Ecclesiæ errore) & inter eandem potestatem, quam Sacerdos electus in Papam ante consecra-

tionem suam haberet. Ac proinde etiamsi iste dici possit supremum Ecclesiæ caput in omnibus rebus spiritualibus propter rationem dictam; illi tamen non ita rectè nominari possunt.

Aliud Masoni subterfugium

Aliud effugium insinuat *Masonus*, quo ostendere conatur, principem supremum rerum spiritualium esse administratorem, etiamsi omnes actiones spirituales per se perficere nequeat, & dicit *Regalem iurisdictionem non in ministeriali potestate, sed in suprema imperiali authoritate consistere*: hoc est Regiam dignitatem non decere actiones tales per se exercere, sed per alios faciendas imperare. Miserrimum effugium, & *Christianis* auribus horrendum: quandoquidem *Christus* Dominus, Rex Regum administrationem, quam alijs exercendam tradidit, ipsemet perficere non dedignatus est. Idcirco non magis concordare videntur huius articuli doctrina, & Iuramentum prædictum, iuxta naturalem verborum sonum intellectum, quam ista duo. *Princeps est supremus Rector, & caput Ecclesiæ in omnibus rebus & causis spiritualibus: Non est Princeps supremus Rector & caput Ecclesiæ in omnibus rebus & causis*

spiritualibus. Quorum prius idem est cum iuramento, posterius vero idem, vel æquiualens cum professionis suę articulo, sunt tamen directè contradictoria, ac propterea alterũ illorum necessariò falsum.

Præcluditur omnis effugiẽdi copia.

Sed quia distinctioni de potestate ordinis, & iurisdictionis obstinatè adhærendo, vim huius argumenti quoquo modo declinare conabuntur, dicendo scilicet iuramentũ ab eis præstitum intelligendum esse de potestate iurisdictionis, ita vt per illud iurârint tãtum Principem in suo dominio habere supremam Ecclesiasticam Iurisdictionis, non vero ordinis, potestatem; probemus contra ipsos doctrinam suam, hac nõ obstante distinctione, iuramento ab eis præstito directè aduersari, ac proindè ipsos vel illud præstando peierâsse, vel falsam doctrinam sæpiùs tradidisse.

Primum *Lancelotus* dictus Episcopus *Eliensis* inter *Protestantes* propter doctrinam suam nominatissimus, & nulli eorum secundus, in libro, quem contra *Matthæum Tortum* iussu serenissimi *Iacobi* Regis, vt dicitur, ac proinde nõ absq; publica aprobatione, edidit, ita ait: *Nos principi censuræ potestatem nõ facimus*. Ergo neq;

ſupremam iuriſdictionis poteſtatẽ illi cõceditis. Cenſuræ enim poteſtas, eſt poteſtas iuriſdictionis, vt omnes norũt. Idcircò vel iniuriã illi facitis, denegantes illi hanc poteſtatẽ, vel certe peieratis, cũ ſub iureiurando profitemini illũ intra dominiorum ſuorum limites, ſupremũ Eccleſiæ eſſe Rectorem & caput, in rebus omnibus tã ſpiritualibus quã temporalibus.

Vel in Deum vel in principem ſuum impÿ ſunt Pſeudo-Epiſcopi

Sed hoc multo clariùs conſtat ex *Carletono* authore etiam *Proteſtante*, qui integrum librum de Iuriſdictione ſcripſit, edidit, & Archiepiſcopo *Cantuarienſi* dedicauit; in quo præter plura alia iſta habet: *Patres pro ſpirituali Eccleſiæ iuriſdictione ſuper Principes, quam non negamus, ſcripſerunt.* Quomodo ergo abſque manifeſto periurio iurare poteſtis, principes ſupremos eſſe Rectores, & capita Eccleſiæ, in omnibus rebus, & cauſis ſpiritualibus? Quomodo poteſt Eccleſia iuriſdictionem ſpiritualem ſuper principes habere, & tamen principes eſſe ſupremi Rectores Eccleſiæ in rebus ſpiritualibus? Si iſta contraria non ſint, nulla ſunt contraria. Præterea ait, *omnem poteſtatem ſpiritualem Eccleſiæ tribuimus.* Et iterum, *Spiritualis Eccleſiæ*

Carletonus in admonitione ad Lectorẽ

Pag. 4.

gubernatio spiritalibus tribuitur Rectoribus, uti primo à Christo duodecim Apostolis suis: deinde ab istis, Episcopis & Pastoribus eorum successoribus. Qua ergo ratione princeps, qui neque est Episcopus, nec Pastor, potest esse supremus rerum spiritualium Rector? Sed adhuc magis directè tam contra iuramentum, quam contra statutum, quo latitudo potestatis spiritualis principi concessa declaratur, ita scribit: *Quantum ad spiritualem Ecclesiæ iurisdictionem, quæ in discutiendis fidei controuersiis, hæresibus iudicandis, deponendis hæreticis, excommunicandis notorijs & obstinatis transgressoribus, ordinandis Sacerdotibus & Diaconis, instituendis & conferendis beneficijs, & spiritualibus curis consistit, &c. hanc integram Ecclesiæ reseruamus, quam Principes neque dare, neque auferre possunt. Princeps claues, quas Deus Ecclesiæ tradidit, non tractat*, inquit *Masonus* pag. 113. Quomodo autem ista doctrina, quæ in se vera est, cum Iuramento & statuto, quæ omnem hanc potestatem principi expresse tribuunt, concordare possit, captum meum fateor excedere. Alia quampluri-ma contradictionis & repugnantiæ argumenta, inter doctrinam *Protestantium*, &

Ibidem.

prædictum primatus iuramentum afferri quidem possent. Sed donec ista illi conciliauerint, illis referendis supersedebo.

Tam *Carletonus*, quam *Masonus* aliquoties inculcant externam coërcitiuã Ecclesiasticam iurisdictionem, quam supremã vocãt ad Principes spectare dicõt. Sed hoc nihil valet ad conciliandam relatam eorum doctrinam cum sæpiùs dicto iuramento.

Carletonus vbi supra. Mason. p. 143.

Primò enim tantum abest, vt iurisdictio ista sit suprema Ecclesiastica, vt nullo modo sit Ecclesiastica, vel spiritualis. Circa spiritualia enim non versatur, neque ea quoquo modo attingit, sed sistit in temporalibus, bonis scilicet naturæ, & fortunæ, vita, libertate, bonis quæ mobilia & immobilia dicuntur, quæ ab iis, qui obstinati legum Ecclesiasticarum transgressores, & contemptores censurarum iudicati, & declarati fuerunt, princeps per potestatem sæcularem, iuxta legum suarum præscriptum auferre potest: sed de eorum causis, quæ ad forum Ecclesiasticum spectant, ex doctrina *Protestantium* iam relata cognoscere nequit, neque iudicium Ecclesiasticum

Ridiculum aduersariorum effugiũ.

vel suspendere, vel corrigere; sed in casu quo Ecclesiasticæ censuræ, & iudicia contemnuntur, per pœnas temporales ea obseruari, & obtemperari efficere potest, & debet. Cum itaque potestas ista coërcitiua circa res tãtummodo temporales versetur, atque ad eas solas terminetur, spiritualis vel Ecclesiastica nullo modo dici potest. Nullus enim ignorat potestatem omnem à suo subiecto circa quod versatur, vel ab obiecto ad quod terminatur, denominari & specificari debere. Tantum idcirco abest, vt potestas ista coërcitiua, quam isti ministri Principibus attribuunt, suprema sit Ecclesiastica, vt nullo modo sit Ecclesiastica, sed merè sæcularis, & non minus à Principibus ethnicis, quam *Christianis* exerceri possit.

Deinde, etiamsi potestas illa Ecclesiastica esset (quod nihilominus falsum esse, satis iam clarè constat) non tamen sufficeret eos à periurio eximere, qui præstito iuramento profitentur, *Principem supremum esse Rectorem in omnibus rebus, & causis spiritualibus: & quod omnem iurisdictionem & superioritatem spiritualem habeat, quam hactenus quisquam licitè exer-*

euerit. Ex doctrina enim aduerſariorum perſpicuum eſt, quàmplures eſſe res, & cauſas, in quibus nullam habent poteſtatem, nec iuriſdictionem.

Ex quibus omnibus colligitur primò, iuramentum Primatus, etiam iuxta ipſam *Proteſtantium* claram doctrinám, illicitum eſſe & pernitioſum, vtpote expreſsè contra ſecundum primæ tabulæ mandatum, idque non tantum quia in vanum ſumatur nomen Domini, vt in iuramentis otioſis, temerariis, & nõ neceſſariis, veris tamen; ſed etiam quia ſcienter & prudenter falſum in eo iuratur, quo vllum maius delictum vix eſſe poteſt.

Grauiſſimum Proteſtãtium delictũ.

Secundò apertè colligitur, quam iniquè Epiſcopi *Catholici* initio Regni *Elizabethæ* ex repudiato hoc iureiurando, ſedibus ſuis eiecti fuerunt, & conſequẽter quam iniuſti poſſeſſores, & manifeſti intruſores illi fuerunt, qui ex eodem titulo illorum ſedes inuaſerunt. De quibus ſupra fuſe dictum eſt.

Iniuſta Catholicorũ Epiſcoporum abdicatio.

Tertiò, denique colligitur, quam mali, ac pluſquam cæci animarum duces iſti noui prælati ſint, qui primo in publicis Comitiis, per ſua ſuffragia, deinde per

Duces cæci Proteſtãtes.

factum proprium illud iuramentum approbârunt, quod expressæ ipsorum doctrinæ ex diametro aduersatur.

Factum iniquum ex peiori animo profectũ

Sed etiam ratio seu motiuum, quod ad tantam nequitiam eos impulerit, obseruatione dignum est; Quod vt ab omnibus intelligatur, sciendum est, nouos istos noui Euangelij disseminatores, perspicientes per iuramentum prædictum, & ordinum decretum, se ab omni subiectione, & obedientia summo Pontifici, & sedi Apostolicæ debita, liberos fore, ac proinde nouam suam doctrinam, & hæresim facillime in regnum introducere posse, quam absque scissa Ecclesię vnitate, & supremi pastoris reiecta obediẽtia, nunquam se præstare posse homines versuti non ignorabant, iuramentũ præfatum non solum suffragiis suis approbârunt, sed etiam ad perpetuum suum dedecus & ignominiam illud in personis suis iurarunt. Dico ad perpetuum suũ dedecus & ignominiam, quia cum Barones sæculares Regni, per expressũ ordinum decretum à prædicti iuramenti susceptione excipiantur, Episcopi qui ęqualibus saltem semper priuilegiis, honoribus, & libertatibus etiam tempora-

Nota.

libus, cum cœteris Regni Baronib. gaudere ſolebant, non niſi ſummo cum ſuo dedecore & ignominia ad hoc iuramentum ſuſcipiendum ſeſe ſubiicere, vel ab aliis compelli poterant. Sed mirum non erat, quod illi, qui fidem & fœdus cum Deo & Eccleſia ſua, vt libertina ſua hæreſi fruerentur iamdudum fregiſſent, honoris, & exiſtimationis ſuæ, vt Epiſcopatus ſuos lucrarentur, naufragium non inuiti ſubirent.

Iuramento igitur præfato iſtorũ conſenſu, & impulſu ſtabilito, & ab ipſis etiam præſtito, nihilominus per exiguum illud rationis lumen, quod atra hæreſis inextinctum in mentibus ſuis reliquerat ex vna parte; & ex altera per inſuperabilia aduerſariorum ſuorum *Catholicorum* tam domi, quam foris contra idem iuramentum allata argumenta, ſimul cũ celeberrimorum nouæ reformationis magiſtrorum opinione & iudicio, (*Caluini* ſcilicet, *Centuriatorum*, & *Chemnitij*, qui illud tanquam blaſphemum, *faſtu inaudito, & fœmineo* inuentum condem-

Grindallus ſecũdus nouæ intruſionis Cantuarienſis Archiepiſcopus iudicia Eccleſiaſtica in præiudiciũ iuriſdictionis, quam Principi iurauerat, ſibi vendicans, irreconciliabilem Elizabethæ Reginæ indignationem incurrebat, iuſtam periurij, & proditionis iuris diuini, & Eccleſiaſtici mercedem hic recipere incipiens.

nârunt) factum suum neque defendi, neque fuco aliquo adumbrari posse perspicientes, mundo vniuerso libris editis deprædicant, se nihil minus intendisse, quã supremam iurisdictionem in rebus spiritualibus principi concedere, cum tamen conceptis verbis illud iureiurando professi fuerint: adeo vt quid in ipsorũ facto detestari potius debeas, nimirum vtrum impietatem in Deum, dum sciẽter in nomine suo tremendo peierârint, vel infidelitatem in Principem, dum vnum verbis illi professi fuerint, aliud mente cogitârint & intenderint, vel denique iniuriam in populum, dum lapidem offensionis, & petram scandali exemplo suo illi posuerint & proposuerint, non facile discernere queas. Enimvero cum supremam illam potestatem, & iurisdictionẽ Ecclesiasticam & spiritualem, quam tãta solennitate iureiurãdo interposito principi attribuunt, explicare, & declarare volunt illam totam in potestate temporales infligendi pœnalitates quibusdam in casibus, præsupposito tamen iudicio Ecclesiastico, cõprehendunt. Quæ quidem potestas non aliter spiritualis est, vel Ecclesiastica, quam sunt boues, oues,

domus,& cætera id generis, ad quæ ſola dicta poteſtas attingit. Sed ſufficiat iſta obiter adnotâſſe, iã vnde digreſſi ſumus reuertamur, & oſtendamus nouos iſtos ſuperintẽdẽtes (ita enim vocari cupiunt) non maiorem à *Chriſto* recipere iuriſdictionẽ, quam à principe, ac proinde nullam penitus habere.

Iuriſdictionem, quam à *Chriſto* immediatè habere ſe prætendunt, mediante Epiſcopali conſecratione recipere aſſerit *Maſonus*, & neceſſe eſt omnes *Proteſtantes* ita aſſerant. Separata enim ab illis tali conſecratione, nulla penitus reſtat ratio, vel via, qua illis iuriſdictio Eccleſiaſtica impertiatur magis, quam cæteris omnibus hominibus. Cum igitur ſatis efficaciter iam oſtenſum fuerit, eos nullam habere, vel habuiſſe Epiſcopalem conſecrationem, luce clarius eſt, eos nullam à *Chriſto* habere poſſe iuriſdictionem. Hoc argumẽtum (ſuppoſito quod eorum conſecratio fuerit iam efficaciter impugnata, vt donec argumentis contra eam allatis ſatisfaciant, quod non tam cito præſtabunt, exiſtimari debet) eſt penitus ineluctabile, neque vlla ratione eludi vel infirmari poteſt.

Maſonus p. 145.

Altera pars iuriſdictionis Maſonianæ, impugnatur.

Nihilominus ad clariorem instituti nostri contra aduersarios euictionem, supponemus (contra clarissimam veritatem) consecrationes suas fuisse quoad substantiam legitimas, & Canonicas, seu quod idem est, fuisse veras, ac validas, tamen ostendemus, nullam à *Christo* eos recipere potuisse iurisdictionem. Quod vt faciliùs clariusque præstari possit, quędam quæ ex se sunt clara, præmittenda sunt.

Aduertendum 1.

Primùm potestatem ordinis, quæ per consecrationem confertur, adeo à potestate iurisdictionis distinctam, ac diuersam esse, vt vna absque alia esse possit. Hoc clarissimum est ex vsu censurarum, excommunicationis scilicet, suspensionis, depositionis, degradationis, & similium (non minus apud *Protestantes*, quam *Catholicos* in vsu existentium) quæ tametsi ab iis, in quos infliguntur, iurisdictionis potestatem auferant, ac proinde potestatis ordinis vsum, & exercitium illicitum reddant, ipsam potestatem tamen ordinis integram relinquunt, vt *Masonus* supra relatus non semel agnoscit, & necesse est, vt omnes qui excommunicandi potestatem Ecclesiæ tribuunt, fateantur.

tur. Hinc clarè sequitur, quod ex potestate ordinis non potest legitimè, & validè inferri potestas iurisdictionis, quia illa absque ista existere possit.

2. Secundum, nullum crimen neque magis iustè, neque magis manifestè excommunicationis censuram secum trahere, & consequenter iurisdictionis iacturam inferre, quam hęresim, & apostasiam. Hæretici enim à *Christo* ipso, & Apostolo excommunicationis fulmine percelluntur. *Qui Ecclesiam non audit* (inquit CHRISTVS Dominus) *sit tibi vt Ethnicus, & Publicanus.* Et Apostolus. *Hæreticum hominem post vnam, & alteram admonitionem deuita.* Quod adeo etiam clarum est, ex antiquæ Ecclesiæ praxi, vt amplius probari non debeat.

Hæreticus excommunicatus à Christo ipso.
Matth. 18. 17.
Ad Titum. 3. 10.

3. Tertium, receptissimum apud omnes est dogma, neminem posse alteri dare id quod ipse non habet. Verbi gratia, qui tunicam, vel vestem non habet, non potest vestem alteri dare. Qui ergo iurisdictionis potestatem non habet, illam non potest alteri communicare.

Ex euidentissimis clarissimisque istis

principiis', per deductionem non minus euidentem & claram concluditur, nouos *Angliæ* superintendentes nullam habere legitimam Episcopalem iurisdictionem, tametsi daremus (contra constantem veritatem) quod validè fuissent ordinati. Existimabit fortasse quispiam me hoc modo argumentum formaturum.

Argumentum validũ sed nobis non necessariũ.

Prætensæ *Angliæ* Episcopi condemnatam profitentur hæresim, ac proinde hæretici sunt. Sed hæretici sunt ipso facto excommunicati, & consequenter omnem Ecclesiasticam iurisdictionem, si forte aliquam antea habuerint, amittũt. Ergo prætensi *Angliæ* Episcopi iurisdictionem suam amiserunt, si forte vllam olim habuerint.

Hoc quidem argumentum clarum est, & euidens, & singulæ eius propositiones verissimæ. Quia tamen aduersarij de secunda eius propositione cauillabuntur, negantes se hæreticos esse, & prolixiorem cum eis hac de re disputationem hoc in loco instituere nolo, præsertim cum quatuor diuersis argumentis, quibus illi nunquam satisfacere queunt, eos reuera hæreticos esse iam supra

Pa. 383.

probauerimus, alio medio nõ minus quidem efficaci, sed magis ab omni cauillatione immuni, illud quod proposui conuincam hoc modo:

Si vel *Protestantes* superintendentes, vel Ecclesiæ *Romanæ* Episcopi, à quibus illi consecrationem receperunt, hæretici sint, illi (*Protestantes*) veram ac legitimam iurisdictionem habere non possunt. Sed necesse est vt vel illi, vel isti hæretici sint. Ergo, &c.

Argumentum conuincens.

Prima propositio ex principiis iam positis satis euidens est, & prætere a ita vlterius declaratur. Si Episcopi Ecclesiæ *Romanæ*, à quibus noui isti Pastores ordinationem suam recepisse prætendunt, (vt ex supradictis abundè constat) & cõsequenter iurisdictionem etiam suam, quam simul cum consecratione accepisse existimant, hæretici essent, excõmunicatos quoque fuisse, & iurisdictionem suam amisisse necesse est, ac proinde nullam *Protestantibus* suis successoribus tradere possent: Si vero *Protestantes* hæretici sint, iurisdictionem nullam propter eandem rationem recipere potuerunt, adeo vt prima propositio nostri argumenti manifesta sit.

Secunda vero, nimirum quod vel Episcopi Ecclesiæ *Romanæ*, vel *Protestantes* hæretici sint, absque omni controuersia est clara & euidens. Conclusio autem ex præmissis necessaria ac naturali sequela sequitur, ac proinde totum argumentum euidens est & clarum.

Recapitulatio totius disputationis.

Et iam tandem totam nostram cum prætensis *Angliæ* Episcopis disceptationem breui ac dilucido hoc argumento recolligam. Tota Ecclesiastica potestas, seu Episcopalis vocatio in potestatem ordinis,& iurisdictionis diuiditur. Sed *Protestantes Angliæ* Episcopi neque potestatem ordinis,neq; iurisdictionis habēt. Ergo nullam habent potestatem Ecclesiasticam,vel Episcopalem vocationem. Prima huius argumenti propositio in confesso est tam apud *Protestantes*, quam *Catholicos*. Secunda in tota pręcedenti disputatione satis euidenter & efficaciter,(vt arbitror) demōstrata manet. Cōclusio est necessaria,quę prætēsos *Angliæ* Episcopos non veros Episcopos,sed merè laicos esse clarè demonstrat.

Nam tametsi singula argumenta, quæ contra nouos *Angliæ* superintendentes, qui sedes Episcopales à lapsu *Cranmeri*

occuparunt, hactenus allata fuerunt, eos veram Episcopalem vocationem non habuisse demonstrare non sufficerent (quod tamen præstare videntur) omnia tamen simul id clarè demonstrant, & sic formari potest argumentum.

Argumentum vrgens.

Illi quorum tam ordinis, quam iurisdictionis potestas adeo clarè dubia est, vt propter optimas ac validas rationes existimetur nulla, non sunt veri ac legitimi Episcopi. Sed tales sunt, & fuerunt omnes, qui post lapsum *Cranmeri* in hæresim ad sedes Episcopales in *Anglia* prouecti fuerunt. Ergo tales non sunt, neque fuerunt veri ac legitimi Episcopi.

Prima propositio huius argumenti ita declaratur. Ciuilis magistratus cuiuscunque gradus vel generis sit, cuius authoritas vel institutio adeo dubia est, & incerta, vt ex firmissimis argumentis demonstretur vsurpata & nulla, adeo euidenter non est verus, ac legitimus magistratus, vt qui illius imperio contra notum atque iam receptum Magistratum obediret, rebellionis reus esset. Ad legitimi enim Magistratus in-

stitutionem non sufficit, quod authoritatem habeat, sed etiam necesse est vt manifestam suę authoritatis demonstrationem secum afferat. Principes enim non mittũt ad subditos suos, magistratus dubios, incertos, & incognitos, sed manifesta authoritate munitos, vt omnibus notũ est. Idcirco multo minus sunt veri ac legitimi Episcopi, seu magistratus Ecclesiastici, quorum ordinatio & institutio firmissimis rationibus ostenditur esse nulla. Dixi (multo minus) quia damnum quod ex tali incommodo Ecclesiæ adueniret, & multo grauius, & minus recuperabile esset, quam illud quod ciuilis status ex eadem occasione pateretur, vt omnibus patet. Ex potestate enim Episcopali procedũt actiones Sacramẽtales, quæ vel dubiæ vel nullæ essent, si tali potestate fierent: Inde vero & sũma totius ordinis Ecclesiastici perturbatio, & plurimarum animarum quarum salus ab illis actionibus dependet, ruina necessario sequeretur: quæ ex simili incommodo in magistratu ciuili non euenirent. Ac proinde minus in Ecclesiastico, quam ciuili statu tale incommodum esse admittendum, nemini dubium esse potest.

Secundò, neceſſe eſt vt in omni Republica ſeu ſtatu ciuili veri magiſtratus ſint adeo notæ atque indubitatæ inſtitutionis & authoritatis, vt nulla ſit iuſta vel rationabilis cauſa de eorum authoritate, & legitima inſtitutione dubitandi. Alias enim quicquid in ſuo munere gererent, dubium eſſet atque incertum, & conſequenter interminabiles lites, iurgia, & quærelas (quibus nihil vlli ſtatui pernicioſius inueniri poſſet) inducerent. Ergo illi Magiſtratus, qui iuſtiſſimis de cauſis nulli exiſtimantur, legitimum magiſtratum gerere non poſſunt. Hoc argumentum à fortiori concludit de Epiſcopis, qui ſunt ſpirituales Magiſtratus, & Rectores. Atque ita remanet ſatis declarata prima propoſiti argumenti propoſitio, nimirum eos, quorum ordinatio adeo dubia eſt, vt ob validiſſimas rationes nulla iudicetur, non eſſe veros ac legitimos Epiſcopos.

Secunda propoſitio ex eis, quæ hactenus contra ordinationem Epiſcoporum *Proteſtantium* dicta fuerunt, ſatis conſtat, & hac ratione etiam declaratur. Illorum ordinatio, & iuriſdictio

adeo clarè est dubia, vt iure existimetur nulla, quæ tam ex parte ordinati, & ordinantis, quam ipsius ordinationis ostẽditur defectuosa & manca. Sed talis est ordinatio Episcoporum *Protestantium*, vt ex supra dictis clarè constat. Ergo &c.

Secundo illorum ordinatio, & vocatio iure existimatur nulla, quæ aliis rationibus probari vel confirmari nequit, quam quibus *Arianorum*, *Nouatianorum*, *Nestorianorum*, & cœterorum hæreticorum olim condemnatorum probari potuit, quos veram vocationẽ non habuisse apud aduersarios in confesso est: Atqui talis est Episcoporum *Protestantium Angliæ*, qui nihil prorsus in vocationis suæ confirmationem afferre possunt, quod *Ariani* cœterique damnati hæretici pro sua vocatione eadem probabilitatis specie allegare nequeant, vt discurrendo per singula probationum suarum capita patebit. Ergo &c.

Tertiò, eorum ordinatio, & vocatio iustissimè existimatur nulla, cuius nullum planè exemplum in toto mille, & quingentorum annorum spatio,

in Ecclesia extitit. Sed talis est Episcoporum *Protestantium Angliæ* ordinatio, cuius illi nullum in toto prædicto spatio exemplum producere possunt. Ergo, &c. Et sic secunda nostri argumenti propositio manifestè manet probata. Conclusio autem ex præmissis legitimè sequitur, nimirum Episcopos *Angliæ* qui à *Cranmero* post suum ab vnitate Ecclesiæ recessum, & in hæresim lapsum descenderunt, non veros Episcopos, sed manifestos esse vsurpatores, & tales, quos Scriptura sacra falsos Prophetas, lupos, ac latrones passim indigitat. Hinc vero vlterius ineuitabili, ac necessaria consequentia infertur, *Protestantium* Ecclesiam in *Anglia* non esse veram Ecclesiam. In confesso enim est apud omnes tam *Protestantes* quam *Catholicos*, veram Ecclesiam absque veris pastoribus existere non posse: & ratio, quam affert *Sanctus Cyprianus*, clara est. *Illi enim* (inquit) *sunt Ecclesia plebs pastori adunata, & pastori suo grex adhærens*: Ac proinde recte ab eodē ibi dicitur, *quod Episcopus sit in Ecclesia; Ecclesiæ vero in Episcopo & si quis cum Episcopo non sit, is in Ecclesia non est.* Vbi vero non est vera Ecclesia, ibi non potest

Corollarium necessarium.

Epist. ad Floren. ante finem.

esse vera fides. *Est enim Ecclesia domus Dei* (vt testatur Apostolus) *columna, & firmamentum veritatis.* At vbi non est vera fides, vbi nulla est speranda salus. *Absque fide enim* (testante eodem Apostolo) *impossibile est placere Deo.*

1. ad Timoth. 3. 14.

Istæ omnes consequentiæ luce ipsa clariores sunt, neque à quoquam aduersariorum in dubium vocatæ. Quis ergo mente humana præditus, tam vecors, stupidusque esse potest, vt inter *Protestantes* cuiuscunque sectæ, vel fictæ reformationis fuerint, æternam animæ suæ salutem inuenire posse sperabit, quandoquidem tot clarissimis argumentis, eos omnes veris carere pastoribus hactenùs demonstratum sit?

Et vt totius nostræ disputationis calcem cum capite coniungamus, & finem ad principium reducamus, ex clarissimis his consequentijs apparet, quam necessaria sit ad veram fidem acquirendam addiscendamque verorum pastorum præuia cognitio. Qui enim veram fidem absque veris pastoribus & doctoribus quærit, in regionibus incognitis absque duce peregrinatur, ad terminum peregrinationis suę optatum nū-

quam peruenturus, ſed vt error perditiſſimus miſerrimè abſq; dubio periturus. Atque hactenus contra Miniſtrorũ omniũ, cuiuſcunq; falſæ ac prætenſæ horum tẽporũ reformationis, vocationẽ dictũ eſto.

Et ſi ad perfectum huius diſputationis complementum quis fortaſsè deſideret, vt *Catholicorum* paſtorum vocatio hîc confirmetur & declaretur, ſciat quod ipſimet aduerſarij nos ab hoc onere liberent. Nam cum ipſi, vt ſuperiùs tam ex *Mornæo*, quam *Maſono* ſæpius vidimus, miniſtrorum ſuorum vocationem ab Epiſcopis noſtris receptam non agnoſcant modo, ſed etiam ſummoperè contendant, idq; neceſſariò quidem, (aliàs enim impoſſibile eſt, vt ſpeciem vllam vel vmbram quamuis minimã vocationis ordinariæ myſtis ſuis vendicare poſſent) neceſſe eſt, vt veram, validam, ac ſufficientem vocationem in illis confiteantur, alioquin impoſſibile planè eſſet, vt talem vocationem alijs deriuare queant. Huiuſmoni ergo aduerſariorum confeſſione & agnitione impræſentiarum contenti, prolixiorem de hac re diſputationem hîc attexere ſuperſedebimus, præſertim cum *Catholi-*

Aduerſarij agnoſcũt vocationem Catholicæ Eccleſiæ ſufficientem.

corum Pastorum & Episcoporum vocatione, quantum ad illā controuersiam de sacerdotio, quod veram sacrificandi potestatem habeat, de quo *Romanæ* Ecclesiæ pastorum vocationem præcipuè, si non solum reprehendendam existimant, satis superque confirmauimus. *Diuina bonitate factum est* (inquit *Masonus*) *vt in tenebris papismi ministeriorum munus mirabiliter præseruaretur. Sic Ecclesia Romanæ potestatem prædicandi traditit sacerdotibus suis, sed veritatem illis non reuelauit.* Epist. dedicatoria.

Benedicta illa organa quæ Ecclesiam reformarunt, vocationem suam in Ecclesia Romana quamuis corruptè receperunt. Ibidem. Et tametsi ista ab alia vocationis nostræ probatione nos liberare possent, illam tamen vnico hoc argumento breui quidem, sed dilucido & efficaci confirmabo.

Vocatio Episcoporum Catholicorum probatur.

Episcopi Ecclesiæ *Catholicæ Romanæ* eandem vocationem Episcopalem habent, quam Apostoli immediatis suis successoribus tradiderunt. Sed illi successoribus suis veram ac indubitatam vocationem tradiderunt. Ergo Episcopi Ecclesiæ *Catholicæ Romanæ* veram ac indu-

bitatam vocationem habent.

Prima huius argumenti propositio (qua declarata totum argumentum adeo est manifestum vt à nemine negari possit) ita ostenditur. Episcopi Ecclesiæ *Catholicæ Romanæ* vocationem suam per successionem non interruptam ab Apostolis receperunt. Ergo eandem modo habent, quam ipsi olim successoribus suis tradiderũt. Consequẽs est per se euidens. Antecedens non alia ratione aduersarij negare queunt, quam solem, qui modo nobis oritur & occidit, eundem esse, quem Deus initio creauit, negare quis possit. Nam nisi vel quando, vel vbi, vel per quem primùm mutata fuerit antiqua ordinatio, & introducta fuerit noua ostendatur, quod aduersarij nunquã præstare possunt) non minus stultum & peruersum erit asserere, illam reuera mutatam esse, quam solem, quem modo videmus, non eundem, quem Deus initio creauit sed aliũ esse effutire. Sed stultus omnino vel peruersus ab omnibus haberetur, qui hoc posterius asserere auderet. Ergo etiam & is, qui illud prius diceret, nisi aliquod vnum ex suprà dictis ostendere possit. Quando vero ordina-

tionem & vocationem, quam Apoſtoli ſucceſſoribus ſuis tradiderunt, mutatam eſſe, atque aliam introductam, alijs rationibus, alijſque argumentis oſtendatur, quam quibus oſtendi poſſit ſolem quoque eſſe mutatum, tum quidem hoc noſtrum argumentum non ſatis eſſe firmum fatebor; interim vero dum hoc oſtendatur (quod nunquam futurum puto) illud inexpugnabile exiſtimabo, & conſequenter vocationem Epiſcoporum *Catholicorum* efficaciter per illud eſſe demonſtratam.

Laus Deo Beatæque ſemper virgini Mariæ.

FINIS.

INDEX RERVM MEMORABILIVM QVÆ IN HOC LIBRO continentur.

A

F

Media

FINIS.

Errata. Numerus primus paginam, secundus lineam donotat: & correctio tantum exprimitur.

PAg. 4 lin. 20. periculo sese 26. 2. discere 28. 4. cæcutientes 34. 16. ab inuicem 37. 2. Sodomorum 57. 2. debere 51. 15. nihili 62. 17. grauiter 83. 4. sensus 91. 20. sensu 109. 6. ad exercendum 113. 24. nugationem 118. 28. aptum 126. 7. esse 133. 5. vitiosum 140. 1. conuincuntur 143. 22. Ministerium 152. 27. nullius 182. 11. probabilitate 243. 13. existimari 279. 3. tam. ibid. 8. tamen 303. 22. sacri 304. 22. quâ 334. 18. Episcopatui 364. 1. abijcere 437. 2. irritam 486. 8. pro 1359. 1559. 507. 20. ille 524 3. impertitæ 537. 13. *dele* (adeo) 551. in margine validissima 564. 21. coniectura 674. 14. post enim deest (oue) 682. 3. Reinero 720. 7. falsa 721. 24. finis 761. 8. dele (dicunt) 782. 14. sanctus Leo.